HELLWIGIUS

OBSERVAT.
PHYS. MED.

1680

62610/B

MEDICAL SOCIETY
OF LONDON

WELLCOME HISTORICAL MEDICAL LIBRARY

ACCESSION NUMBER

PRESS MARK

HELLWIG, J.O. von



V6

J 6..

A. p. 12

JOHANNIS HELLWIGII,
Philoſophiæ & Medicinæ Doctoris,
Phyſici quondam Ratisbonenſis excellentisſimi,

OBSERVATIONES PHYSICO-MEDICÆ,

poſthumæ,
in lucem editæ,
Scholiisque adauctæ
à
LUCA SCHRÖCKIO, LUC. fil. Medic. Doctore, Reipubl. Auguſt. Phyſico, & Academico Curioſo.

MEDICAL SOC. OF LONDON

AUGUSTÆ VINDELICORUM,
APUD THEOPHILUM GOEBELIUM,
LITERIS KOPPMAYERIANIS,
A. S. R. M. DC. LXXX. 9

PERILLUSTRI
Liberæ Sacr. Rom. Imp. Civitatis
Ratisbonenſis

SENATUI,

Viris Nobiliſſimis, Præſtrenuis, Ampliſſimis, Conſultiſſimis,

DNN. CONSULIBUS,

Cæteriſq;

SENATORIBUS,

prudentiâ & meritorum gloriâ ſpectatiſſimis,

Dominis ſuis debito cultu venerandis,

perpetuam Felicitatem!

GRaviores regendæ Reipublicæ ſplendididisſimæ curas audet ingenii partus interrumpere. Neque venia, ſpero, ſolicitè deprecanda mihi incumbet; dignus reprehenſione po-

tius qui forem, Veſtri Nominis à Gloria Operi huic ſplendorem conciliare ſi intermitterem. Hellvvigium enim, debita tamen cum obſervantia, ſiſto, Veſtrum olim Poliatrum deſideratisſimum; cujus honorata memoria adhuc dum Veſtro in pectore nobilisſimo radiat; cujus præclara in Urbem amantisſimam medica beneficia tot ſplendidis eum Laureis condecorant, quot Cives vitâ dignos, ut viverent, arte ſuâ effecerat.

Concedite, ut, quem vivum, Saluti Veſtræ vitam propriam ſtudiosè conſecrantem, tutelâ, honore, amore certatim proſequi libuit, poſt fata etiam Patrocinio Veſtro ampliſſimo, & Benignitate dignus cenſeatur, Operisq; ſui æternitatem, hac adſpirante gratiâ, faciliùs conſequatur.

Medicus pro Medico vota effundo, non irrita futura, qui Medicos benignè ſemper Ratisbonæ habitos recordor. Uti enim,

enim, cum Romanis, Medicaſtros, gentem perfidam & impoſtoriam, Veſtris è finibus, tanquam peſtem Civitatis præſentisſimã, quàm longisſimè amotos cupitis; ita bonis, maximè neceſſariis, & Reipublicæ benè conſtitutæ, ſano Platonis judicio, teſtibus indubitatis, abundare, eosq; favore complecti, non ultima VOBIS cura, facundiori calamo celebranda, habetur.

COELESTIS ARCHIATER Reipublicæ incremento, Familiarum ornamento & Medicinæ ſolatio diutisſimè VOS ſoſpites porrò atque incolumes conſervet! Scrib. Aug. Vindelic. A.C. MDCLXXX. Menſ. Novembr.

Nobilisſimarum Amplitudinum
Veſtrarum

Cultor devotisſimus

Lucas Schröckius, Luc. fil. D.

LECTORI BENEVOLO

SALUTEM!

EA eſt Nobil. atque Exc. D. D. JOH. GEORGII VOLCKAMERI, Archiatri Norimbergenſis, S. R. I. Acad. Naturæ Curios. Adjuncti meritiſſimi, & Medici omni laude majoris, in omnem Literaturam, & Medicam inprimis amor atq; propenſio, ut, quæcunque ad vitam humanam ab interitu vindicandam, inque optato tranquillitatis ſtatu conſervandam & exornandam faciunt, ſtrenuam ſemper iis operam impendat. Cujus non exiguum ſpecimen in Libello hoc luci publicæ dicando exhibuit; quem utpote ſui juris factum cùm ante triennium beato Welſchio eundem in finem communicâſſet, poſt hujus non multò poſt ſubſecutum obitum, mihi totum obtulit, utque typis eum exſcribi curarem, aut etiam Scholiis quibusdam adaugerem, auctor exſtitit. Cui magno meo Patrono & Collegæ quidquam denegare cùm haud ſuſtineam, eò lubentiùs operam illam in me ſuſcepi, ac Obſervationes haſce Hellwigianas, tum quas ipſe Auctor Scholiis jam illuſtraverat, tum reliquas, ob inſperatum è vita diſceſſum nudas quas reliquerat, additamentis nonnullis auctiores reddidi, conſimiles modò obſervationes indicando, modò easdem explicando, modò etiam qualemcunque aliam, prout occaſio & genii admittebat facilitas & libertas, ſcribendi occaſionem captando. Quod ſi interdum à B. Auctoris, aliorumve me doctiorum opinione deflexiſſe calamum meum, deprehenderis, in libera natum & nutritum Republica, Artium quoque ipſo nomine liberalium ſtudioſum me eſſe recordaberis,

ris, qui absque alterius injuria, ea in temporum felicitate, quâ, quid ſentiamus, liberè edicere licet, meum non minùs animi ſenſum liberè exponere volui. Nomina verò eorum, qui Obſervationibus hiſce anſam morbis ſuis & infortuniis dederunt, in MSto licet utplurimum expreſſa, reticere majori ex parte malui, ne quisquam iſta præter voluntatem ſuam propalata, conquerendi ac indignandi occaſionem capere poſſet; præſertim cùm, talia reſcire, parum, imò nihil ad rem conferat, & fidem nihiloſecius tum D. Auctorem noſtrum, tum me quoque facilem apud Te impetraturum, penitus confidam. Ipſe D. Hellwigius quis fuerit, ex vitæ hiſtoria, quam iterum benevolentiæ VOLCKAMERIANÆ debes, uberiùs jam cognoſces, atque beatis Manibus, utilitati Tuæ & delectationi faventib⁹, gratioſo adplauſu, Lauream, à Natura & Arte Ei debitam, nectere
ſtudebis.

VITA HELLWIGIANA.

JOHANNES HELLWIGIUS, Phil. & Med. Doctor, Archiater Ratisbonenſis nobiliſſimus, in Illuſtri S. R. I. Libera Civitate, Noriberga, A. C. MDCIX. 29. d. Julii, Patre Dn. Chriſtophoro Hellwigio, Mercatore, numeroſiori ibidem Senatui adſcripto, natus fuit. Poſtquam prima ſtudiorum ſuorum rudimenta per triennium Erffurti poſuerat, A. MDCXXVII. Altdorffium profectus, ſub ductu Virorum Clariſſimorum Dnn. Kobii, Brunonis, & Mauritii in Philoſophia, ut & Illuſtris Medicorum Trigæ, Caſp. Hoffmanni, Georgii Nösleri, & Ludovici Jungermanni, in Arte medica tantos fecit profectus, ut Αλάφβητον ιατρικὸν, h. e. Brevem totius Medicinæ Hippocrateæ in paucas Tabellas redactæ delineationem à ſe inventam, Præſtrenuis & Nobiliſſimis Dnn. Georgio Volckamero, & Andreæ im Hoff, Duumviris Reipubl. Norimbergenſis dedicârit. Unde impetrato, unà cum ampla remuneratione, ſtipendio Aicholziano, per Tubingam, Argentoratum abiens, ſemeſtrem inibi moram traxit. Dehinc per Baſileam, Genevam, & Lugdunum, Montiſpelium adiit, favoreque Excellentiſſimorum ibidem Profeſſorum, Ranchini, Bellovallii, Delort, Scarpii, aliorumque potitus, per biennium ſtudiis ſuis medicis ſtrenuè operam dedit. Quam Academiam A. MDCXXXIII. relinquens, ex Marſilia, in ſocietate immortalis famæ Athanaſii Kircheri, per mare Genuam adpulit, perque Placentiam, Mantuam, & Veronam, ad Antenoream Urbem iter flexit; ubi paulò poſt Conſiliarii, uti ibi vocant, Bohemici & Bibliothecarii inclytæ Nationis Germanicæ munere condecoratus,

ctus, ac celeberrimorum ibi Virorum, Benedicti Silvatici, Joh. Dominici Salæ, Julii Salæ, Fortunii Liceti, Johannis Veslingii, Jacobi Philippi Thomaſini, Johannis Rhodii, &c. familiaritate impetratâ, A. MDCXXXIV. in Doctorem Philoſophiæ & Medicinæ ab Exc. D. Jul. Sala, cum adplauſu, fuit promotus. Defuncto interea Patre, domum properare coactus, per Forolivium, & Carniolam, Salisburgum, ac Ratisbonam, Menſe Septembri ſalvus & incolumis in Patriam rediit, eoque adhuc anno in famigeratiſſimum inibi Medicorum Collegium fuit receptus; ſequenti autem Nobiliſſimam Virginem, Schlüſſelfelderiam conjugio ſibi ſociavit; qua cum ſterili per ſexennium in matrimonio ubi vixiſſet, hâc piè defunctâ, A. MDCXLIII. ad ſecunda vota cum lectiſſima Virgine, Kochiâ, tranſiit, non infœcunda, duorum utpote filiorum, & quatuor filiarum pater ſalutatus; Cujus tamen obitum quatuor, bina utriusque ſexûs germina anticipârunt. Cæterùm Noribergæ dum vixit, vitæ inculpatæ honore fruebatur, erga DEUM devotus, in Collegas officioſus, & decumbentibus inſigniter humanus ac verè gratioſus. Primus ille in Societatis Collegii ſui Pentagono, quod pro felicibus praxeos ſuæ incrementis An. MDCXLVII. laudatiſſimo conatu inſtituit nunquam ſatis laudatus D. D. Jo. Georg. Volckamerus, cum Excell. Dnn. Gregorio Hillingio, Henrico Magno Heigelio, & Chriſtophoro Nicolai, Profeſſore Altdorfino, agmen duxit, atque frequenti & amicâ inter eos converſatione pro ægrorum commodis impigro ſubinde animo excubuit. Anno verò MDCXLIX. Menſ. Septembr. ex conſilio quorundam Fautorum, Ratisbonam ſe contulit, ibiq; praxi invigilavit medicæ, maximo tam indigenarum, quàm exterorum cum adplauſu, non Magiſtratui tantùm Ampliſſimo & Civibus gratus, quàm à Principibus, Prælatis, aliisque diverſorum Statuum Magnatibus adamatus & honoratus; ſalutis omnium nunquam immemor, dies noctesq; ſollicitam pro iis curam geſſit; tempus nunquam inutiliter

liter

licet conſumens, ſed vel concharum more, Muſæo adhærens ſuo, vel ſeriis Auctorum optimorum lectionibus, vel jucundis per literas converſationibus, vel ſuorum ægrorum commodis horas impendens; Antiquitatum curioſus ſpectator, rariorum ſedulus collector, & naturalium impiger inquiſitor. Magnum proinde ſui deſiderium paſſim in animis hominum reliquit, & Doctiorum choro luctum immiſit, poſtquam A. MDCLXXIV. 24. d. Maji, de virium proſtratione conqueſtus, lecto ſe dare coactus, & Collegæ ſui honoratiſſimi, Exc. D. D. Heigelii doctâ ope uſus, quâ 31. d. ejusd. menſis ſe reſtitutum iri, plenior ſpes adfulgebat, fato licet contrario, 2. d. Junij poſt meridiẽ interiore æſtu inquietatus, deficientibus paulatim viribus, aliàs jam imbecillibus, 4. d. Junij animam ſuam, placidè quidem & beatè, exhalavit. Erit itaque memoria Ejus in benedictione, nominisque fama in hoc quoque Libello, ut ſperamus, cum laude perennabit.

E P I G R A M M A.

Nob. D. JO. JACOBI KERSCHERI.

Mors ex Hellvigio *ſibi viſa egiſſe triumphum,*
Et rata de tanto nil ſupereſſe Viro
Obſtupuit, Schroeki, *quum, lucis quamlibet orba,*
Te vidit nobis reſtituiſſe Senem,
Quis novus hic, muſſans, mos eſt? Podalirius iſte
De vivis aliquem, credo, perire ſinat,
Qui (tanta eſt homini doctæ fiducia mentis!)
Defunctos etiam diripit arte meos.

OBSER-

OBSERVATIO I.

Infans acephalus.

ANno à Chriſto nato 1534. *die tertio Februarij infans monſtroſus Noribergæ natus erat, qui acephalus fuit, naſo, oculis, ore, & auribus carens, ſed in apice trunci duo tantùm foramina, itemq; alibi duodecim digitos in manibus & duodecim in pedibus habens, ſpirans adhuc poſt partum illicò baptiſmum accepit.* Ex Chronico MSto Noribergenſi.

SCHOLION HELLWIGIANUM.

FIncelius in appendice Chronic. de prodig. & oſtent. annotavit monſtrum acephalon Witebergæ Anno 1525. natum. Ambroſius Paræus retulit lib. 24. cap. 6. Villæ Francæ in Vaſconia Anno 1562. ortam eſſe puellam ſine capite, habentem aures in ſcapulis, naſum verò inter eas in ſpina dorſi, qui proboſcidem parvam referret, oculos in humeris retrorſum aſpicientes, & linguam in apice trunci, ubi collum provenire debuerat, ſurſum erectam. Fortunius Licetus lib. 2. de monſtr. natur. cap. 2. meminit ex Cteſia Gnidio, Roxanem Cambyſis uxorem peperiſſe puerum capite carentem; & cauſam hujus monſtri innuit eod. libr. c. 3. eſſe defectum materiæ ſpermaticæ & ſanguineæ, ex qua membrum magnum deficiens determinatè progenerari debuerit. Alioquin in rerum natura ejusmodi homines acephalos inveniri in Æthiopia verſus Auſtrum, & in Aſiæ ſylvis, atq; Blemmios vocari, Auctores varii ſcribunt, itemq; Navigationes Hollandorum adteſtantur.

ADDITAMENTUM SCHRÖCKII.

COpioſus ſatis eſt Auctor in Monſtrorum variorum deſcriptione, quorum generationem nec mirari hactenus, nec rimari ſatis humanus potuit intellectus. Quæcunque verò à Doctis eum in finem, laudabili aliàs conatu, ſcripta legimus, plenariè neutiquam ſatisfaciunt. Interea illas Naturæ exorbitantias, defectus, & aberrationes, quamvis exactior talium notitia parum Medicis adferat emolumenti, ne ignorare tamen eas videamur, utq; in oblectamentum mentis cedant, dum vel in communi vita, quæ rara ſunt, delectare ſolent, juvabit pauliſper intueri. Nec poſtremum hoſce inter Naturæ errores locum præſens obtinet Infans acephalus, raritate maximè ſeſe commendans. Circa quem dubitare mihi liceat: An, cùm ſpirans poſt partum illicò baptiſmum accepiſſe ſcribatur, ſpirituale illud lavacrum ipſi adhiberi absque ſcandalo potuerit? Licet autem hoc Theologico in foro agitandum potius videatur, ad Medicos tamen, quibus humani corporis conſtitutionem tradere, & ſingularum partium uſus decernere competit, non minùs pertinet; cùm absque partium corporis notitia vix ac ne vix quidem determinari queat. Hinc multos præſtantes Medicos tali quæſtioni: num ſcilicet monſtra ſint baptizanda? ingenium calamumq; commodâſſe ſcimus; quos inter eminent Exc. D. D. Laurentius Strauſſius in Reſolut. caſûs Muſſipont. atque apud Eundem Cl. Antonius Deuſingius in Conſiderat. phyſico-anatom. fœt. Muſſip. ſect. 2. & Ejusdem Secundin. detect. ſect. 12. & 15. Paulus Zacchias quæſt. medico-legal. Tom. 2. lib. 7. tit. 1. quæſt. 1. §. 10. & ſeqq. & quæſt. 4. ac 5. Fortunatus Fidelis de relat. Medicor. lib. 3. ſect. 8. cap. 1. & ſeqq. Caſpar à Rejes Elys. jucundar. quæſtion. camp. quæſt. 45. & Michaël Boudevvyn Ventilabr. medico-theolog. part. 2. quæſt. 21. Mihi ſanè, rectiùs hoc in caſu omitti debuiſſe, probabile videtur. Objectum ſiquidem Baptiſmi, ſi pri-

primam ejus inſtitutionem conſideremus, ſolus eſt homo, nobiliſſima illa creatura, ex corpore organico & anima rationali compoſita, cui Lavacrum hoc regenerationis & ſanctificationis unicè prodeſſe poteſt. Iſtam autem acephalam molem animâ rationali fuiſſe præditam, & conſequenter verum exſtitiſſe hominem, maximè dubito. Uti enim facultatum principum ſic dictarum, ſive ſenſuum internorum organum primarium & proximum unicè cerebrum eſſe, nemo ſenſatus facilè negabit: ita etiam, cerebro omnimodè quod deſtituitur corpus, facultatum principum particeps eſſe nequaquam poteſt; abſentibus autem hiſce, & in ſpecie phantaſiâ, qua tanquam objecto ratio utitur, quis certò perſuadere ſibi queat, in corporeo iſto trunco nobiliſſimum illum ſpiritum latitâſſe? Aliàs ſanè otioſus præſtantiorem actionem, quæ in intellectu [à quo ſumma hominis perfectio dependet, & per quem, ne animalibus brutis adnumeretur, obtinet, verbo: per quem homo eſt,] conſiſtit, exercere nullo modo unquam valeret, ſicq; fruſtra (ſed Deus & Natura nil faciunt fruſtra,) inhæreret. Hinc non inepti ſunt illi, qui intellectûs ſeu ratiocinationis ſedem in cerebro conſtituunt, Animamq; rationalem in cerebro, mediante ſcilicet imaginatione, operationes ſuas exercere, ſtatuunt; ideoque defectus, quos ratio læſa in amentia, ſtultitia, delirio &c. incurrit, cerebri læſionem inſequi; & ab hac remota, rationem etiam ſibi reſtitui, Medici obſervant. Caruiſſe verò monſtrum hoc acephalum cerebro, admodum credibile eſt, cùm capite, utpote cerebri domicilio, caruerit. *Quotquot occurrunt*, ſcribit Exc. D.D. Jo. Jac. Wepferus in Hiſt de puella ſine cerebro nata, Ann. III. Ephem. German. Curioſ. obſ. 129. *ἀκέφαλοι apud Scriptores, tot monſtra vel cerebro planè deſtituta, vel imperfectiſſimum nacta fuiſſe, non ſine cauſa exiſtimandum eſt.* Aſt fortè in pectore latitâſſe illud, quis objiciat. Sed eâdem facilitate, qua id adfirmaretur, negari etiam,

iam, inprimis cùm nullum ejus indicium externè comparuerit, poſſet, ſicque nihil certi determinare liceret. In qua equidem incertitudine ſacrum iſtum actum meritò debere omitti, cenſendum erit. Ubi ſanum admodum eſſe Deuſingii judicium, exiſtimo, dum centum partus admodum monſtroſos, utut fortè animâ rationali præditos præter opinionem, à ſacri Baptiſmatis fonte arcere, ſatius eſſe, arbitratur, quàm uni non vero homini, ſeu rationali animâ carenti ſacramentum decernere, ac brutum aliquod animans inter Dei fideles ac ſalvandos reputare; præcipuè cùm tales, monſtroſi quamvis, fœtus ratione ſi eſſent prædi-ti, àque fidelibus nati parentibus, æquè ſint in Dei fœdere, nec ſacri iſtius ſigilli adplicatio temerè aut ex contemtu omittatur. Liberam tamen hac de re cuilibet relinquo ſententiam; & ad aliud potiùs dubium me converto: An videlicet duodecim illi in manibus, totidemque in pedibus digiti monſtroſam hujus acephali fœtûs naturam adauxerint? Quod utique adfirmandum eſſe autumo. Quamvis enim inter exquiſitè ſic dicta monſtra, & in quibus nulla aut non adeo evidens ineſt humanitatis nota, luxurians digitorum numerus haud recenſeri debeat, cùm tamen contra conſuetum Naturæ ordinem producatur, ſicque inter errata ejus locum mereatur, eoipſo ſanè, monſtroſi quid in ſe continere, eluceſcit. Cui tamen durior monſtri adpellatio diſplicet, morbis organicis, qui in numero vocantur, per me adnumeret; cùm ſit res p. n. & actionem manûs quodammodo lædat. Similia cæteroquin ſex pluriumq; in manibus pedibusve digitorum exempla, præter illud in Sacro Codice Gygantis 2. Samuel. 21. ℣. 18. & 1. Paralipom. 21. ℣. 6. producunt Ephemerides German. Curioſ. Ann. III. obſ. 224. & 299. Ann. VI. obſ. 118. Nobil. Thom. Bartholinus centur. 3. epiſt. med. 92. & Actor. Medicor. Hafniens. Volum. 2. obſ. 32. Excell. D. Laurent. Strauſſius l. c. Cl. D. Jo. Nicol. Binningerus cent. 4. obſ. 94. D. Theo-

Theodor. Kerckringius Spicileg. anatom. obſ. 22. Jo. Anton. Lindanus Medicin. phyſiolog. cap. 14. art. 15. Petr. Borellus cent. 1. hiſt. & obſ. rarior. phyſ. medic. 85. Philippus Salmuth cent. 2. obſ. 31. Felix Platerus lib. 3. obſervat. Dominic. Panarolus pentecoſt. 3. obſ. 48. Conferatur itidem Johann. Neuhofii deſcriptio Regni Sinici, cap. 6. Mihi etiam integra familia in nobis vicino nota eſt pago, in qua nobilioris qui ſunt ſexûs, omnibus ferè duplex in pedibus pollex luxuriat. Tandem ut & hoc ſubjungam, in rerum natura homines dari acephalos, quod quidem adfirmat Auctor noſter, ſalvis beati Viri manibus, meritò negatur. Nec fortè ullus noſtrâ hæc ætate credulus adeo erit ex Literatis, qui commentum id eſſe merum, ampliùs dubitet. Quare figmentum iſtud vocat Ill. Bartholinus Orat. 7. natum ex cerebri capitisq; humani majeſtate; ſcilicet *carebant illi*, ſcribens, *vel Rege, vel prudentiâ, quia, ſicut in Satyris, nihil in illis cultum, nullæ habitantium ſedes, veſtigia humana nulla, ſolitudo in diem vaſta & ſilentium vaſtius. Quàm vellem hanc hominum nationem beneficio temporum penitus exſtinctam!* &c. Aliam, unde originem iſta duxerit fabula, Borellus cent. 3. hiſt. 3. rationem edocturus, à Fratre, qui Belgii uniti Legatus Orbem curioſè peragravit, obſervatum refert, Viros eſſe tantùm, qui capita intra humeros, quos attollunt, recondere ſoleant, & cùm magno delectentur capillitio, caput cum pectore quaſi confundi, ſicq; acephalos videri. Et cent. 4. obſ. 78. ex Viri integerrimi teſtimonio, homines eſſe refert, altiſſimis humeris præditos, adeo ut capita ferè in humeris ſepulta habeant, qui præterea collum breviſſimum & ferè nullum, comasque longas poſſideant, quæ caput cum humeris adeo confundant, ut revera videantur acephali & caput in pectore habere. Singularem, maximèque probabilem rationem Cl. Adamus Olearius in Itinerario Perſico lib. 3. cap. 3. adducit, ac ſimul, tale acephalorum genus in Orbe ſi dare-

daretur, quin ex Hollandorum, Anglorum, & Hiſpanorum longinquis per eum navigationibus jam nobis innotuiſſet, nullus dubitat. Quid autem de Divo Auguſtino dicendum, Serm. 37. ad Fratres in Eremo hunc in modum ſcribente: *Ego jam Epiſcopus Hipponenſis eram, & cum quibusdam Chriſti ſervis ad Æthiopiam perrexi, ut eis Sanctum Evangelium Chriſti prædicarem: & vidimus ibi multos homines ac mulieres capita non habentes, ſed oculos groſſos fixos in pectore.* Aldrovandus quamvis difficile credi hoc poſſe, ſcribat, propter tanti tamen Viri auctoritatem, tales collo carere ſuſpicatur, capite thoraci adhærente. Aſt cùm D. Auguſtinus, capita non habere, expreſsè prodiderit, excuſatio iſta, ſi erraſſet Sanctus Pater, Eum non excuſaret. Quare ſi monſtra haud fuerunt, quod ob multitudinem non videtur veriſimile, errorem ſubeſſe, neceſſe eſt. Non autem genuinum eſſe hunc librum, Exc. D. Wepferus l. c. ubi etiam fabulam hanc de Gentibus acephalis refellit, ex Eraſmo Roterodamo & Baronio notavit. Aliud monſtrum acephalum habent Miſcellanea Natur. Curioſ. Ann. III. obſ. 108. & obſ. 129. pag. 216. nec non obſ. 277.

OBSERVATIO II.

Infantes cum appendice carnoſa in capite.

Anno Chriſti nati 1648. *Noribergæ mulier quædam pepererat puellam cum calvaria penitus plana & depreſſa, ac oculis prominentibus, itemq; in occipitio cum cute carnoſa, quâ tanquam vittâ caput ſuperius contegi potuit.* Ex MS. Chron. Noriberg.

Anno 1664. *Noribergæ Mercenarii cujusdam uxor infantem partu enixa eſt, qui in vertice occipitium verſus, redimiculum cum teniis, ex cute carnoſa concretum, gerebat, biduum vivens.* Ex eodem Chronico.

SCHOLION HELLWIGIANUM.

MOnſtra hæc duo ferè conſimilia vel conformia ſunt. Thomas Bartholinus cent. 4. hiſtor. anat. 90. deſcribit penè conſimiles fœtus in Dania Anno 1660. enatos. Unius fuit quidem forma elegans, ſed in capite deformitas talis : à ſuperciliis enim ad verticem usque caro cruenta figuram phaſeoli, ſeu renum humanorum exactè referens, convexâ parte frontem ſpectante, utrinque ad tempora crinium cirrhi dependebant ; tribus ſuſpiriis editis, natus infans exſpiravit. Alter fœtus magnitudine vix 20. hebdomadum abortum æquabat, oculi tamen juglandibus æquales, frons exigua & propè nulla, quam ſupernè inſtar cincinnorum hinc indè tenelli cingebant capilli. Inprimis verò horrendum aſpectu erat occiput, additamento carneo deforme, quod ſpeciem corollarum referebat, quibus comæ defectum mulieres reſarciunt, intus cruore refertum ; os patulum, utramque dentium ſeriem in gingivis oſtendebat. Cauſam autem horum monſtroſorum fœtuum aut ubertati materiæ, aut imaginationi potius parentum vehementi attribui poſſe, rectè cenſetur, cui & aſſentitur Licetus l. c. de monſtr. nat. c. 42. ac quòd prægnantes pauperculæ, uti Bartholinus loco allegato annotat, accuratiùs viſis lautioris fortunæ (& ornatûs varii) fœminis, ex invidia (vel temerario ludicro in ſpeculo contemplantes) cogitatione intentâ facilè formatricem facultatem ad fœtus caput impellunt.

ADDITAMENTUM SCHRöCKII.

PLures qui deſiderat fœtuum cum excreſcentiis in capite natorum hiſtorias, adeat Miſcellanea S. R. I. Acad. Nat. Cur. Ann. III. obſ. 108. 129. 280. & Ann. VI. obſ. 27. D. Thom. Bartholinum Actor. Med. Haffn. Volum. 1. obſ. 24. nec non Hiſtor. anatom. centur. 1. hiſt. 8. & 55. centur. 6. hiſt. 9. centur. 3.

epiſt.

epiſt. med. 75. & obſervationem 17. D. Petri Pavvii add. cent. 4. hiſt. anat. ejusdem, noſtrum etiam Philippum Höchſtetterum obſerv. med. decad. 7. caſ. 3. & Job. Mekeranum obſerv. chirurg. cap. 7. Talis quoque puellus A. 1662. hîc Auguſtæ natus fuit, magnam carnoſam excreſcentiam in vertice gerens. Alius ab Exc. D. Jo. Jac. Wepfero in Ann. 3. Eph. Germ. Cur. pag. 224. memoratur; quem labem iſtam ab imaginatione materna accepiſſe, ex contemplato ſæpius cum voluptate in Urbe Jenenſi florum receptaculo, cujus ſanè figuram ſatis aptè facietenus referebat, ex ipſa puerpera, cùm monſtroſum illum infantem, ſtudiorum causâ in Academia Salana tum ſubſiſtens, contemplarer, me audiſſe recordor.

OBSERVATIO III.

Hydrocephalus, ſeu Infans cum veſica carnoſa circa ſaturam ſagittalem.

Anno Chriſti nati 1666. die ſeptimâ menſis Martii, Noribergæ uxor J.W.G. textoris ſerici, juvencula & anno præterito nupta, filiolam peperit facie quidem formoſam, ſed capite monſtroſo, in cujus apice circa ſaturam ſagittalem excreſcentia veſicæ inſtar aquâ repletæ, multò major puellæ capite prominuit, rotunda, rubicunda, tactu mollis & pellucida, maculas aliquot habens nigricantes, putredinis accedentis indices, circa radicem cutis apparuit naturalis & piloſa. Tertio poſt die noctu veſica hæc multò quàm ab initio minor, ſponte per veſiculas hinc indè exortas & apertas multum humoris ſeroſi & rubicundi inſtar loturæ carnis exſudavit. Ideò decimâ Martii Fridericus Kuhne, Chirurgus celebris accerſitus, ſtatim hanc veſicam monſtroſam in parte anteriore verſus radicem aperuit, cumq́ mul-

multum humoris ſeroſi inſtar loturæ carnis effluxiſſet, totam veſicam jam ſemiputridam ad cutem usq; naturalem abſcidit, absq; ullo puellæ ejulatu. Digito cavitatis ſuperficiem explorans, ad magnitudinem ovi gallinacei cranium nullum, ſed loco illius cuticulam expanſam reperit. Adhibitis poſtea emplaſtris ſuppurantibus aliisq; remediis convenientibus effecit, ut cutis ad radicem veſicæ abſciſſæ poſita ſenſim abſceſſerit. Infans indè lac quidem maternum ſugens, & pultes pro more comedens, valdè tamen debilis, die decimâ deniq; vitæ ſuæ mortem obiit. Poſthinc accuratiori factâ inſpectione in loco concavo excreſcentiæ abſciſſæ ſubtus cranium nullum, ſed meninges apparuêre, nec intus in latere dextro cerebrum, ſed loco hujus carnoſa & glandu-loſa moles, in ſiniſtro verò latere cerebri ſubſtantia naturalis inventa fuit. Ex communicatione D. Pauli Freheri.

SCHOLION HELLWIGIANUM.

PRactici communiter ſtatuunt, Hydrocephalum eſſe tumorem ſeu collectionem humoris ſeroſi vel in toto capite, vel in parte aliqua capitis, ſcilicet nunc inter cutem & pericranium, nunc inter pericranium & cranium, nunc inter cranium & cerebri membranas, nunc inter membranas & cerebrum, itemque Veſalio atteſtante lib. 1. de corp. human. fabric. cap. 5. & Fabricio Hildano cent. 1. obſ. 10. in ipſa interdum cavitate cerebri. Cauſam autem hujus morbi conſtituunt duplicem: internam, nempe cerebri calorem debilem, cùm cerebrum nimis refrigeratum ac humectatum, alimentum rectè elaborare, vel humores ab inferioribus partibus transmiſſos diſcutere nequit, vel cùm vaſa capitis rareſcunt, & aquoſam illam ſubſtantiam, quæ ſanguini miſta, in locum aliquem effundunt; externam cauſam atque evidentem, plagam ſeu contuſionem, quæ præſertim ab Obſtetricibus fœtui in partu, vel alibi rudiùs contrectato & appreſſo capite, infertur. Indè morbus hic in infantibus, quàm in

in adultis, ob calvariæ teneritatem, frequentior, periculoſior, ac utplurimum letalis. De diagnoſi, prognoſi, & curatione hujus affectûs latè ſatis ſcripſerunt Daniel Sennertus lib. 1. Prax. part. 1. c. 28. & Ambroſius Paræus lib. 7. Oper. chirurg. c. 1. Hydrocephalum noſtrum in utero ex interna cauſa ortum ſuum habuiſſe, hiſtoriæ ſeries demonſtrat, ac paucos dies vixiſſe. Alioquin cognovi Ratisponæ uxorem cujusdam vigilum Præfecti, temperamenti frigidi & humidi, corporis obèſi, ferè quadragenariam, quæ ſæpius ſingulis penè annis, accreſcente Lunâ, calvariæ ſuturis ſe dilatantibus, & adaucto capitis tumore, hydrocephalæam ſingularem patitur, ſed malo huic maturè hydragogis, præſertim gargariſmate quodam certo occurrit. Duorum hydrocephalorum etiam meminit Thom. Bartholinus obſervat. anatomic cent. 1. obſerv. 28. Curationem & anatomiam hydrocephali ab Alhardo Hermanno Cummio conſcriptam lege in Miſcellaneis Anni primi Academ. Naturæ Curioſor. obſ. 46. & 47. Nicolaus Tulpius habet etiam lib. 1. obſervat. medicar. c. 25. hiſtoriam hydrocephali, ac ejus curationis infelicis. Jo. Petrus Lotichius lib. 2. conſil. & obſervat. medic. capit. 1. obſ. 7. refert, ſibi Anno 1633. Mindæ puellum ejusmodi ſemeſtrem conſilii causâ oblatum fuiſſe, ſed noluiſſe quicquam tentare, ac ſub prognoſticô illum dimiſiſſe.

ADDITAMENTUM SCHRÖCKII.

OMnis morbus monſtroſi quid in ſe continet, cùm præter Naturæ ordinem & intentionem generetur. An verò Hydrocephalus propriè ſic dicta inter Monſtra referri queat, meritò dubitatur. Communiter non monſtrorum, ſed morborum in catalogo ponitur; & Illuſtr. Thom. Bartholinus in tract. de Cometis, abortum Helſingorenſem hydrocephalum, quem pro monſtro vulgus habuerat, morbis, non monſtris, adnume-

numerandum fuiſſe, decernit. Hydrocephalus utique, dum non niſi hydrops capitis exſiſtit, ſemper morbus eſt. Quandoque tamen revera monſtrorum numerum augere, probabile eſt. Id quod patebit, ſi monſtri definitio ei adplicetur, quod, juxta Licetum, alioſq;, eſt Vivens ſubcœleſte, membrorum conſtitutione enormi, videntibus horrorem cum admiratione incutiens, rarò admodum naſcens, ex ſecundario naturæ inſtituto genitum, propter aliquod impedimentum in principiis ſuæ conformationis. Fœtus enim, cujus caput ab ingenti ſeri copia in immenſam molem extenſum eſt, deformi illo & improportionato capite, videntibus, non tantùm vulgo, ſed & Medicis horrorem cum admiratione facilè incutere poteſt, inprimis cùm rarus admodum ſit, paucisq; Medentibus videre tales contingat, ac fœtum magnoperè deformet. Cæterùm ex ſecundario Naturæ inſtituto ſemper generatur, varias ob cauſas, interdum etiam propter aliquod impedimentum in principiis ſuæ conformationis. Hydrocephalum itaque & morboſum, & interdum quoque monſtroſum dari, dici poſſet. Ille non tantùm embryonem, ſed & adultos invadere valet, collecto nimirum p. n. in capite aquoſo humore; præterea intra cranium quandoque conſiſtit, latetque, qualem Petr. Borellus cent. 1. hiſtor. 38. deſcribit; unde nec deformis nec horridus videntibus adparere poteſt; interdum in fœtu ſine errore formatricis in utero, abundantis, & vel ibi ſponte ſtagnantis, vel ob externam aliquam violentiam, uti percuſſionem, caſum &c. cumprimis in partu contrectatam duriùs & compreſſam ab incauta vel imperita obſtetricis manu tenellulam calvariam, collecti ſeri ſoboles eſſe poteſt. Hic autem, ſcilicet monſtroſus Hydrocephalus quòd detur, ipſe Bartholinus laudatus non planè contradicit, dum à morboſo illo Helſingorenſi actionem ſympatheticam excludi haud poſſe, cum Cl. Friderico Hammerico adfirmat; hæſiſſe enim, refert, mulieri hoc fœtu gravi-

dæ in fixa memoria infortunium, quod pridem ejus culpâ infanti Chirurgi acciderat, qui in lebetem ferventis aquæ demerſus paulò poſt exſpiraverat. Sic etiam Guil. Fabricius Hildanus cent. 5. obſ. 3. puellam ætatis undecim aut duodecim circiter annorum, ob intempeſtivam curioſitatem, continuò circa infantulum hydrocephalicum fuiſſe verſatam, caputq; ejus tractâſſe, commemorat, tam altè memoriæ ejus ideâ hydrocephali impreſsâ, ut aliquot poſt annos viro cùm nupſiſſet, toto geſtationis tempore monſtroſum illud caput continuò ferè ante oculos ipſi obverſaretur, fœtumq; pariter hydrocephalicum enixa fuerit. *Imaginationem itaq; hujus mali præcipuam fuiſſe cauſam, apud me*, ſic Hildanus ſubjungit, *nullum eſt dubium.* Idem confirmare poſſet hiſtoria à Levino Lemnio lib. 1. de occult. natur. miracul. cap. 4. deſcripta, ſi internam etiam capitis, ſtupendâ magnitudine, à phantaſia matris, ex conſpecta hydrocephali pictura attonitæ, deformati conſtitutionem traderet; ubi quidem ſerum copioſum non defuiſſe, ſuſpicari licet. Et cur phantaſia, carnoſas aliasque præternaturales excreſcentias embryonis capiti ſæpius adnectens, humoris ſeroſi curſui uberiori ad partem illam pariter anſam præbere nequeat? Quidquid ſit, præſens caſus, ob miram, quæ poſt mortem comparuit, capitis conſtitutionem, monſtra inter referri utique poterit.

OBSERVATIO IV.

Infantes brutorum capite præditi.

ANno nati Chriſti 1633. *Monſpelium quæſtûs gratiâ ſpectatum attulerat quidam fœtum demortuum, qui menſe Februario hujus anni in pago quodam Galliæ Narbonenſis in lucem prodierat, ſexûs maſculini, habens præter ætatis naturam brachia valde longa & porrecta, ſimulq; caput felis genuinum, humano capiti in nullo congruens.* Ex obſervat. propr.

Anno 1664. in Vico quodam propè Noribergam infans natus fuit cum capite, galli Indici roſtratum caput aſſimilante, horribilis adſpectu. Ex comm. anonymi.

SCHOLION HELLWIGIANUM.

TAmetſi Licetus lib. 2. de monſtr. nat. cap. 56. 66. 84. ſibi contradicere videatur, ajens, monſtri diverſi generis animalium membra obtinentis primariam cauſam eſſe parentum phantaſiam, vel imaginationem vehementem, cùm ſeu in ſomno, ſeu in vigilia imagine alicujus animalis visâ, occaſio tribuatur virtuti formatrici monſtrum efformandi varias diverſi animantis partes in corpore geſtans: attamen alibi eod. libro cap. 79. vult cauſam ejusmodi fœtûs monſtroſi eſſe, cùm parentum ſemen ex quacunque cauſa, aliquâ ſui portione à natura priſtina degeneraverit, tantusque ſit à priſtino ſtatu lapſus, ut ex ſubdita ſibi materia fœtum congenuum omninò conſtituere nequeat, cogitur aliquas in fœtu partes, quibus conſtruendis portio ſeminis degener ſpeciatim dicata eſt, efformare in ſpeciem animalis diverſiſſimi. Et cùm Ariſtoteles dicit lib. 2. de an. unumquodque generans ſubcœleſte in animantium ſerie vivens generare ſibi ſobolem conſimilem, dictum puta de ſimilitudine ſeu identitate ſpeciei eſſentialis & formæ interioris, quæ ſubſtantialis vocatur, non autem de ſimilitudine ſpeciei accidentalis & exterioris formæ, quam figuram vel imaginem dicimus; cauſam quoq; poſſe eſſe hujusmodi fœtûs monſtroſi, diſputat acutiſſimus Licetus dicto lib. c. 60. debilitatem virtutis generantis in ſemine maſculino reſidentis, quæque imbecillitas provenit ab exilitate caloris in ſemine degentis. Nam ſecundùm Ariſtotelem 3. lib. phyſic. omne agens agit, quatenus eſt actu; agens autem imbecille, cùm ſe habet ad validum, ut id quod potentiâ eſt ad id, quod eſt actu, quippe robur omne agendi eſt ab actu, ob idque debile

agens robuſto cedit in operando. Sic eodem Ariſtotele aſſerente ſect.4. probl. 13. & 14. monſtra oriuntur ſæpe à ſemine corrupto in utero, (per corruptum autem ſemen non intelligit putrefactum, ſed in quo languet virtus ſpeciei, & ſola viget generifica,) corruptum autem ſemen alienam habet naturam. His inſuper cauſis annumerat Licetus c. 62. materiæ malam diſpoſitionem aut ineptitudinem, itemque ibidem vitium virtutis alentis, & cap. 64. vitium materiæ alimentaris, cap. 65. morbum, cap. 67. monſtroſos parentes, cap. 68. ſeminum miſtionem à nefaria venere. Exempla habent ejusmodi fœtûs monſtroſi, & quidem Licetus cap. 58. 61. hominis cum capite canino; cum collo & capite anſerino; cum capite equino; cum cruribus & pedibus bubulis; lib. 1. c. 3. cum capite bovino; Jacobus Ruef l. 5. de conceptu human. c. 3. cum capite elephantis; Ambroſ. Paræus l. 24. oper. chirurg. c. 7. cum capite ranali; Joh. Georg. Schenckius libello de monſtr. hum. cum auribus leporinis; Lycoſthenes lib. de prodig. & oſtent. cum manibus & pedibus anſerinis; Thom. Bartholinus hiſtor. anatom. cent. 2. hiſt. 44. cum capite piſcis carpionis; alterius cum capite felis; itemq; alterius cum capite equino.

ADDITAMENTUM SCHRÖCKII.

HUc etiam referendus eſt puellus, capite ſimiam referens, à noſtro Georg. Hieron. Welſchio hecatoſt. 2. obſerv. phyſ. medic. 1. memoratus, necnon quod in Actis Philoſoph. Societat. Regiæ in Anglia A. 1667. M. Jun. Simiæ monſtrum deſcribitur. Ille autem capite galli Indici caput referente præditus infans in memoriam revocat fœtum, quem conſternata prius ex viſis gallinarum Indicarum gregibus mulier quædam Gaudæ in Hollandia pepererat, facie excreſcentiis carnoſis multiformis coloris, galli Indici inſtar, deturpatum, quo de vid. Balduinus

Ronſ-

Ronſſæus de primordiis homin. cap. 10. Ipſe etiam gallus Indicus monſtrorum claſſem effugere haud poſſet, ſi, quod vult Sperlingius lib. 4. Zoolog. phyſ. cap. 13. ex gallo & pavone primò fuiſſet prognatus, ideoque gallopavus nuncupatus. Cæterùm quamvis Auctor noſter in principio Scholii ſui, Licetum ſibi contradicere innuat, dubium tamen iſtud haud reſolvit; paucis itaque monere intereſt, Licetum, licet lib. 2. cap. 56. 66. 84. vehementem parentum imaginationem monſtris originem exhibere poſſe, ſcribat; aliis autem in locis, alias adferat cauſas, hoc ipſo tamen minimè ſibimet contradicere, cùm ab imaginatione omnia oriri monſtra, neutiquam dictis locis contendat, ſed tantùm cauſas inter referri eam pariter poſſe, adſtruat.

OBSERVATIO V.

Infans inſtar leporis excoriati.

A*Nno Chriſti nati* 1641. *Kunigunda, uxor A.K. pepererat monſtrum, quod anteriorem leporis excoriati & dilaniati partem cum capite repræſentavit, calvariâ ſcilicet rotundâ, parvâ, auribus quidem mutilatâ, quarum loco parva foramina aderant, ſed ſupra frontem in medio cum aure oblonga, porrecta, leporina, in ore ſine lingua; curtos præterea habens truncos carnoſos loco brachiorum & crurum, ſine manibus, & unicum tantùm pedem valgum; aliàs ſexûs maſculini.* Ex comm. Paſtoris loci.

SCHOLION HELLWIGIANUM.

CAuſam hujus monſtroſi fœtûs rectiùs imaginationi ſeu phantaſiæ parentum, vel in vigiliis, vel in ſomno, præſertim veneris, conceptusve, aut formationis tempore contingenti, imputari poſſe; cui fortaſſis etiam imbecillitatem virtutis formatricis, vel defectum materiæ naturâ origini aliorum membrorum,

rum, quæ in cætero trunco defuêre, dedicatæ concurriſſe, non inepta conjectura eſt.

ADDITAMENTUM SCHRÖCKII.

REctiùs omninò imaginationi hanc monſtroſi fœtûs productionem, à viſo fortè cum horrore lepore excoriato, vel vehementer etiam concupito animalculo iſto, imputari exiſtimo, quàm alteri alicui obſcuriori cauſæ. Quantas enim phantaſia prægnantium in peregrinis fœtui imprimendis formis obtineat vires, notum eſt omnibus, ita ut omnium monſtroſorum fœtuum effectricem nominare aliqui eam non dubitaverint. Quorum tamen, uti & illorum ſententia, qui eam planè excluſam volunt, neutiquam probari poteſt. Potiorem verò monſtrorum partem illi originem debere, non dubito. Qua ratione autem tantas in fœtu mutationes excitare valeat, fuſiùs Thomas Fienus in eleganti de virib. imaginat. libello oſtendere conatur. Matris videlicet phantaſia, mediantibus animi paſſionibus, deſiderio inprimis & timore, atq; hæ adficiendo humores ac ſpiritus, continuo naturali ad uterum motu accedentes, animæ ſive potentiæ conformatrici fœtûs, ſpecies conceptas ſeu idéas communicat, eamque in opere ſuo naturali turbat ac corrumpit, ut peregrinas iſtas idéas tenello fœtui poſtea imprimere cogatur. Quæ licet abſtruſum illum imaginationis effectum nobis quodammodo manifeſtent, per omnia tamen minimè ſatisfaciunt; multaq; adhuc mirabilia ſacro Natura involucro occultat; quæ nempe & operum & erratorum ſuorum plurima admirari potiùs, quàm imaginari ſatis mortalibus permittit. Cùm verò tam mirandas & ſimul deplorandas in fœtu matrum phantaſia ſignet deformitates, non inane erit utique, ſed gravidis maximè proficuum Medicorum atque aliorum quorumvis prudentiorum conſilium, ne curioſitati ſuæ, aliiſque animi adfectibus frena nimiùm laxent,

cœco impetu ſuo tantam fœtui ſtragem datura. Quæ tamen ſtudiosè quamvis cavendo, ſemper tamen evitare, cùm non ſit earum in poteſtate, ita ut turpi notatam nævo, præter culpam ſuam, parere ſæpe cogantur ſobolem; quid cum monſtroſo tali fœtu agendum, meritò disquiritur? Necanda eſſe monſtra, in Leg. duod. Tabul. præcipi, legem verò iſtam ab Athenienſibus accepiſſe Romanos, apud quos monſtroſi in mare projiciebantur, eamque conſuetudinem jam intermiſſam Conſtantinum Imperatorem, monſtrorum frequentiâ perterritum, renovaſſe, Caſp. à Rejes Elys. jucund. quæſt. camp. quæſt. 45. & Joh. Riolanus diſputat. de monſtro Lutetiæ nato cap. 6. aliique memorant. Hinc Romanorum ſuorum mores L. A. Seneca lib. 1. de ira cap. 15. his verbis expreſſit: *Portentoſos fœtus extinguimus, liberos quoq́, ſi debiles monſtroſiq́ editi ſunt, mergimus.* Quam tamen legem, meliorem in partem interpretandam, & non de omnibus promiſcuè monſtris, ſed illis tantùm, quæ ab hominibus nata nullam humanitatis ſpeciem referunt, accipiendam eſſe, nonnulli contendunt. Aſt hoc, quorum magis intereſt, I. Ctis determinandum relinquere fas eſt. Quod quidem ad ea etiam, nefanda ex venere quæ oriuntur, adplicare in genere nolo: cum illis tamen, parentum innocua aliàs ex imaginatione monſtroſam in naturam quæ degenerarunt, mitiùs agendum eſſe, atque manifeſta abſentis humanitatis ſigna niſi habeantur, abſq; homicidii culpa non poſſe occidi, crederem. Talia verò clam enutriri poſſe, imò debere, vel eam ob cauſam [alias ut omittam] liquet, ne promiſcua eorum oſtentatio, inque publicum expoſitio gravidis aliis terroris, & conſequenter ſimilis in embryone deformitatis occaſio fiat. Hinc mendicos cumprimis, variis ab ortu vel caſu monſtroſitatibus horridos, easque in publicis locis, ad miſericordiam in transeuntibus excitandam, temerè ac impudicè oſtentantes, magnas ſæpe gravidis turbas concitâſſe, legi-

 mus.

mus. Unum omnium teſtem produco incomparabilem D. Thom. Bartholinum, qui Actor. Med. Hafn. Volum. 2. obſ. 1. Hafniæ puellum unâ manu mancum & altero pede curvum ex utero prodiiſſe, memorat, addens: *fortè obviam prægnans Mater mendicantem manu truncatum & pede flaccidum viderat, cujus ſpeciem nec die nec nocte potuit oblivisci*; id quod ſimili, nî eadem ſit, hiſtoriâ Celeberr. D. Olaus Borrichius ibid. obſ. 82. confirmat. Unde quanto prægnantium cum periculo in plateis locisque publicis mendicantes, ſacro morbo obnoxii, vel membris mutili, occurrant, conſiderans Exc. D. Bartholinus, *Utinam*, ait, *his provideretur in rebuspublicis, ne publicè oberrando inficerent mortale genus!* Quare merito ſuo quendam Bavariæ Principem Fortun. Licetus lib. 2. de monſtr. cap. 10. & 11. laudat, quòd feminam bifrontem, vel duobus capitibus, quorum unum ſatis deforme erat, præditam, & mendicando oſtiatim victum ſibi quæritantem, dato viatico, è finibus exire juſſerit, ne illius conſpectu perterritæ prægnantes conſimilia monſtra parerent.

OBSERVATIO VI.

Infans cum capite naturali, ſed corpore plano, ſine manibus & pedibus, inſtar pupæ infantilis.

ANno nati Chriſti 1644. civis quædam Noribergenſis monſtroſum fœtum mortuum in lucem partu dederat, cui caput quidem naturali fuit conforme: corpus verò truncus quaſi rudis, deorſum prorſus planum, ſicuti pupa puellarum lignea; ad latera pendebant brachiola mutilata, cum appendicibus digitorum loco ſex carnoſis, oblongis, ferè ſine metacarpo; infimæ corporis ſeu trunci parti ſimiles appendices fuerunt annexæ, ſine omni crurum ac pedum rudimento: nec ullum ſexûs ſignum apparuit. Ex obſerv. propr.

SCHO-

SCHOLION HELLWIGIANUM.

EJusmodi monſtri cauſam videtur Fortun. Licetus lib. 2. de monſtr. nat. c. 3. attribuere defectui potiùs materiæ originem ſuam trahentis à reſiduo alimenti ſuperabundante nutricatui conſimilium partium in corpore parentum, licet alii debilitati virtutis formatricis illud adſignare volunt. Cùm autem unius rei ſecundùm Logicos poſſunt eſſe cauſæ plures, facilè concedendum eſt, debilitatem virtutis formatricis ac defectum materiæ ſimul hîc concurriſſe. Nec valet hîc, talia monſtra mutila ex parentum phantaſiæ vel imaginationis vi oriri, quum hæc, quantumvis intenſa, vim non habeat detrahendi quicquam materiei generandi conceptûs; nec virtuti generatrici; nec formatrici ſeminis; nec loci amplitudini, uterum nimis, quàm par ſit, anguſtando; nec ſanitati fœtus morbum membrorum conſumtorum procreando: cùm phantaſia vehemens ſolùm valeat figuras & colores partium variare, iterum verba ſunt ſagaciſſimi Liceti l. 2. allegati tract. c. 9. Monſtroſi fœtûs manibus & pedibus carentis mentionem etiam facit Caſp. Peucerus in Teratoſcopia.

ADDITAMENTUM SCHRÖCKII.

REcedere hîc à ſagaciſſimi Liceti opinione, me cogit ipſa, quæ loquitur, experientia, tot exemplis docens, monſtra mutila ex imaginatione parentum, in lucem prodiiſſe. Sufficiet hîc, binis id teſtibus comprobâſſe, Kerckringio ſcil. & Schenckio: Ille obſervat. 64. Spicileg. anatom. infantem occipitis oſſe carentem deſcribit, quem mater octavo jam menſe gravida, ob fractum ex caſu filiæ triennis os occipitis, vehementi conſternatione ceu fulmine icta, poſt octo dies in lucem edidit: Hic in obſervat. ſuis medicin. Medici cujusdam uxorem, ob fruſtum carnis ei à lanione denegatum, tam iracundam fuiſſe redditam,

memorat, ut ſanguis eidem è naribus effluxerit, quem à labris abſterſerat, fœtu poſtea, cui ſupremum labrum defuit, in lucem excluſo. Quamvis caſu potiùs labrum hoc defuiſſe, non vi imaginationis, cenſeat Th. Fienus. *Quomodo enim*, ait, *abſterſio ſanguinis à labro causâſſet defectum labii? cauſare potuiſſet labium ſanguinolentum, ſed non nullum.*

OBSERVATIO VII.

Porcellus monſtroſus & deformi capite.

A*Nno nati Chriſti* 1642. *in oppidulo Noribergenſi* Herſpruk *porca enixa eſt porcellos octo vivos & naturaliter formatos, ac unà cum illis monſtroſum demortuum cum fronte glabra, è qua prominuit cornu carneum, longum, promuſcidis elephantinæ inſtar; non longè infra illud medio in vultu duo oculi erant propè invicem cohærentes in unico tantùm antro conſerti, aſpectu horridi; loco naſi propendebat maſſa carnea gibboſa, incurvata, qualem gallus Indicus ſupra roſtellum aduncum gerit, ſub qua iterum foramen turpe narium loco latuit, roſtro vel ore alioquin hiante, linguâq́ longè exertâ; in maxilla ſuperiore dentes tres, in inferiore duos habuit; aures capiti prorſus, ut in homine, ſtrictim annexæ, ac ſanè non aliter totum caput, quàm veluti pictores Dæmonem delineare ſolent, apparuit. In cæteris membris & corpore perfecto porcello fuerat ſimilis & naturaliter formatus, præter cutem, quæ ut epidermis in homine glabra, abſq́ omni lanugine, vel pilorum veſtigiis.* Ex communicat. civis ibid.

SCHOLION HELLWIGIANUM.

VEluti Natura ſæpiſſimè per ſuas proprias cauſas ludit in generatione rerum naturalium variando & permiſcendo ſpecies, ac indè monſtra varia producit: ſic & Dæmon, tanquam

quam Naturæ ſimia & milleartifex, in generatione & productione monſtrorum ludit, nihil quidem de ſuo adponens, cùm ſit ſubſtantia incorporea, & nullum obtineat accidens materiale, itemq; tota monſtri natura ſita ſit in corpore materialibus accidentibus adfecto; ſed ſolùm naturalia corpora movet de loco ad locum, activa paſſivis applicando, idque in omni animante ſubcœleſti, aut ut Naturæ æmulus illudat, aût homines nimis credulos terreat, & meticuloſos reddat. Cauſæ autem monſtri horribilis & dæmoniformis ſunt duplices; una, imaginatio parentum, quando fœmina tempore coitus cum viro ſub Dæmonis larva perſonato, vel cum incubo Dæmone ſub horribili ſpecie, vel ex ſolo auditu lectuve de natura & deformitate Dæmonis quicquam tale, vigilans aut ſomnians ſibi imaginatur: Altera cauſa eſt, cùm permiſſu Dei Dæmon activa paſſivis applicat, & in alvum ſeu uterum gravidæ cauſas naturales varias afferendo, partes conceptûs in horridam imaginem transformat. Dæmonis etenim vi virtus tum generatrix, tum formatrix in ſemine degens poteſt enervari, vel ſeminis natura aliquâ ex parte in viliorem eſſentiam deturbari, vel virtus fœtus altrix labefactari, ac ejusmodi impedimenta alia afferri; quæ omnia quidem cauſæ ſunt efficientes merè & propriè phyſicæ, Dæmon autem harum duntaxat miniſter, & Dei permiſſione, activa paſſivis apponens, diſpoſitiones ingerendo, impedimenta adducendo & removendo, ſolummodo motu locali monſtrorum cauſas agitat, ſicuti ſubtiliter diſſerit laudatus Licetus l. 2. de monſtr. nat. c. 73. 88. 90. 91. Certè monſtroſum hunc porcellum ſuperiùs deſcriptum præternaturale, & merum opus Dæmonis cooperantis fuiſſe rectè cenſetur: quoniam monſtrum naturale ex ſecundario Naturæ inſtituto genitum ſit propter aliquod impedimentum in ſuæ conformationis principiis. Nam cùm Natura impedita nequit finem optatum omni ex parte conſequi, ac opus perfice-

 re

re perfectum, quod voluit, efficit id, quod poteſt. Ac præcipuè mirandum, quòd porca, cùm octo priùs porcellos vivos, perfectos & naturaliter formatos in lucem dederat, nonum & ultimum demortuum ſub tam horrenda forma enixa ſit. Nec hoc imaginationi tribuendum, quæ non potens eſt, præſertim in brutis non tam intenta, ut virtuti generatrici & formatrici quicquam ſubtrahat aut addat, ſed tantùm figuras & colores variare valeat; ſed potiùs cooperationi Dæmonis adſcribendum, qui ex Dei conceſſu vim generatricem & formatricem malignè diſturbat, ac ejusmodi monſtrum horribile in Naturæ illuſionem, vel in hominum terrorem & metum producit. Exempla monſtri dæmoniformis ex partu humano habent Cornel. Gemma lib. 1. Coſmocrit. c. 6. Münſterus in Coſmograph. Cardanus lib. 12. de ſubtil. Ruef lib. 5. de concept. hum. c. 3. Paræus l. 24. c. 4. oper. chirurg. Thom. Barthol. centur. 2. hiſt. anatom. 80.

ADDITAMENTUM SCHRÖCKII.

PAulò liberiùs, ac decebat, monſtroſa hæc porcelli productio, merum dæmonis opus vocatur. Nec enim, ubi magnum aliquem errorem, qui à conſueta aliàs corporis conſtitutione multùm recedit, Natura perpeſſa fuit, dæmoni ſtatim is debet adſcribi. Faventiorem potiùs in partem monſtroſos iſtos interpretari decet fœtus, ubi præter deformem figuram, prægnans alia de dæmone cooperante ſuſpicio deeſt. Et quamvis Civis ille, qui obſervationem hanc Auctori noſtro communicavit, aliive ejus Concives, rudiori fortè è plebecula, inſolitâ porcelli facie perculſi, ſatanicam ſe videre larvam, ſibi perſuaſerint, Eruditis tamen alia meritò mens eſſe debet; quibus nempe rariora Naturæ portenta penitiùs intueri incumbit. Vulgus ſanè, ubi à conſueto ordine aberrantia, nec priùs à ſe obſervata Naturæ peccata occurrunt, mox ea in auctorem ſatanam ejusq;

man-

mancipia referre ſolet, monſtroſo tamen ſuo de his monſtris judicio ipſe monſtrorum numerum adaugens. Luculentum hujus exemplum in Celeb. D. Theodori Kerckringii Spicileg. anat. obſ. 23. occurrit; monſtrum videlicet, quod cacodæmonis picturæ quàm hominis figuræ ſimilius vocat Auctor, à femina poſt varias animi graviſſimas perturbationes excluſum; illudq; diabolum, non hominem eſſe, mox conclamarunt mulierculæ. Pictoribus porrò per me fingere, quod libet, & ſpiritum immundum miro phantaſiæ ſuæ luſu delineare, quantum placet, liceat. Nobis tamen non eadem eſt fingendi libertas; nec circumſtantia ulla hac in hiſtoria adfertur, quæ indocti vulgi decreto aliquam probabilitatem conciliet. Nec etiam ratio, quam D. Auctor adnectit, quidquam evincit, ſed etiam pro me militat. Si enim dicam, Naturæ in hoc porcello conformando, aliquod impedimentum accidiſſe, ſicque impeditum non potuiſſe optatum finem omni ex parte conſequi, nec opus, quod voluit, perficere perfectum, ideoque effeciſſe id, quod potuit, ſolidi quidnam opponi queat, haud video; adeoque juxta Auctorem noſtrum, non præternaturale, ſed naturale hîc habebimus monſtrum. Aſt mirandum, quòd porca poſt excluſos octo vivos, perfectos & naturaliter formatos porcellos, nonum tandem horrenda ſub forma enixa fuerit. Utique res mira eſt & rara, non tamen, quæ ſupra naturam ſit. Plures fœtus monſtroſos cum aliis naturaliter ſe habentibus, absque ulla cauſæ ſupernaturalis ſuſpicione, ex uteris prodiiſſe legimus. Inprimis monſtrum illud porcinum, quod Ill. Th. Bartholinus Volum. 1. Actor. Medic. Hafn. obſ. 24. deſcribit atque delineatum exhibet, & poſt ſeptem alios ſui generis benè formatos porcellos, à ſcrofa Helſingoræ editum fuit, præter reliquas corporis deformitates, calvum etiam & glabrum, huc referendum erit, à prudentiſſimo tamen Viri iſtius ſummi calamo talem in modum non magis de-
for-

formatum. Nec firmum denique eſt, quod pro ſententia ſua ſtabilienda profert, dum imaginationem, præſertim in brutis, non tam intentam eſſe, decernit, ut virtuti generatrici & formatrici quidquam ſubtrahat aut addat; quod tamen ei competere, longè eſt certiſſimum. Imò poſſe phantaſiam in generatione fœtûs aliquid addere, ipſe Auctor in ſchol. ad obſerv. II. fatetur. Subtractionis autem exempla plurima adduci poſſent; ſufficiant jam duo illa notabilia, quæ Ill. Digbæus in Orat. de pulv. ſymp. refert, gravidæ nimirum, quæ prohiberi haud potuerat, quò minùs miſerum infantulum alicujus feminæ peregrinæ ſine brachiis natum, viſum iret, ſed expleto ad pariendum tempore, ſimile monſtrum pepererat; & alterius, malefici decollationem videre geſtientis, maximum tamen indè in terrorem conjectæ; unde mox doloribus partûs oppreſſa, infantem in lucem ediderat, capite à collo detruncato, non aliter ac ſi miſerum infantis corpus jam nunc gladio à carnifice percuſſum fuiſſet; cum quibus conferantur tria illa ab Helmontio tract. de inject. material. §. 9. recenſita. Quantum verò bruta attinet, magna ibi occurrit difficultas; quis enim gradum phantaſiæ eorum ſatis perſpectum habere queat? Sed ponamus hanc phantaſiæ brutorum imbecillitatem; an non aliæ monſtrorum cauſæ ſuperſunt? Imò ſubtrahi aut addi quid poſſe virtuti generatrici & formatrici, exemplis ſufficienter docemur, dum v. g. canem bipedem, gallinam tripedem &c. Natura abortit; quæ ad Dæmonis cooperationem, absque prægnanti cauſa, referre, nimia foret ſuperſtitio. Nec etiam Auctor obſ. XV. Vitulum bicipitem à Dæmone, ſed à materiæ ſeminalis abundantia duplex illud caput obtinuiſſe, judicat. Si denique brutorum phantaſia figuram & colorem fœtuum ſuorum variare valet, idem in hoc monſtro contigiſſe, rectiùs adfirmârim; cùm potior ejusdem monſtroſitas in figura conſiſtat, reliquâ tantam deformitatem

præ

præ ſe haud ferente, ut Dæmonis opus credi debeat. Ipſe etiam Cl. Licetus, quem Auctor hîc paſſimq; citat, informis, quale ſic dictum dæmoniacum eſt, monſtri originem lib. 2. traditurus, alias inter cauſas, ex vehementi etiam imaginatione tale produci poſſe, cap. 42. docet; & cap. 90. monſtri Cacodæmonis effigiem habentis, ortum quandoq; ex imaginatione parentum, non ex Dæmone eſſe, concedit.

OBSERV. IIX.

Infantes bicorporei.

A*Nno nati Chriſti* 1461. *Norimbergæ fabri ſerarii uxor peperit filiam, capite quidem unico, binis tamen ventribus ſub ſtomacho, binis podicibus, binis pudendis.* Ex Chronico MS. Noriberg.

Anno 1551. *ſeptimo die menſis Septembris ibidem paupercula edebat in lucem infantem, qui quatuor manus, totidem pedes, duo pudenda, ſed duntaxat unicum truncum habuit: Diſſecto cadavere, intus duo corda, duo pulmones, duo hepata, & quatuor renes inventi.* Ex Eodem.

SCHOLION HELLWIGIANUM.

HIc alter monſtroſus fœtus cum priori ferè conformis eſt. Ac ejusmodi monſtrum propè Eslingam ad Neccarum Ann. 1529. d. 9. Januar. natum ex Joviano Pontano narrat Paræus lib. 24. Oper. chirurg. cap. 2. & 10. Julius Obſequens ſcripſit, M. Marcello & P. Sulpitio Coſſ. Theani Sidicini puellum natum fuiſſe uno capite, quatuor manibus & pedibus, atque duobus pudendis, quem fœtum ex eodem allegat Jacobus Ruef lib. 3. de concept. hum. c. 3. Lycoſthenes lib. de prodig. & oſtent. conſimile monſtrum notavit Anno Chriſti 1389. in Italia in lucem editum fuiſſe. Ejusmodi monſtra in rerum natura inveniri

niri uniformia excedentia, tum in diſcreta, tum in continua membrorum quantitate, idque aut ex defectu, aut exceſſu nimio materiæ ſpermaticæ & ſanguineæ, quæ in parentibus ortum habet ex alimento deficiente vel abundante, nutricatui partium earundem dicato, docet Fortun. Licetus lib. 2. de monſtr. nat. cap. 12. & 13.

ADDITAMENTUM SCHRÖCKII.

LIbet hîc paucis attingere, quòd non tantùm ſuperſtitioſa plebecula, ſed & ex Eruditis nonnulli, varia ex iſtiusmodi monſtrorum nativitate præſagire ſoleant pericula, rati, DEUM hiſce portentis velut iræ ſuæ internunciis, belli, famis, peſtisve inſtantis notitiam mortalibus dare, ſimulque ad pœnitentiam eosdem adhortari. Liberum equidem unicuique hîc per me licet ſit judicium; vana tamen videtur eſſe perſuaſio iſta, ideoq; à Cl. Gaſp. à Rejes inter humanæ curioſitatis ludibria meritò repoſita. Argumentorum ſanè aliqua, prognoſticis illis quæ opponunt laudatus à Rejes Elyſ. jucund. quæſt. camp. quæſt. 45. Fortun. Licetus lib. 1. de monſtr. cap. 2. & Johann. Riolanus diſp. de monſtro Lutetiæ nato cap. 6. magno valent robore, ibidem videnda. Ignorant Sacræ Literæ hos deformes pœnitentiæ præcones; neque etiam iis poſteriora ſecula indigent, cùm habeant Moſen & Prophetas. Imò impietate forſan haud carebit, ſi monſtra, quæ ſæpe ſæpius nefariæ veneris ſpurciſſima ſunt ſoboles, ad tam divinum miniſterium adhiberi dicatur. Nec abs re erit Joh. Bapt. Helmontii de hiſce judicium adponere, quod tract. Tumul. peſt. cap. de ſignis, format: *Aliis quoque placuit, monſtrorum nativitates trahere in prænuncia ſigna Peſtis. Sed quis ille, qui monſtrorum prænuncia deſignata ſciet, vel interpretabitur? Peſte enim præſente, nunc nimirum, atq; ſerò quisq; ſignificata ad lubitum trahit ſuum.* Quin ſi quid præſagire monſtra, ponamus,

mus, eâdem tamen certitudine, qua dira quævis minari creduntur, lætum & fortunatum quid promittere illa, dici poteſt. Sic & nos prophetas agere valemus; & in ſpecie, ubi monſtrum, crudeli orto bello & diſcordiâ ſæviente, naſcitur capite tantùm unico, quatuor verò manibus pedibusque præditum, quis non, optatum eventum, pacemque & concordiam redituram, ſaniori vaticinio exclamaret, diſcordia utpote & in diverſum abeuntia membra ſub uno pacis & rationis capite brevi conjungenda ſperans?

OBSERVATIO IX.

Infans monſtroſus ac veluti biceps.

ANno Chriſti nati 1627. Noribergæ mulier quædam monſtrum tale enixa eſt: Caput habuit magnum, loco oris foramen triangulare, naſo carens, oculum dextrum retortum, in occipitio foramen parvum, rotundum, in vertice vel ſutura coronali cranium tam profundè depreſſum, ut veluti biceps appareret, aures maxillis inferiorib⁹ adhærebant, pes ſiniſter formæ naturalis, dexter mutilus ac valgus, loco manûs dextræ appendices carneæ duæ, in manu ſiniſtra præter pollicem & digitum indicem, digiti cæteri fuerunt meræ carunculæ informes, nec ſexûs diſtincti ſignum ullum advertebatur. Ex ſched. D. Jo. Georg. Fabricii.

Anno 1669. d. 2. Maii in Suabacco, oppido Marchinatûs in Franconia, uxor bubulci pepererat puellum omnibus membris naturaliter formatum, & fœtui humano ſimilem, præter caput & crura. Habebat enim in fronte tumores duos carnoſos, occipitium quaſi repræſentantes, naſo carens, & loco illius foramina duo parva, per quorum dextrum ſpirare ſentiebatur: oculus ſiniſter nunquam motu proprio aperiebatur, dexter parùm, qui & brutorum ſimilis, in ore gingiva ſuperior bipartita, & tanquam dentes duo in tactu ſtupidi; crura ambo mirè valga, ac in utroq; pede ſex digiti. Ex comūnic. anonymi.

SCHOLION HELLWIGIANUM.

IN confeſſo eſt, Ariſtotele etiam lib. 2. phyſicor. adſerente, monſtra eſſe errata Naturæ generantis in operatione ſua impeditæ, quæ cùm non potuit finem ſuum deſtinatum integrè vel perfectè adſequi, non valens ſcilicet efficere quod vult, efficit quod poteſt; ac generat quidem in eadem ſpecie ſubſtantiali ſibi ſimile animatum, ſed in membrorum conſtitutione ſibi diſſimile. Indè & Licetus lib. 1. de monſtror. nat. cap. 11. definitionem monſtri veri talem dedit: Monſtrum, ſcribens, eſt vivens ſubcœleſte, membrorum conſtitutione enormi videntibus horrorem cum admiratione incutiens, raro admodum naſcens, ex ſecundario Naturæ inſtituto genitum propter aliquod impedimentum in principio ſuæ conformationis; quam definitionem penè iisdem verbis cap. 12. repetiit. Et idem Licetus cap. 13. monſtrorum verorum ſpecies omnes ad decem reducit, nimirum ad monſtrum uniforme truncum; excedens; naturæ ancipitis; difforme; informe, ad quod hoc noſtrum pertinet; enorme; multiforme, conſtans è partibus diverſa viventium in eadem ſpecie individuorum membra referentibus; conſtitutum ex partibus diverſas viventium in eodem genere proximo ſpecies æmulantibus; conſarcinatum ex partibus diverſi generis proximi; & coagmentatum ex partibus diverſi generis omninò naturam æmulantibus. Cauſas verò ſpeciei monſtri informis lib. 2. de monſtr. natur. cap. 38. & ſeqq. refert eſſe ſeptem, debilitatem ſcilicet facultatis formatricis; anguſtiam uteri; motum fœtûs in utero inordinatum; molam & placentam, atque tumorem uteri, concurrentibus virtutis formatricis imbecillitate ac materiæ ineptitudine; imaginationem parentum vehementem; monſtroſos parentes; denique menſtruorum fluxum tempore conceptûs.

ADDI-

ADDITAMENTUM SCHRÖCKII.

REferri huc debet monſtrum, quod Exc. D. Thom. Bartholinus tract. de Comet. deſcribit, cui in vertice caro fungoſa & laxa adnata, ut bicipitem hominem molitam eſſe Naturam, ſi ſufficiens fuiſſet materia, verò ſit ſimile; & Volum. 2. Actor. Medic. Hafn. obſ. 32. Petr. Borellus quoque cent. 2. hiſtor. phyſ medic. 57. virum memorat, tumorem in occipite tantæ molis habentem, ut monſtrum biceps à multis haberetur.

OBSER. X.

Ovicula monſtroſa.

A*Nno nati Chriſti 1633. in Languedoccio Galliæ provincia ruſticus quidam, colligendi ſtipem gratiâ, circumducebat oviculam, quæ unicum quidem caput & collum, aſt oculos quatuor, aures quatuor, corpora diſtincta duo, pedes octo, duasq; caudas habuit.* Ex obſerv. propr.

SCHOLION HELLWIGIANUM.

MOnſtra omnia Naturæ effectus eſſe, Ariſtoteles docuit lib. 2. phyſicor. quæ cùm ſemper alicujus finis gratiâ præſtet, quodcunque operatur, quippe quæ nihil unquam fruſtra efficit, teſte eodem lib. 1. de part. c. 5. Indè monſtra, uti cætera viventia ſubcœleſtia, nullum alium finem obtinere debent, niſi ſpeciei generantium æternitatem; attributa enim cujuscunque generis eſſentialia aptentur ſingulis ſpeciebus, iterum ait Ariſtoteles lib. 1. topic. & lib. 1. de plant. c. 1. Qui finis quidem communis eſt totius generis animantium, tum perfectorum, tum monſtroſorum: dum autem animantium perfectorum finis proprius ſit procreare ſibi ſimile in ſpecie, tum ſecundùm formam, quæ animam reſpicit, tum etiam ſecundùm materiam, quæ in

figura, & membrorum corporis conſtitutione ac organizatione conſiſtit; monſtra econtra ſunt errata Naturæ in operatione impeditæ, ne poſſit finem totum perfectè aſſequi, & ſolùm valet efficere, quod poteſt, procreatq; quidem in eadem ſpecie ſubſtantiali ſibi ſimile animatum, ſed in membrorum conſtitutione ſibi diſſimile. In quo ſolo monſtrorum finis proprius & proximus conſiſtit, & ſic à fine communi omnium animantium viventium generationis differt. Quæ & ſententia eſt clariſſimi Liceti lib. 1. de monſtr. nat. cap. 7. Et cùm ſub monſtrorum verorum genere omne corpus vivens ſubcœleſte ex ſecundario Naturæ inſtituto genitum propter aliquod impedimentum in ſuæ generationis principiis comprehenditur, meritò etiam monſtra bruta irrationalia huc referuntur, quibus ferè cum rationalibus differentiæ ſpecificæ ſunt, quarum decem dinumerat Licetus cap. 11. Unde & noſtrum hîc deſcriptum monſtrum non ineptè ad ſpeciem monſtrorum uniformium excedentium, quorum originis cauſas quoque decem idem Licetus lib. 2. annotat, conferre poſſumus. Exempla multa monſtrorum in aliqua parte, aut ſecundùm molem mirabiliter excedentium habet Licetus lib. 1. cap. 3. & lib. 2. c. 10. ubi inter cætera narrat, Anno 1624. quòd in domo ſuâ ancilla deplumaverit gallinam in utrisque pedibus quinque digitos habentem: quod hodierno tempore non monſtroſum eſt. Imò in ædibus meis Ratisponæ An. 1673. pullus gallinaceus ex ovo excluſus fuit, in dextro pede quinque, in ſiniſtro ſex digitis, cum ſuis unguibus diſtinctis prædítus. Plura leguntur in obſerv. medic. lib. 5. Joh. Schenckii, & in libello de monſtris brutis Joh. Georg Schenckii, & in centur. 3. epiſt. medic. 93. Thom. Bartholini.

ADDITAMENTUM SCHRÖCKII.

ALiam oviculam monſtroſam, itidem unum caput in duplici corpore habentem, exhibent Volum. 3. Act. med. Hafn. obſ.

obſ. 27. nec non Acta Philoſoph. Societ. Reg. in Angl. A. 1667. Menſ. Jun. ut & Petr. Borellus centur. 4. hiſtor. 20.

OBSERVATIO XI.

Infantes cum ventre patulo.

A*Nno nati Chriſti 1597. Menſe Auguſto, Noribergæ infans prognatus fuit cum ventre aperto, & inteſtinis propendulis, porcelli jugulati inſtar.* Ex Chron. MS. Norimb.

Anno Chriſti 1659. Menſe Novembri, ibidem Scriniarii cujusdam uxor primipara in lucem protulerat puellum omnibus membris perfectum, præterquam quòd anteriori parte venter inferior longitudine ac latitudine palmæ majoris patulus exſiſteret, quaſi ſtudio diſciſſus fuiſſet, ita ut & hepar, & viſcerum ſitus exactè cognoſcerentur, naturâ nihilominus alvi ſordes & urinam per meatus ordinarios excernente. Fœtus quatriduum tantùm vixit. Ex communicat. Amici.

SCHOLION HELLWIGIANUM.

QUantumvis ex mente Liceti lib. 2. de monſtr. nat. cap. 9. imaginatio ſeu phantaſia parentum vim non habeat detrahendi quicquam materiæ in generando conceptum, & ſolùm potens ſit figuras variare, tamen ille ipſe eod. lib. c. 47. & 56. imaginationi in producendo monſtro multum tribuit, & ſi quid fiat, id fieri, ait, ſub ipſo parentum coitu, vel ſub conformationis tempore. Vulgoque habetur, matris phantaſiam in contemplatione rerum intenſiorem & potiorem eſſe, quàm viri, ut quæ ſpecies ſpiritibus, quicunque in ſemine fœtum organizaturo comperiuntur, altè imprimit, ac animæ ſeminis virtutique formatricis communicat. Sic & originem & cauſam monſtrorum ſupra delineatorum imaginationi parentum rectè aſſignamus, atque cùm unius rei plures cauſæ eſſe poſſunt, ob defectum unius

nius alteriusve partis competentis non iniquè ea quoque monſtra ad genus mutilorum ex debilitate virtutis formatricis & defectu materiæ propriæ annumeramus. Jacobus Ruef l. 5. de concept. hum. c. 3. neſcio ex quo authore ſcribit, Nurſiæ puerum quidem aliàs benè formatum, ſed aperto ventre, ita ut nudum inteſtinum conſpiceretur, circa nates verò ſolidum, natum fuiſſe, qui mox emiſsâ voce exſpiravit.

ADDITAMENTUM SCHRÖCKII.

SImilis hiſtoria infantis cum ventre patulo nati à me deſcripta habetur in Anno VII. Ephemer. German. Curioſ. obſ. 232. & Johann. Sculteti parte 2. Armament. chirurg. obſ. 60.

OBSERVATIO XII.

Helvetius brachiis mancus.

ANno nati Chriſti 1628. Helvetius quidam, nomine Petrus Stadelmann, ætatis virilis, ſtaturâ corporis procerâ, robuſtâ, vultu ſubruffo, barbâ & in capite pilis nigris, criſpis, brachiis ambobus mancus, peragratis variis Provinciis, & territorio Norico, ſtipem colligendi gratiâ, etiam ſe Altdorphii præſentârat. Hic cuncta manuum munia pedibus peregit, iisq́ filo acui trajecto lintea & veſtes conſuit, nodos colligavit & relaxavit, chartis ac talis luſit, nummos dinumeravit, cibos & pocula prehendens ori admovit, itemq́ bellè ſatis literas ſcripſit. Ex obſerv. propr.

SCHOLION HELLWIGIANUM.

IN hunc Helvetium, cùm Anno 1628. Altdorphii Philothecæ meæ nomen ſuum ipſis pedibus ſuis inſcripſiſſet, tale epigramma juvenili venâ luſeram:

Quicquid detraxit rerum unicuiq́ creatrix,
hoc alio ſanè penſat & illa modo.

Exem-

Exemplo videas, tibi ſit, qui ſcripta reliquit
hæc mihi, quæ certo pictaq; ſcripta pede.
Audi; miraris? miratu plurima fecit
digna, pede atq; egit multa jocoſa ſimul.
Sed brachiis mancum Natura emiſit in auras:
rebus in humanis ludit ut Altitonans!

Hujusmodi monſtra ad mutilorum genus ex defectu materiæ propriæ pertinere, conſtat ex Liceti l. 2. de monſtr. nat. c. 3. cùm ſcilicet materia particularis, quæ à partibus ejusdem generis in corpore parentum effluere debebat, ortum ducens ex alimento earum nutricatui dicato ſuperabundante deficit; vel cùm illa abundans inepta eſt ob ſui craſſitiem, in venas arctiſſimas, per quas ad ultimam ſeminis prolifici officinam pervenire nequit, regreditur; vel quia ad teſtes delata, aut ſuâ, aut teſtium culpâ in ſemen perfectum commutari non poteſt, vel cùm ab aliquo ſeu calore uteri nimio diſſipata, aut frigore ambientis concreta, aut in alium uſum conſumta fuit, reliquâ ſeminis & ſanguinis ſubſtantiâ benè ſe habente. Errorem autem hunc Naturæ imperveſtigabilis ſolertia ubique locorum, præſertim in corporibus, quæ uno vel altero membro fruſtravit, muneris quaſi ſui oblita, verecundiâ ſuffuſa, aliquâ aliâ munificâ liberalitate compenſat. Cujusmodi hiſtoriam habet Nicolaus Tulpius lib. 3. obſervat. medic. cap. 54. de femina Britannica, quæ brachiis & cruribus valdè diſtortis ad omnia munia exercenda inepta, linguâ tamen potuit filum per acûs foramen parvum trajicere, nere, nodum conſtringere, atque eleganter ſcribere. Et plura alia exempla extant apud Alex. Benedictum lib. 1. anatom. cap. 2. Nicol. Rocheum tract. de morb. cur. cap. 32. Lycoſthenem lib. de prodig. & oſtent. Cardanum lib. 17. de ſubtilit. Jul. Cæſ. Scaligerum exercit. 334. de ſubtil. Georg. Pictorium in ſermon. convival. Caſp. Bauhinum c. 3. part. alter. de ſimilar. Ambroſ. Pa-

 ræum

ræum lib. 24. Oper. chirurg. cap. 6. Johann. Schenckium lib. 5. obſerv. medic. 4. Jacob. Rueſ lib. 5. de concept. hum. cap. 3. & Thom. Bartholinum cent. 6. hiſtor. anatom. 39.

ADDITAMENTUM SCHRöCKII.

MAnuum quanta ſit præſtantia, vel ex eo ſatis liquere puto, quòd ſoli omnium animantium nobiliſſimo, homini, conceſſæ ſint. His, quò vitam ſuſtentet, laborat; his, quò vitam defendat, valet. Ipſæ ſunt, quas tam mira, tam artificioſa, tamque curioſa & jucunda perficiendo, aures, oculos, animumq;, imò totum hominem exornare, delectare, reficere, quotidie experimur. Ipſis, ut fama poſt fata ſuperſtes vigeat, & memorabilia quævis longæ innoteſcant poſteritati, debemus. Ut adeo Sapientiæ inſtrumenta jure meritoq; audire queant. O infelices ergo, quos nobili adeo parte deſtituit ſors infelicior, & quos membris tam neceſſariis mancos triſte in ſpectaculum Natura excludit! Sibi ipſis tales ſunt tædio, multis terrori, pluribus verò curioſitati; quæ ut hominibus quaſi connaſcitur, ita inſuetis ejusmodi mentem oculosq; variè adficit, in admirationem utplurimum rapiens, præſertim ubi errorem alio Natura compenſat beneficio. Et quis non miretur, brachiis & manibus ab ortu mutilos viros feminasq;, capite, ore, mento, linguâ, pedibus &c. eadem, quæ manuum aliàs propria creduntur miniſteria, obeuntes, literas pingentes, alimenta ori admoventes, aliaq; artificioſa, neceſſaria & ludicra, incredibili penè induſtriâ præſtantes? Cujus ſpecimen etiam in hoc, quem Auctor deſcribit, Helveto eluceſcit. Cui conſimilia exempla, præter ea in Scholio memorata, videre quoque licet apud Ill. Thom. Bartholinum cent. 3. hiſtor. anatom. 26. Beat. Philipp. Jacob. Sachſium lib. 1. Gammarolog. cap. 21. Joh. Rhodium cent. 3. obſerv. 60. Felic. Platerum lib. 3. obſerv. p. m. 597. Joh. Petr. Lotichium

Con-

Conſil. & obſerv. medic. lib. 6. cap. 2. obſ. 4. & 5. Georg. Hieron. Welſchium Epiſagm. obſ. med. 95. Stephan. Rodericum à Caſtro lib. 3. de natura mulier. cap. 11. Paul. Zacchiam tom. 2. quæſt. medico-legal. lib. 7. tit. 1. quæſt. 9. §. 6. Martin. Zeilerum cent. 6. epiſt. 100. Noſter etiam Achilles P. Gaſſerus in Chron. ſuo Auguſt. feminam 30. annos natam Ann. 1557. huc Auguſtam fuiſſe in publicum ſpectaculum adductam refert, quæ ſine brachiis nata, pedibus ſcribere, nere, edere, bibere, ſe veſtire &c. potuit. Pariter An. 1666. Anglus quidam, Johannes Simons, trigeſimum tunc annum agens, brachiis mancus huc acceſſit, quem linguâ ſcribentem, aliaq; mirè præſtantem, Parens meus chariſſ. vidit, ſpecimenq; ſcripturæ, nomine proprio ſchedulæ inſcripto, obtinuit. Et nuper demum A. 1673. ex Helvetiâ itidem oriundus juvenis, ætatis 14. annorum, Joh. Franciſcus Blanchetus, Auguſtæ conſpiciendum ſeſe exhibuit, præter alia curiosè præſtita, pede dextro ſic ſatis benè nomen ſuum chartæ, cujus ſpecimen ſervo, inſcribens.

OBSERVATIO XIII.

Gemellæ corporibus concretæ.

Anno 1576. mulier quædam in ſuburbio Norimbergenſi Wöhrd/ *partu protulerat gemellas in utero demortuas, quæ in latere invicem concretæ, alioquin ſingula ſuum caput, brachia, crura, & pudendum habebat.* Ex Chron. MS. Norimberg.

Anno 1620. Hortulana quædam Norimbergæ gemellas, ſed in utero mortuas pepererat, quæ in latere infra axillas ad femora usq; connexæ, unicum tantùm ſimul ventrem ac umbilicum habuerunt, cæteris membris in ſingula perfectè & naturaliter formatis. Ex eod.

Anno 1633. Monspelium quæſtûs gratiâ ſpectatum attulerat Anglus quidam fœtum arte, vel conditurâ arefactum, erant gemellæ

invicem in podice à natura connexæ, tres verò pedes duntaxat habentes, quæ decennio ante Amſtelrodami natæ fuerant. Ex obſerv. propr.

An. 1643. *Ruſtici in pago Noribergenſi,* Alten-Sittenbach/ *uxor in lucem protulerat gemellas, quarum quælibet alioquin perfectè formata habebat caput unicum, labia ſuperiora decurtata & diſciſſa, brachia duo, manus duas, pedes duos, partes naturales, præter quòd ſub axillis ad umbilicum usq; ambæ cohærerent, ac umbilicus illis tantùm unicus eſſet, anteriùs etiam unicum pectus ſeu ſternum latum cum papillis duabus, poſteriùs verò ſpina dorſi disjuncta & cuilibet propria. In aperto corpore, ut exteriùs unicum pectus cum præcordio lato apparuerat, ita intus quoq; cor unicum ſub figura renis cujusdam transverſim oblongum cum duobus diverſis ſinibus, è quibus quælibet infans ſpiritus vitales haurire poterat, ſicuti cætera quoq; organa, venæ ſcilicet, arteriæ, pulmones & ejusmodi pro ſingulis neceſſaria bina fuerunt: ſub diaphragmate etiam omnia viſcera bifaria, quælibet infans ſuos proprios habebat cotyledones & vaſa umbilicalia, quæ exteriùs ſub cute confluxerunt, & quaſi unicum umbilicum præſentarunt; quælibet & ſtomachum ſuum proprium, atq; ſplenem; primo attamen intuitu hepar etiam videbatur cuilibet fore proprium & parvum, accuratiori autem inſpectione, quoad ſubſtantiam & formam maſſa fuit communis & unica, magnâ parte ſuâ in oris extremis concreta.* Ex commun. Amici.

SCHOLION HELLWIGIANUM.

TAles gemellas in latere concretas Jacobus Rueſlib. 5. de concept. hum. cap. 3. narrat, Anno 1543. Schafhuſiæ in Helvetia, & ferè ſimiles A. 1553. in Einſiedeln natos eſſe. Inveniuntur etiam fœtus in pectore ſibi accreti, & faciebus mutuò obverſis, unoq; umbilici vinculo conſtricti; alii rurſum tergoribus annexi, ſingulatim umbilici vinculis propendentibus. Horum autem monſtroſorum infantium forma exterior plerunque diſtin-

diſtinctis membris viſa eſt, nullo abundans, nullo deficiens, præter gemellas hîc A. 1643. natas, quæ, veluti ſupra notatum, duntaxat cor unicum, cætera verò tum viſcera interna, tum membra externa duplicia habuerunt. Fieri autem poteſt, ejusmodi fœtuum cohærentia aliquando ex liquido & corrupto ſemine, aliquando ex terrore aliisque adverſis caſibus, ut gemelli in utero jam concepti collidantur, ruptis ſeminibus, quæ naturâ glutinoſæ ſunt ſubſtantiæ, aliquatenus concreſcant. Num autem hæc monſtra concreta unicum ſint animal, aut diverſa & duplicia, concludit Ludovicus Cœlius l. 24. c. 3. L. A. ex principii ratione, quòd, ſi unicum ſaltem in ejusmodi concretis appareat cor, quod eſt cæterarum partium omnium in generatione primum & principium, itemq; fons vitæ, unum tantùm animal eſſe ſtatuatur; ſin verò corda duo, monſtroſi hi fœtus pro duplice quoque animali habeantur, propter conceptuum conjunctionem tantùm coalito. Licetus lib. 2. de monſtr. nat. cap. 13. gemellos vult cor ac unum hepar habentes non eſſe ex genere monſtri excedentis ex abundantia materiæ, ſed monſtri excedentis ob defectum materiæ neceſſariæ generationi gemellorum primariò à Natura intentæ & inchoatæ, quæ deficiens aut in utero conſumta, aut ad ipſum uterum non pervenerit, ſicque quod efficere voluit, Natura non valens, efficit, quod valet, reſiduumq; materiæ in unius corporis formam gemellorum partibus antea formatis adjungit. In Miſcellaneis Academiæ Naturæ Curioſorum Anni primi obſerv. 55. habetur etiam anatome gemellarum in faciei & trunci latere usque ad femora concretarum.

ADDITAMENTUM SCHRÖCKII.

GEnerationis humanæ opus quòd admirandum, nec ſatis ab humano ingenio penetrandum exſiſtat, omnes mortales fateantur, neceſſe habent. Quod conſiderans Regius Propheta, Divino impulſus Spiritu, mirabilia inter & occulta DEI opera,

 ſui

ſui etiam generationem Pſalm. 139. ℣. 14. & 15. reponit. Et quamvis hodierna Anatomicorum induſtria multas, quæ circa abſtruſum generationis actum hactenus occurrebant, difficultates diſcuſſerit, plurima tamen adhuc reſtare perficienda, ingenuè fatentur. Cùm itaque naturalis illa & quotidiana hominis generatio tantâ laboret obſcuritate, quid mirum, ſi, præter intentionem & conſuetum ordinem in efformandis monſtris quæ rarò contingit, altiſſimâ nos ignorantiâ premat: Id quod inprimis de hac etiam gemellorum, corporibus concretorum productione tenendum eſt. Si tamen hominis ex ovo productio, à Clar. Kerckringio, Graafio, aliisque, & nuper à Nob. D. Caſp. Bartholino Th. filio in epiſtola de ovario mul. ad Exc. D. Guil. Rivam, contra priorum temporum varias hac de materia conjecturas, ſolidè adſerta, admittatur, prout revera admittenda eſt, cùm ſenſuum fide polleat, balbutire aliquid circa rem iſtam poſſumus. Ut itaque prima illa pulli rudimenta neque ex ovi vitello, neque albumine propriè ſic dicto, ſed hujus tantùm ex particula aliqua ortum ducunt, ſcilicet ex ovi oculo vel colliquamento, ſive, ut aliis vocatur, orbiculo illo vel circulari macula, quæ vitello ovi adnata videtur: Sic quoq; in analogo huic hominis ovo non univerſam humoris contenti ſubſtantiam, quam inſtar albuminis ovi ſe habere, compertum eſt, ad fœtûs primam efformationem concurrere, ſed ſimilem particulam, fœtui rudimentum daturam, in ea deliteſcere, credibile eſt, quæ à ſubtiliori ſeminis maſculini parte, ad ovarium ſeu teſtes muliebres delatâ, in motum concitata & quaſi vivificata, ſicq; fœcundata, paulatim ſeſe in eam, quam corpus humanum præ ſe fert, extendere formam incipiat. Confirmat hoc prælaudatus Bartholinus, *in viviparorum*, ſcribens, *ovis non niſi tantum humoris adeſt, quantum ſufficit pro inteſtina fermentatione cicatriculæ.* Reliquæ igitur ovum efformantes & exteriùs ambientes pelliculæ pro

pro membranis tantùm fœtum involventibus & ſecundinarum nomine communiter venientibus habendæ erunt. Quod itidem teſtatur Regnerus de Graaf tract. de organ. mulier. generat. inſervientib. cap. 15. dum in peranguſto ovi illis muliebris medio aliud quaſi ovum innatare, ſive nubeculam quandam, fœtûs rudimentum, comparere, referens, ex eo conſtare concludit, ova iſta duabus membranis inveſtiri, quarum exteriorem chorium, interiorem verò amnium eſſe adpellandum, determinat. Si igitur duplex talis reperiatur concretus in ovo orbiculus à Natura, quæ ludere ubique, præcipuè etiam in ovis ſolet, [quod v. g. duplex in multis gallinarum ovis vitellus loquitur, ex quibus ovis duplices oriri pullos, Petr. Borellus cent. 1. obſerv. 1. autumat; atque monſtra exin gallinacea, partibus quibusdam abundantia, prodire poſſe, Exc. D. D. Georg. Segerus in obſ. 188. Miſcell. German. Curioſ. Ann. III. concedit,] non poterit non exin fœtus duplici è corpore conflatus indè produci. Quare cauſa, quæ in liquidum & corruptum ſemen hîc ab Auctore rejicitur, nullum habere locum poteſt. Uti enim vegetabilium ſemina ſi maturitate debitâ careant, vel præter naturam corrumpantur, nullatenus neque in ſimilem, cujus ſemen ſunt, plantam propullulant, neque etiam aliam aliquam producere valent: Sic in animalium quoque genere corruptum ſperma novum producere poſſe animal, haud eſt probabile, nullumque potiùs, quàm monſtroſum dabit embryonem. Unde varias inter ſterilitatis cauſas, ſemen etiam virile crudum, tenue, ac præter naturam fluidum, vel quocunque modo vitioſum, & hac ratione quoque corruptum, referre Medici conſueverunt; nec immeritò, cùm ſpiritus ille primus fœcunditatis opifex, vel inſufficiens ad opus iſtud, vel planè non in eodẽ reperiatur. Quod verò à colliſione in utero, concepti jam gemelli concreſcere queant, maximè dubito, cùm tam vehemens & violenta earum con-

conjunctio ſive colliſio, absque præſenti vitæ diſpendio poſſibilis vix eſſe poſſit; cumprimis iſtis in gemellis; quibus unicum v.g. cor Natura conceſſit, concretio hæc locum haudquaquam invenit; quorſum enim alterutrum cor &c. abiiſſe, & conſequenter, quâ vi novam vaſorum connexionem & divaricationem, ex uno ſuperſtite corde in utriusque fœtûs corpuſculum, tam exiguo temporis momento [ſi enim in inſtanti, ut ita dicam, haud fieret, fœtuum alterum, cujus cor eliſum fuiſſet, vitâ mox privari & putreſcere, neceſſum foret] peractam fuiſſe, dicendum credendumve erit? Si tamen gemellorum hujusmodi quilibet ſingulis ſuis, quæ ad vitam ſimpliciter neceſſariæ ſunt, partibus inſtructus ſit, conjunctio talis, non quidem per violentam colliſionem, ſed blandiorem potius adproximationem, in primis præſertim conformationis diebus, mediante humore illo, cicatriculas ambiente, lento, albugineo, & ad concretionem ſatis apto, faciliùs admitti poſſet.

OBSERVATIO XIV.

Alii Gemelli connati.

Anno nati Chriſti 1672. d. 17. Martij mulier quædam Argentinæ cum magno dolore & labore monſtrum tale enixa eſt: quod habuit duo diverſa capita è duplici collo prominentia, & quidem dextrum multò majus ſiniſtro, brachia quatuor, quorum duo inter utrumq; caput è medio trunci exorta, & communi tegumento involuta ad manus usq;, quæ disjunctæ mirè tamen ſe invicem ſpectantes; reliqua ſingula ab humeris protenſa. Truncus vel pectus amplum, deorſum verò ſtrictius, quoad exteriorem formam vel aſpectum benè & naturaliter formatum, crura quoq; ſaltem duo naturalia. Aperto corpore intus inventa ſunt duo corda ſub unico pericardio latentia, ſiniſtrum autem duplo majus dextro, conſpiciebantur etiam

iam

iam pulmones duo diverſi cum diverſis & propriis arteriis ſuis; œſophagi & ventriculi duo, itemq́ inteſtina duplicia, quæ demum ad initia ferè inteſtini coli in unum terminabantur meatum ad exitum usq́ ani. Jecur quidem unicum, attamen tam magnum, ut totum latum corpus compleret. Splen etiam aderat unicus, renes duo prægrandes, unica veſica, ac unicum pudendum maſculinum & naturale cum ſcroto quodammodo turgido. Spina dorſi duplex cum ſuis quævis coſtis. Ex communic. Amici.

SCHOLION HELLWIGIANUM.

MOnſtroſus hic fœtus pertinet ad genus monſtrorum enormium, propter malam & vitiatam partium organizationem & formationem, quatenus ſcilicet à conſueta Naturæ norma recedit, aut ob aliquod impedimentum, aut ob defectum materiæ convenientis, adſtipulante Liceto lib. 1. de monſtr. nat. c. 8. & Aldrovando hiſt. monſtr. c. 2. Conſimile ferè monſtrum notavit Ludovicus Cœlius l. 24. c. 3. L. A. Ac Nicol. Tulpius deſcribit lib. 3. obſerv. med. c. 38. ſectionem monſtri bicipitis, puellam nempe bicipitem cum brachiis quatuor & pedibus tribus, artubus verò & capitibus ut à ſe invicem ſeparatis, ſic ventribus contra ac thoracibus tam arctè in unum coalitis, ut ne lynceis oculis ullum in iſtis diſcrimen obſervare quis potuerit; diſſectâ cute, apparuit conſpicuè ſub illa plurimum adipis albicantis: jecur erat duplex cum duplice fellis veſicula, & venæ tam perplexo errore inter ſe intricatæ & confuſæ, ut non licuerit quicquam, diſtinctè ſaltem in illis notare. Thoraci erant duo corda, incluſa uno involucro, & innatantia eidem aquæ, ſed cuilibet ſuus pulmo; ſub ventre autem una duntaxat vulva. Unus lien, ſed adeo rubicundus & floridus, ut videretur accedere ad naturam jecoris; vaſa autem umbilicalia deſinebant hinc in diffiſſam jecoris portam, illinc bifido ductu in arterias iliacas & ve-

ſicæ fundum. Huic penè ſimilem obſervationem anatomicam bicipitis fœtûs legimus in Miſcellaneis Acad. Nat. Cur. Ann. I. obſerv. 7. Plurium etiam monſtrorum humanorum bicipitum mentionem faciunt Jacob. Rueff lib. 5. de concept. hum. c. 3. Joh. Schenckius lib. 1. obſerv. med. c. 10. Fort. Licetus lib. 1. de monſtr. nat. cap. 3. & lib. 2. cap. 22. Legatur quoque Johannis Conradi Brunneri de monſtro hoc Argentinenſi diſputatio inauguralis elegans, docta, & ingenioſa Anno 1672. Argentinæ habita, in qua diffuſiorem deſcriptionem dedit, & problemata tredecim de illo propoſuit ac pulchrè enodavit; nimirum: Utrum fœtus hic fuerit monſtrum verum? Quisnam iſtius formationis modus in utero extiterit? An propter ſeminalis materiæ inopiam enatus? Utrum unus, aut plures extiterint homines? Utrum vitam, niſi δυϛοκίας aut vi partûs oppreſſi fuiſſent, potuiſſent unà aliquandiu protrahere? Utrum cùm duo homines extiterint, anima duplex in partibus eorum ſimplicibus, & quomodo conſiſtere, ſuasque functiones edere potuiſſent? Utrum horum connatorum eadem animi ſenſa ac deſideria, mores & actiones eædem, an verò eſſent diverſæ, ſi adhuc aurâ vitali uterentur? Utrum utriusque infantis eadem fuiſſet phantaſia, & quid de motu in pedibus, illorumque ſenſu ſit ſtatuendum? Utrum unà ſpiritum traxiſſent & locuti fuiſſent, an verò tempore diverſo, & quid de pulſibus notandum? Utrum eſuriente uno, & alter eſuriiſſet? Utrum ſi unus ægrotâſſet, alter ſimul affectus ſimilique labe correptus fuiſſet? Utrum ægrotante uno, ipſi ægroto, an verò alteri; utroque laborante, utrique medicamenta, quomodo & qua doſi fuiſſent adhibenda? Quid de obitu, ſi hactenus protraxiſſent vitam, eſſet ſtatuendum? Quæ omnia certè lectu jucunda, & disquiſitione ac ſcitu digna ſunt.

ADDI-

ADDITAMENTUM SCHRÖCKII.

ALios etiam fœtus bicipites, præter hos ab Auctore memoratos, videre licet in Ephemer. German. Curioſ. Ann. III. obſ. 165. & 224. nec non apud Thom. Bartholinum cent. 2. hiſt. anat. 55. & Fortun. Fidelem lib. 3. de relat. Medic. ſect. 8. cap. 8. Monſtrum etiam biceps habet Joh. Scultetus Armament. chirurg. part. 1. tab. 45. Petr. Borellus hiſt. & obſ. rar. medico-phyſ. cent. 2. obſ. 57. Paul. Zacchias Tom. 2. quæſt. med. legal. lib. 7. tit. 1. quæſt. 9. §. 3. Inprimis verò huc referenda erit elegans monſtroſi fœtûs feminini, Monachii Ann. 1673. editi hiſtoria, quam à rei anatomicæ peritiſſimo, D.D. Joh. Ignatio Sattlero, Amico meo honorando, deſcriptam Illuſtr. D. D. Franc. Ignat. Thiermairius in fine libr. 1. Conſilior. medic. divulgavit.

OBSER. XV.

Vitulus biceps.

A*Nno Chriſti nati 1657. Menſe Decembri in oppidulo quodam Noribergenſi ex diſſecto corpore hordæ, ſeu vaccæ gravidæ & demortuæ vitulus biceps, & cum pilis rubris, exemptus fuit.* Ex communicat. alterius.

SCHOLION HELLWIGIANUM.

CErtiſſimum eſt in animalium irrationalium ſerie multa etiam monſtra reperiri, & ferè in iisdem generis & ſpecierum differentiis, atque ab iisdem cauſis, uti animantia rationalia producta. Quapropter vitulus hic biceps non incongruè ad genus monſtrorum excedentium in materiæ exceſſu nimio annumeratur. Nam cauſa monſtri ejusmodi, ex mente Clar. Liceti lib. 2. de monſtr. nat. cap. 12. habetur luxuries ſeu abundantia materiæ illius determinatæ, cui ſoli demandata erat à Natura capitis conſtitutio. Quæ materia autem portio eſt craſſior u-

triusque ſeminis & ſanguinis, ortum habens ex alimento ſuperabundante nutricationi capitis parentum dicato: quæ materia ſi à ſeminis virtute diſcretrice, aut ab aliqua alia cauſa dividatur, ſeorſum induens formã capitis, bicipitem fœtum conſtituit; ſin autem in unam maſſam conjuncta manet, fœtui caput induet non numero geminato, ſed inproportionatâ magnitudine monſtroſum. Exempla ejusmodi vitulorum bicipitum diverſa duo refert ex Poggio, & meteorologicis Marci Fryſchii Joh. Georg. Schenckius in libello de monſtris brutis. Licetus lib. 2. de monſtr. nat. cap. 4. habet quinq; itemque Thom. Bartholinus meminit vituli bicipitis, cum ſex pedibus diſpoſitis, epiſt. medic. cent. 4. epiſt. 17. Leguntur etiam exempla in Miſcell. A. N. C. Ann. II. obſ. 94.

ADDITAMENTUM SCHRÖCKII.

PLura etiam hujusmodi exempla apud Th. Bartholinum, cent. 2. hiſt. anatom. 55. & tract. de Cometis, Ephemer. Nat. Curioſ. Ann. IV. obſ. 163. Ann. VI. obſ. 74. Johann. Fabrum expoſit. in Nard. Anton. Recchi hiſt. animal. Mexic. pag. 589. & ſeqq. Petr. Borellum cent. 3. hiſt. 3. & Fridericum Wilhelm. Schmuckium in faſciculo admirand. natur. occurrunt. Talem etiam Anno 1555. in vicinia noſtra, pago Leder, natum, Auguſtamque delatum fuiſſe, ex Tabella, ejusdem delineationem exhibente, olim hîc ligno inciſa, mihi innotuit. Ipſe etiam tale caput poſſideo, à Ruſtico aliquo non adeo multis ante annis Auguſtam delatum, & aliquandiu publicè hîc oſtentatum.

OBSERV. XVI.

Itali fratres in pectore connati.

ANno 1644. Menſe Octobri Noribergam venerat homo monſtroſus, natione Italus, annorum ætatis 27. anteriori corporis ſui

ſui parte, ſub ſterni oſſe xyphoide alium hominem annexum in faſcia geſtans, vocabatur major Lazarus, minor Johannes Baptiſta Colloreti, ex plebea familia Genuæ orti, cælibis ſtatûs, aliis corporis partibus ab invicem disjunctis, ambo maſculini ſexûs, unus altero duplo major. Major vultûs colore lurido, barbâ & capillis ſpadiceis; minor magno capite, vultûs colore vivaciore, albo, ſubrubicundo, barbâ & capillis nigris; alioquin ambo benè formati, præter quòd minor dextro crure mancus, & oculos parumper, ſine ulla nictatione & motu, apertos teneret, os quoq; parùm hiſceret, ut vix dentes ſuperioris maxillæ conſpicerentur, eq; levi oris & genarum motu conjiciebatur quicquam ruminare, ebulliente inter labia ſpumâ candidâ, paucâ, ac dum hoc fiebat, major plerunq; ſyncopen vel cardialgiam quandam ſentiret, quem dolorem tamen aſſumto cibo, vel micâ panis vino imbutâ mox ſedavit. Major aliàs pro lubitu ſolus edebat, potabat, ſed ambo ſimul urinam reddiderunt: pulſuum & cordis motus ſingulis erat proprius, ac evidenter ſubſultans. Ex obſerv. propr.

SCHOLION HELLWIGIANUM.

ITalos hos Thomas Bartholinus, uti teſtis etiam oculatus, hiſtor. anat. cent. 1. hiſt. 66. fuſiori penicillo depingit, ut qui ipſos Hafniæ primùm, poſtea Anno 1645. Baſileæ viderit, iconem eorundem adjungens; ſed eosdem meo tempore, cùm ipſos Noribergæ viderim, & meo ære effictos, quum à Bartholiniana figura quoad vultum & corporis ſtaturam diſcrepent, hìc denuo apponere, ſimul ac epiſtolas de hominibus his monſtroſis ex Liceti lib. 2. de monſtr. nat. cap. 22. huc transferre placuit.

Perill. & Excellentiſs. D. obſerv. D. Fortunio Liceto, Patavium. Auguſtinus Pincetus S. D.

Occaſione novi cujusdam monſtri noviſſimè hìc apud nos Genuæ nati, ad te pauca ſcribere placuit, de illius hiſtoria, Vir Excellentiſſime, tuum de ipſo judicium expectans. Pellegrina

 uxor

uxor Baptiſtæ Colloreti d. XII. Maij MDCXVII. in Paræcia Sancti Bartholomæi de Coſta, in ditione Genuenſi, duos filios peperit, ſimul invicem junctos in ventre inferiori, aliis partibus ab invicem disjunctos: ambo ſunt maſculi; unus eſt altero duplo major; & minor mancus eſt uno crure, in aliis partibus eſt benè formatus, niſi quod oculos non habet apertos. Baptizati fuerunt ut duo corpora: unus appellatus eſt Jo. Baptiſta, & alter Lazarus. Parentes eorum ſunt optimè ſani, & ante hos genuerunt alios filios benè formatos. Quod autem mirabile reddit hoc monſtrum, illud eſt, quod unus ſolus lac ſugit, & ambo nutriuntur ac vivunt; & dum major ſugit lac, obſervatur minori lac pervenire usq; ad labia, quibus ipſum lambere pergit: quam rem ego vidi & obſervavi. Dicunt hos duos filios eodem tempore foras emittere excrementum urinæ. Cupio te mihi aliquid hac de re ſcribere. Vale. Genuæ, die 19. Mart. MDCXXII.

Perill. & Excellentiſs. D. obſervandiſs. D. Auguſtino Pinceto, Medico Genuenſi Fortunius Licetus S. D.

Pauca dicam de monſtro recens nato iſthîc apud vos, Vir egregie, te remittens ad ea, quæ vulgavimus de natura monſtri ancipitis explicata lib. 2. cap. 22. & ſequentibus: Puto enim eſſe monſtrum anceps à me ibi deſcriptum: ſi foret ambobus unus ventriculus, facilè, uno lactante ſolo, viverent & alerentur ambo, & minori è communi ſtomacho non difficulter ad os regurgitaret ſubſtantia materni lactis, quam ille mancus ſeu lambit, ſeu veluti ruminat, ne deſtitueretur illâ priori nutrimenti digeſtione, quam in ore fieri monuit Avicennas: Si etiam haberent commune jecur, ut habuerunt gemellæ Riolani in monſtro Lutetiæ nato 1605. ambo ſimul urinam reddere poſſent apud eos, qui putant urinam excrementum eſſe coctionis illius, quæ celebratur in ſtomacho, dicentes urinam ſeparari à ſanguine, peractâ jam eâ coctione nutrimenti, quam obimus in hepate.

Alio-

Aliorum monſtri attributorum cauſas habere poteris, Vir egregie, ex iis, quæ nos de monſtri ancipitis natura latè diſſeruimus in edito libello. Poteſt autem hoc monſtrum diu vivere, quemadmodum diu vixit homo monſtroſus ille, cui è pectore prominebat caput infantis intra præcordia reconditi; nec non vice versâ illius alterius, cui è pectore collotenus abdito capite propendebat infans integer mirè pendulus. Verùm inſpectione ſtructuræ partium conjunctarum conjectari meliùs cauſa poterit in vivente monſtro; quæ ut ex nuda relatione ſatis aperta non potuit haberi, ſic ex anatome cadaveris apertiſſimè poſſet intueri. Vale, Vir eximie, & me tui ſtudioſum ama. Patavii, Calendis Aprilis 1617. Quæ omnia ex editione ſecunda, & correctiori Tractatûs hujus de monſtrorum natura excerpta ſunt. Et idem Licetus in præmemorato loco refert, ſe monſtroſum hunc poſtea non ſemel Venetiis & Patavii quadrimum vidiſſe, cujus oſtentatione Genitores ejus errones per orbem ſibi victum comparabant à ſpectatoribus ſtipem erogantes.

ADDITAMENTUM SCHRÖCKII.

ALios, ſed informes magis gemellos monſtroſos è Gallia oriundos deſcribit Georg. Hieron. Welſchius hecatoſt. 1. obſerv. phyſ. med. 46. Referri etiam huc gemini illi homines poſſunt, qui quidem bicorporei ſunt, alterutrius tamen caput corpori quaſi intruſum, non comparet, quales recenſet Joh. Schenckius lib. 5. obſerv. med. & cum eo Exc. D. Jo. Jacob. Wepferus Ann. III. Ephem. Germ. Cur. obſ. 129. Alium conſiſtentis ætatis virium noſter Achilles P. Gaſſerus in Chronico Auguſt. memorat, Anno 1557. Auguſtam veniſſe eum, ſcribens, cui ſub epigaſtrio puella adnata, capite quaſi in corpore recondito, motu tamen proprio deſtituta, aſt ſemel omni die urinam emittens. Similiter Petr. Borellus cent. 3. hiſt. 43. monſtrum quindecim

annos

annos natum producit, cujus ventri junctus erat puer alter per ventrem, ſed à latere. Quem ſanè, ſi illa lateralis conjunctio, ætasque ſcrupulum non moverent, eundem cum Lazaro Colloreto crederem; cùm Borellus in altero illo adnato puero maximum caput, unicum femur, viriliumque partium rudimenta notaverit, ut & quòd ore ſputa ſolùm ejecerit. Quæ ſi cum Bartholiniana delineatione, & illa, quam Exc. Nicol. Binningerus cent. 1. obſ. 5. Auctorque noſter dederunt, conferantur, hîc pariter caput prægrande, os ſalivâ tantùm madidum, pes unicus, ac pudendarum partium veſtigia deprehendentur. Non obſtare adeo poteſt ætatis diverſitas, cùm facilè in calculo error à minùs exquiſito computatore potuerit committi, inprimis quia unius tantùm anni differentiâ laborat. Situs etiam magnam difficultatem haud parit, quem, potiorem ſaltem Naturæ aberrationem attentiùs fortè perluſtrando & admirando, minùs adcuratè obſervare illi potuerunt, qui Borello obſervationem hanc communicarunt. Ipſe Licetus in ſuo de monſtris tractatu figuram ejus ſic ſatis rudem proponens, Joh. Baptiſtam Lazari ſiniſtro lateri adhærentem exhibet. Excell. Bartholinus os xyphoidis utriusq; cohæſiſſe, hac tamen cum clauſula: *ſi rectè conjeci*, ſcribit; negat id Binningerus, atque in epigaſtrio, ſub enſiformi cartilagine gemellos hoſce fuiſſe genitos, refert; prout etiam Paulus Zacchias quæſt. medico-legal. tom. 2. lib. 7. tit. 1. quæſt. 9. §. 1. prope oris ventriculi regionem, aut ſub mucronata pectoris cartilagine Joh. Baptiſtam Lazaro adhæſiſſe, teſtatur, ubi quoque unius alteriusque conſimilis monſtri bicorporei mentionem facit. Aliàs monſtroſos hoſce gemellos etiam viderunt deſcripſeruntque plures alii; uti Exc. D. D. Laurentius Strauſſius in reſolut. casûs Muſſipont., & apud hunc Illuſtr. noſter Dn. Præſes, D. Joh. Mich. Fehrius; nec non beat. Phil. Jacob. Sachſius Epiſt. de cancr. & ſerpent. petref. pag. 54. Georg. Hieronym. Wel-
ſchius

ſchius l. c. & Nobil. Dn. Harsdörferus Theatr. Comic. cent. 1. hiſt. 68. qui in tribus morbis pluries, quàm triginta vicibus, venam Lazaro ſectam fuiſſe, aliaque medicamenta Medicos conſulere noluiſſe, refert. Hîc tamen Auguſtæ Vind. plures ante annos febre tertianâ, paroxyſmo tertio terminatâ, correptus, medicamenta, non ſine emolumento, à D. Parente meo, D. Luca Schrœckio, præſcribi ſibi paſſus fuit; cumque purgans hauſiſſet pharmacum, frater ejus, Joh. Baptiſta, præter debilitatis alicujus notam, copioſiori, quàm aliàs naturaliter ſolebat, ſalivatione infeſtatus fuerat, durante verò paroxyſmo febrili, inquietiorem ſeſe præbuerat.

OBSERVATIO XVII.

Cranium ſine ſutura ſagittali.

ANno Chriſti nati 1626. cranium cujusdam violentâ morte peremti apertum fuit, in quo ſuturæ ſagittalis nullum apparebat veſtigium; bregmatis autem os ſiniſtrum prope ſuturam lamdoidéam, quæ ut & coronalis longè compactior erat ſolito, exiguo foramine pertuſum. Uterq; thalamorum cerebri materiâ ichoroſâ & purulentâ refertus. Conquerebatur autem, dum in vivis erat, de continuis ac immenſis capitis doloribus. Ex ſchedis D. Gregor. Queccij.

SCHOLION HELLWIGIANUM.

DEfectûs etiam ſuturæ ſagittalis in cranio humano mentio fit in cent. 2. epiſt. med. Thom. Bartholini epiſt. 56. Johannes Schenckius diverſos Authores citat, qui cranii partim omninò ſolidi, & ſine omni ſutura, partim aliquibus obliteratis, meminerunt, adducens etiam exempla variationis miræ ſuturarum cranii. Itemque Bartholinus legendus hiſtor. anatomicar. cent. 1. hiſt. 51. de numero & variatione ſuturarum in cranio humano. Alioquin ſuturæ in cranio ſunt plures, idque rarò ſi-

ne omni ſutura conſtat: aliquando autem in ſenibus diuturnitate ac ſiccitate coaleſcunt ſuturæ, ut vix appareant, cùm in juvenibus interim manifeſtiùs videantur; aliquando ſutura etiam coronalis obliteratur, non verò facilè temporales abolitæ, niſi omnes reliquæ priùs perierint, ſcribit Thom. Bartholinus lib. 4. Anatom. reform. cap. 3. Sed in ſenibus ſuturas concreſcere, non mirum eſſe, dicit Andreas Veſalius lib. 1. de hum. corp. fabr. cap. 6. ſiquidem illis & vertebras uniri connaſciq; cernimus, ut illorum oſſa conſuetis motibus agi nequeant. In Franconiæ Monaſterio Heilsbrunn circa annum circiter 1626. adoleſcens ego vidi calvariam Principis Alberti, Marchionis Brandenburgici, qui Anno 1486. mortem obierat, cujus cranium omni penitus ſuturâ carebat. Ejusmodi hominum capita non ita injuriis externis obnoxia ſunt, ſed internis maximè, quum transpiratio fiat difficilior, & vaſorum atque fuliginum exitus impediatur. Quòd Mauri, Æthiopes, aliiq; Regiones calidas meridiem verſus & lineam æquinoctialem incolentes, crania duriora & nullis, aut paucis ſuturis diſcreta habeant, Paræo, teſtes Herodotum, Aratum, Ariumq; adducenti, contrarium opponit Joh. Riolanus lib. 5. Anthropolog. cap. 50. ex anatomia Æthiopis nigerrimi, cujus cranium cum ſuturis prorſus craniis noſtris conſimile fuerit.

ADDITAMENTUM SCHRöCKII.

De hoc in Æthiopum & Ægyptiorum craniis ſuturarum defectu idem Riolanus etiam in ſuo Enchiridio anatomico-patholog. lib. 6. cap. 6. diſſerit. Verùm Herodotum quod attinet, ille quò minùs adſenſum mereatur, nil quidquam prohibet; nam lib. 9. hiſtor. ubi de clade Platæenſi tractat, *id quoq;*, ſcribit, *apparuit poſtmodum in his mortuis carne nudatis, ut cum eorum oſſa comportarent unum in locum Platæenſes, inventum ſit caput, nullam ſuturam habens, ſed ex uno oſſe ſolidum*; Unicum itaque ſaltem

cra-

cranium ſuturis deſtitutum, ceu rarum quid, memorans, reliquis easdem nequaquam denegat. Aliàs Perſarum crania molliora & fragiliora, quàm Ægyptiorum eſſe, eò quòd illi capite ſemper tecto, hi verò ab ineunte ætate raſo & aperto, ſicque à ſolis calore indurando, obambulent, teſtis αὐτόπτης eſt prædictus Herodotus lib. 3. cui conſentit Adam. Olearius lib. 5. Itinerar. Perſic. cap. 12. Cæterùm præter Auctores à noſtro citatos plurima alia deficientis ſuturæ ſagittalis exempla proſtant: Ut jam non adducam tum recentiores, tum antiquiores Scriptores de ſuturarum omnium, & ſic etiam de ſagittalis abſentia agentes; in ſpecie ſagittalem defeciſſe, Theodor. Kerckringius Spicileg. anatom. obſ. 63. Gerard. Blaſius Comment. in cap. 13. Syntagm. anatom. Joh. Veslingii, Joh. Rhodius in mantiſſ. anatom. cent. 6. hiſtor. anatom. Bartholin. addita, obſ. 1., & Petr. Borellus cent. 2. obſ. & hiſtor. rarior. medico-phyſ. obſ. 63. teſtantur. Continuos autem & intenſos capitis dolores hoc ſubjectum, quo de præſens obſervatio agit, dum in vivis erat, excruciaſſe, non eſt mirum, & cauſa à contenta in cerebri ventriculis materia ichoroſa ac purulenta facilè pateſcit; conſtat enim, materiam talem, cùm & loco, & toto genere præter naturam ſe habeat, præter maxima alia ſymptomata, ingentes etiam excitare ſolere cephalalgias; unde per trepanationem materiâ iſtâ, cerebro moleſtâ, eductâ, ſedatas easdem legimus; uti videre eſt apud Joh. Rhodium cent. 1. obſ. 69. & 70. Petr. Marchettum obſerv. medico-chirurg. ſyllog. obſ. 19. & 20 Dominic. Panarolum pentecoſt. 5. obſerv. 25. Jobum Meckeranum obſervat. cap. 8. aliosque. Quòd verò ſuturæ ſagittalis defectus in eo ad dolorem hunc, remorando vaporum cerebro adverſorum exitum, quid contribuerit, haud facilè dixerim, cùm reliquæ ſuturæ non defuerint, exiguumque illud, quo lamdoides & coronalis ſutura pertuſa erat, foramen locum ejus haud difficulter ſupplere po-

 tuerit.

tuerit. Suturarum aliàs defectum capiti triſtem ſenſationem conciliare, omnium ferè Medicorum eſt judicium; ipſe etiam Cous noſter lib. de loc. in hom. capite ſaniores eſſe decernit, qui plures ſuturas habent. Nec obſtat, quod Aur. Corn. Celſus lib. 8. de re med. cap. 1. ſcribit: *Rarò calvaria ſolida ſine ſuturis eſt. Locis tamen æſtuoſis faciliùs invenitur. Et id caput firmiſſimum atque à dolore tutiſſimum eſt: ex cæteris, quò ſuturæ pauciores ſunt, eò capitis valetudo commodior eſt.* Hæc quippe Celſi ſententia, præeunte ita Hieron. Rubeo in annot. in Celſum, Dan. Sennerto Med. pract. lib. 1. part. 1. cap. 17. aliisque, de externis aëris injuriis poteſt intelligi, quæ, quò minùs cerebrum invadere queant, à ſolida cranii ſubſtantia inhibentur. Licet tali modo conſtitutum cranium, internis à cauſis cerebrum ut promtiùs adficiatur, occaſionem præbere valeat, vaporum utpote transſpirationem impediendo, quæ per ſuturas fieri communiter ſtatuitur; &, ſi non magna in copia fiat, aliqualis tamen negari minimè debet. Realdus ſanè Columbus lib. 1. Anatom. cap. 5. Patavii juvenem quendam ſecuiſſe ſe, ſcribit, qui diutino capitis dolore vexatus, nullis remediis ſanari potuerat, in cujus calvaria vix ſuturarum veſtigia adparebant, adeo quippe compacta ejus oſſa fuerant, ut os unicum eſſe viderentur. Ibidem etiam plures à ſe diſſectos memorat, qui, cùm in frequentem capitis dolorem, dum vivebant, incidiſſent, calvarias poſt mortem exiguis ſuturis præditas exhibuerint. Conjecturam hanc, ſuturarum in aliquibus, ſæviente capitis dolore, obſervata dilatatio confirmare videtur; qualia exempla apud Schenckium, Hildanum &c. occurrunt: *Sine dubio*, ut cum D. Franc. Ignat. Thiermairio lib. 2. conſil. medic. cap. 9. loquar, *ut viam facerent inimico, cerebri vaſa ejusque meninges moleſtè obſidenti.* Et quamvis cephalalgiæ non ſemper in illis, quos ſagittali ſuturâ carere, poſt mortem innotuit, deprehenſæ fuerint, eo ipſo tamen adſerti hu-

jus

jus probabilitas non infringitur; ſi enim in cæteris corpus debitè conſtitutum ſeſe habeat, robuſtumque exſiſtat, nec ſuperfluo humiditatis onere gravetur, aut eas etiam per alias vias, quas Natura diverſas invenire novit, è corpore amandet, non ſemper doloribus iſtis caput corripi, neceſſe eſt; ut taceam duriori vitæ generi adſuetos, dolorum, ſi vehementiâ non urgeant, adeo magnam habere curam haud ſolere, aut de iis conqueri, ſed pertinaciter laboribus inſiſtendo eosdem vilipendere.

OBSERVATIO XIIX.

Os frontis corroſum.

Eminentiſſimus & Illuſtriſſimus Cardinalis & Princeps, Dominus Franciſcus Guilielmus, Epiſcopus Ratisponenſis &c. Comes de Wartenberg &c. cùm Anno 1661. *de conſecratione templi cujusdam Patrum Franciſcanorum Reformatorum in Palatinatu ſuperiori, aliisq; muniis eccleſiaſticis peractis, ſub cœlo minimè clemente, frigido, & nimboſo, catarrhis ſimul & gravedine infeſtatus, Ratisponam rediiſſet, brevi poſt ſentiebat in fronte ſupra oculum ſiniſtrum tumorem quendam initiò parvum, mollem, qui indies altior ſuccrevit ad magnitudinem mali Perſici, ac ultra, absq; omni tamen dolore & rubore. Ego una cum Chirurgo artis ſuæ exercitatiſſimo ad curationem accerſitus ſtatim conjecturam habui, tumorem hunc ex affluxu & collectione inibi humoris pituitoſi, ſeroſi, ſalſi ortum fuiſſe; proinde præmiſſis univerſalibus & per vices alternas exhibitis catapotiis cephalicis, emollientia, diſcutientia, revellentia varia internè & externè è fonte pharmaceutico & chirurgico præſcripta fuêre; nec non, cùm epiphora, ſeu tumor parvus, rubicundus, in cantho oculi ſiniſtri externo accederet, convocatis è vicinia Bavariæ aliis duobus Medicis celeberrimis, hirudines, veſicatorium, & ſetaceum applicata; ſed omnia incaſſum. De inciſione tumoris quidem mentio fiebat, quam* Prin-

Princeps tamen ob metum hæmorrhagiæ periculoſæ ex improvidenter forſitan tacta frontis vena magna in proximo latente, abhorrens, tandem apertionem per corroſivum quoddam conceſſit, quâ peractâ, turundæ linimento maturativo & ſuppuratorio illinitæ ſæpius indebantur, ſine omni effectu, quia humor lentus, viſcoſus, intus latens arctè renitebatur, neq́; turundas profundè ſatis admittebat. Defatigatus deniq́; Eminentiſſimus, non quidem ex hoc tumore, ſed ex alio ſubitò adveniente affectu, ob commotionem & mærorem animi, inprovisò incidente causâ gravi, & obſtructione veſiculæ fellis, ut inferiùs alio loco dicetur, die primo Decembris ſupermemorati Anni mortem obiit. In cadaveris apertione & præparatione ad condituram, viſcera omnia ſana in ſuo naturali ſtatu & colore, absq́; omni prorſus defectu inventa ſunt, cor quidem & renes magni, itemq́; cerebrum, diſſectâ calvariâ, prægrande, album, & cum meningibus ſuis naturale ac illæſum ſine ſero & phlegmate ſuperfluo, præter quòd in loco tumoris, qui poſt mortem ſtatim conciderat, humor lentus, viſcoſus, coagulatus, ſubnigricans, nitidus, cum acetabulo quodam verſus oculi ſiniſtri canthum externum ſe vergente, ſine omni putredine ac fœtore ſpectabatur; pericranium verò inibi ad latitudinem rotundam humoris congeſti, cum ejusmodi portione cranii, deperditum, durâ matre & cæteris cerebri involucris, itemq́; muſculis & cute frontis externâ illæſis inventum; oræ læſi cranii itidem albæ, & quaſi ſtudio rotundè inciſæ fuerant, non molles, putridæ aut nigricantes apparuerunt, neq́; ulla cranii deperditi portio in cerebro vel involucris ejus, aut muſculis delituit. Ex obſervat. propr.

SCHOLION HELLWIGIANUM.

Cùm omnis tumor præternaturalis à quovis humore naſci poſſit, docente Hippocrate, & in maſſa ſanguinea humores quatuor, ſanguis ſcilicet, bilis, pituita, & bilis atra conſiſtant, hique rurſus duplices, naturales & præternaturales, ita etiam quatuor primæ & generales tumorum differentiæ oriuntur, ex mente

mente Anton. Saportæ lib. 1. de tumor. præternat. cap. 2. qui enim originem habent à fluxione ſanguinea, phlegmones; à fluxione bilioſa, eryſipelata; à fluxione pituitoſa, œdemata; à fluxione atræ bilis, ſcirrhi nominantur. Oedema autem præterea eſt tumor legitimus, ſi humor pituitoſus in una particula corporis inſederit, Galenus lib. 6. de morb. cur. & ortum ſuum habet ab affluente pituita præternaturali ſolâ ac tenui: aut illegitimus ex pituita aliis humoribus commixta; aut à ſpiritu flatulento. Exinde non indecenter referemus Cardinalis ſupra memorati tumorem, juxta Galen. comm. 24. lib. 1. prognoſt. ad œdematum genus, ut qui fuit tumor mollis, laxus, indolens, prementi digito cedens, non abſque concomitatu ſeri ſalſi atque ſpiritus flatulenti. Mollis & laxus ab humore pituitæ tenui: indolens, prementi digito cedens, quia pituita ſecundùm Galenum non ſolvit unitatem, quæ ſolutio aliàs dolorem infert: cum concomitatu ſeri ſalſi, quod vehiculum quaſi eſt omnis humoris per partes corporis tranſeuntis: cum concomitatu etiam ſpiritus flatuoſi, qui dum à calore inſito, qui nunquam otioſus, alteratur, vaporem quendam à pituita ſolet elevare, & intumeſcentiæ incrementũ dare. Et cauſa quidem œdematis hujus immediata eſt humor pituitoſus in ſanguine redundans per omnes corporis partes; quem pepererunt, credibile eſt, res non naturales, nimirum aër nimis frigidus & humidus, cibi crudi conſueti concoctu & digeſtione difficiles, itemq; diſcraſia in noſtro ſubjecto frigida & humida capitis, ex ambulatione & vectura ſub injuria aëris, intemperie partim, partim ex temperamento ſenili, præſertim penè ſeptuagenarii, atque ob cranii ampli & cerebri copioſi exiſtentiam. Qualem humorem pituitoſum interdum comitantur etiam ſpiritus flatulenti, qui iidem ab ipſa pituita redundante generantur in venis majoribus, ac itidem habent originem ab aëre externo nimis frigido & humido, nubilo & au-

ſtrino,

ſtrino, nimia repletione ciborum crudorum & flatulentorum, ſuppreſſione hæmorrhoidum, & alvo conſtricta. Generationis modus hujusmodi œdematis eſt, quòd, cùm natura gravatur à pituita redundante, inſurgit tunc facultas expultrix ad expellendum, & ſic à majoribus vaſis humorem hunc abundantem detrudit ad vaſa minora, qui ibidem detentus à denſitate cutis, colligitur in vel ſub parte muſculoſa, & efficit tumorem œdematoſum. Et œdema tale, quando non ſuccedit morbis aliis, affectus eſt quidem valdè diuturnus, & plusquàm annoſus, quum ob frigus ſuum validum à calore debili concoqui nequit, attamen magni ac feſtini periculi diſcrimine vacat, uti Galenus monet comm. 24. lib. 1. prognoſt. & cùm humor iſte ob acrimoniam ſuam fermentare incipit, tunc partes continentes per omnem dimenſionem attollit. Oſſa præterea corroduntur, atq; cariem contrahere ſolent vel à cauſis internis, humoris videlicet præternaturalis viſcoſi ſuperflui affluxu, vel materiæ affluentis pravitate, & ſeri ſalſi permixti acrimonia, aut etiam ex humoris affluentis occulta proprietate, ex ſenſu Galeni lib. de morb. cauſ. c. 7. qua nempe magis adverſatur oſſibus, quàm partibus cæteris; vel à cauſis externis, utpote aëre ambiente frigido, contuſione, inciſione, & medicamentis acribus, veluti Sennertus ſcribit lib. 5. prax. part. 2. cap. 13. ac cùm omne frigidum ex Hippocratis mente ſect. 5. aphor. 18. ſit oſſibus inimicum, itemque frigus ambientis aëris Galeno comm. ſuper aphoriſm. Hippocr. de nat. hum. quàm poteſt, penitiſſimè ſe in corpus infundat, & Hippocrate dicente lib. 6. morb. vulg. ſect. 3. venas rumpat, quo de Valeſius comment. ſuper hunc locum ita loquitur : frigus quia ſanguinem movet, & deſtillationes, venas frangit, & paſſiones hæmoptoicas facit : Non ineptè igitur caſum Cardinalis rurſum referamus ad tumorem œdematoſum ex pituita ſeroſa, ſalſa, concurrente ſpiritu flatuoſo, deſtillationes catarrhoſas acres,

cres, & ſternutationes vehementes cauſante, quarum ſternutationum violentiâ, accedente virtute expultrice, onere ſuo ſe exonerante, venulæ quædam ſub cute capitis carnoſa in patiente noſtro forſan ruptæ fuerint, ac humor præternaturalis ſtabilem locum in oſſe frontis prehenderit, moraque ſuâ os molliverit, & acrimoniâ ſuâ, ſeu occultâ proprietate corroſerit & conſumſerit, licet nulla particula cranii deperditi inventa, vel indicia putredinis & fœtoris ulla non apparebant, cæteris capitis partibus tum internis, tum externis ob lævorem ſuum intactis ac illæſis. Quoad curationem ejusmodi œdematis cum oſſis corroſione, ea facilior eſt, quæ in patulo, aſſerente Fabricio ab Aquapendente lib. 1. oper. chirurg. cap. 9. quàm quæ ſub cutis carnoſæ & muſculorum latebra latebit, ſuntque inprimis tria hîc obſervanda: primùm præſcriptio bonæ diætæ, cæterarumque rerum non naturalium directio decens, venæſectionis, & peccantium humorum purgatio tempeſtiva, ne ad partem affectam humorum major affluxus fiat; deinde ſuperpoſitæ cutis & carnis artificioſa ſectio ac oſſis denudatio; poſtremò oſſis corroſi vel corrupti ablatio. In initio verò animadvertendum, qua in parte corporis os corruptum ſit, num juxta nervoſas partes, ut in manibus, pedibus, vel in magnorum oſſium capitibus, aut in juncturis, in his etenim propter magnum nervorum & tendinum concurſum ac colligantiam, ſive muſculorum capita, operationes hæ ob vehementiſſimi doloris & ſpaſmi periculum, quod inſtat, fieri non debent, ſapienter monente Franciſco Pequetio lib. 3. oper. chirurg. cap. 8. ſicuti etiam, ubi magnæ venæ & arteriæ adſunt, ob metum hæmorrhagiæ nimiæ, periculoſa valdè eſt ſectio, quam & noſter timuit Patiens. Exemplum ſupra delineati œdematis habet Johann. Schenckius lib. 1. obſerv. med. c. 60. ex Anton. Benivenii tract. de morb. abdit. in monacho quodam. Alioquin oſſa capitis frequenter contingit corrodi ſub tumoribus iis, qui

luis venereæ ſymptomata habentur, qui ſi diu incurati manſerint, os, quod ſubeſt, corrumpitur, & corroſum redditur.

ADDITAMENTUM SCHRÖCKII.

DE hac obſervatione, ſi cui libeat, videri poſſunt Controverſiæ, inter Exc. D.D. Danielem Geigerum, & D. Auctorem noſtrum agitatæ, publicis typis exſcriptæ.

OBSERVATIO XIX.

Caſus ex alto, cum fractura cranii, ſine læſione cutis externæ.

FIgulus quidam & civis in oppidulo Bavarico Hof *ad pontem Ratisponenſem Danubii, è tertia contignatione domûs ſuæ noviter reædificatæ in plateam decidens, ſtatim loquelam & auditum amiſerat, largusq́ ſanguinis fluxus è naribus & auribus ſubſequutus, hisq́ tumor capitis ingens atque vomitus ſucceſſit, nullo autem vulnere, aut cutis læſione apparente, attamen non ſine ſuſpectione confracti ac contuſi cranii. Cui ſtatim venam medianam brachii dextri incidi curaveram, ac initiò fomento ex vino calido & oleo roſaceo ad tumoris diſcuſſionem capiti circumvoluto, brevique poſt ſimul emplaſtro catagmatico ac cæteris externis & internis remediis ritè adhibitis, diætaque decente injunctâ, poſt ſeptimum & nonum diem loquela & auditus redierunt, ac intra ſex ſeptemve ſeptimanas totus reſtitutus & ſanus munia ſua rurſum obiit.* Ex obſerv. propr.

SCHOLION HELLWIGIANUM.

FAcilè contuſionem, fracturam, aut vulnus cranii in bregmate fieri, ſcribit Franc. Pecquetius lib. 2. oper. chirurg. c. 53. cùm hoc os ſit infirmiſſimum, quia in generatione primùm non fuit factum, ſed poſt generationem, adoleſcente puerulo; deinde ratione ſuturarum, quum ibi ſagittalis cum coronali conjungitur;

gitur; denique quia tenuiſſimâ cute contegitur. Ejusmodi cranii fractura aut contuſio præterea accidit, vel cum denudatione cranii, cute vulneratâ & conciſsâ; vel non conciſsâ, uti hîc in ſingulo: ſecundò cum læſione ſubſtantiæ cerebri ejusque membranarum, aut ſine læſione earum. Ac rectè monet Hippocrates initio libri de capitis vulnerib. nullum vulnus capitis contemnendum eſſe; ſæpe enim cutis ſola contuſa, niſi diligenter & cum cautione curetur, vulnus incrudeſcens non parum moleſtiæ exhibet, atque Medico quidem & Chirurgo negotia, ægroto quoque non minus periculum adfert; & hoc multò magis contingit, ſi cranium & cerebri membranæ corrumpantur. Signa autem fracti cranii & periculi futuri ſecundùm Pequetum, l. 2. oper. chir. c. 56. deſumenda ſunt: primò ex inſpectione oculari fracturæ, deperditâ cute; ſecundò: illæsâ cute, ex inquiſitione inſtrumenti, quo & quomodo plaga ſeu inflictus factus fuerit; tertiò ex contemplatione partis capitis læſæ, cùm cranium ſit non æquè validum & robuſtum, quia juxta tempora & ſuturas faciliùs frangitur, faciliùs etiam in anteriori, quàm poſteriori parte; quartò ab in plaga ſive vulnere contentis, num, videlicet intra vulnus adſint capilli inciſi, quod Hippocrati cranii læſi certiſſimum ſignum eſt; quintò ab oſſis denudatione, & pericranii inciſione; ſextò ab ægri reſponſionibus, an in ictu vel caſu oculi caligârint, an vertigines paſſus fuerit, & ſine ſenſu & motu jacuerit, num obmutuerit, ſanguis per nares & aures atque os effluxerit, num bilem vomuerit, num ſtrepitum quaſi fracti cranii ſenſerit? & inſuper plura alia. Oſſium autem fracturæ curatio alioquin ex mente Chalmetei lib. 4. enchirid. chirurg. cap. 1. conſiſtit in rebus quatuor obſervandis: primò ut oſſis fracti partes in formam naturalem reducantur; ut extrema oſſis fracti ad amuſſim conjuncta ſic immota maneant; tertiò ut os fractum & reunitum poro ſeu callo agglutinetur; quartò ut acciden-

cidentia, quæ ſupervenire ſolent, cohibeantur & corrigantur. Præcipuè ſi fractura cum ſoluta & inciſa cute fieret, ac fragmenta laterent, quæ ex dolore pungente ſentiuntur, prævidendum ut priùs eximantur, ſic facilior & ſecurior ligatura fiet, ſymptomata quoque gravia præcavebuntur. In fractura econtra cranii, cute integrâ conſtante, contra Celſi & aliorum ſententiam, cutem non ſecandam eſſe cenſet Vidus Vidius comm. in lib. Hipp. de capit. vuln. quod cum grano ſalis dictum vult Sennertus lib. 1. prax. ſect. 1. cap. 24. cùm ſcilicet non magna ſanguinis copia ſub cranium effuſa ſit, neque os fractum membranas pungat, neque cranium depreſſum cerebrum comprimat. De curatione fracturæ & contuſionis oſſiũ capitis, læsâ vel illæsâ cute, exempla habet Joh. Schenckius lib. 1. obſerv. med. obſ. 41. & ſeqq. Fabricius Hildanus cent. 4. obſ. chir. 4. Gregor. Horſtius lib. 2. obſerv. med. ſingul. obſ. 1. 2. & 3. itemque epiſt. medic. ſect. 17. Petr. Foreſtus lib. 40. obſerv. med. 35. in ſcholio, ubi maximè commendat venæſectionem in principio curationis ejusmodi caſuum capitis. Plura ſpecialiora, ſi lubet, ex Chirurgis practicis petantur.

ADDITAMENTUM SCHRÖCKII.

HIppocratis in Scholio adductum ſaluberrimum monitum ſi imperiti negligentesve quidam Medici & Chirurgi attentiùs, ut par eſſet, obſervarent, famæ propriæ & ægrotorum ſaluti, aliorumque commodo rectiùs ſæpiſſimè conſulerent. Medicus enim parvum ſubeſſe periculum credens, atque ſecuros propterea adſtantes eſſe jubens, ſi à levi aliquo errore externo, vel naturâ morbi ſic ferente, gravia ſuperveniant ſymptomata, ipsave mors inexſpectata opprimat, mendax publicè proclamabitur, omnium, ſi quæ inſurgant, turbarum cauſa reputabitur, vel etiam ob morbum non ſatis cognitum, mortis culpâ denigrabitur, ſicque alienam culpam facilè ſuam faciet; atque hoc tantò magis,

gis, cùm nil frequentius ſit ingratiſſimo illo hominum, ſi homines vocandi ſunt, genere, qui, licet magnâ ſedulitate Medicus nihil planè eorum in diagnoſi, prognoſi & cura intermiſerit, quæ in artis poteſtate erant, mox culpam mortis innocenti Sospitatori imputant, quam vel morbi truculentiæ, vel ægri inobedientiæ & intemperantiæ, aut etiam propriæ interdum negligentiæ acceptam referre deberent. Ut taceam, iſtum levioris vulneris contemtum, qui neglectam idoneorum & ſufficientium remediorum adplicationem utplurimum conjunctam habet, facillimè ægrum, ſervari aliàs qui potuiſſet, ad certam internecionem deducere. Dubitare itaque & certum eventûs præſagium ignorare velle, ſumma hîc erit prudentia. Uti verò levioribus in capitis vulneribus temeritas abeſſe in Medico & Chirurgo debet: ſic vitare in gravioribus nimiam timiditatem pariter convenit; cùm, prout illa mortem quandoque præter opinionem inferunt, ita feliciter hæc præter omnem ſpem & exſpectationem ſæpius curentur. Utriusque exempla, cùm ubique Medicorum in ſcriptis obvia proſtent, cumulare ſuperſedeo, unicum duntaxat indigitâſſe contentus, quod Exc. D.D. Georg. Segerus in Ephemer. German. Curios. Ann. III. obſ. 199. recenſet, capitis nempe vulnuſculum Chirurgi culpâ neglectum, letale deſcribens; gravioris econtra vulneris feliciter ſanati pro exemplo præſens ab Auctore delineatus Caſus inſerviat; ubi loquelæ & auditûs amiſſio, largus ſanguinis è naribus & auribus effluxus, vomitus &c. ſalutis ſpem dubiam admodum & incertam reddere potuerunt; inprimis cùm ſymptomata hæc latentis in cranio fiſſuræ vel fracturæ ſuſpicionem meritò præbuerint. Hæc enim & ſimilia pro fracti cranii ſignis diagnoſticis, nõ tamẽ infallibilibus, communiter habentur; quamvis non deſint alii etiam modi in cognitionem adfectûs hujus, præſertim ubi illæsâ cute, cranium frangi contigit, deveniendi, qui Chirurgorum in

 libris

libris videri poſſunt. Hos inter etiam conſiderari digna eſt exploratio per cataplaſma vel ceratum impoſitum inſtituta; dum ſcilicet compoſitum è thure, ladano, terebinthina, farina fabarum, cera & aceto (quale Hieron. Fabricius ab Aquapendente lib. 2. chirurg. univers. cap. 8. & Franciſcus Peccetius lib. 2. chirurg. cap. 56. proponunt,) ſimilibusve ceratum capiti priùs deraſo imponitur, in quo, ſequenti die remoto, major comparens ſiccitas locum oſſis fracti detegere creditur. Cui tamen contrariatur experimentum, ſimili in caſu à Petr. Borello cent. 2. hiſt. medico-phyſ. 20. delineatum, dum Comiti cuidam cataplaſma ex farina fabarum toti capiti, deraſo priùs capillitio, admotum fuiſſe, atque in exſiccato illo figuras fiſſurarum cranii latentium optimè delineatas Chirurgos percepiſſe, refert, *Cataplaſma enim*, addens, *non exſiccatur in locis fiſſurarum & fracturarum, ſicq; arte detecta fuerunt, quæ viſu percipi nequibant.* Aliorum itaque mens eſt, à ſiccitate adpliciti medicamenti; Borelli autem, ab ejusdem humiditate ſedem fiſſurarum & fracturarum cranii manifeſtari. Borello tamen fides hac in parte non deneganda videtur; cùm per ſimiles cranii aperturas exhalans è cerebro humiditas (quam in quodam graviſſimè in capite vulnerato, quoties pulmones exſpirando deplebantur, densè ſatis è cerebro unà exhalare, paucis abhinc annis manifeſtiſſimè obſervavi) impoſito Cerato vel Cataplaſmati adhæreat, illudque humectet.

OBSERVATIO XX.

Caſus puellæ ex alto, cum læſione cranii & ablatione portiunculæ ſubſtantiæ cerebri.

Puella

Puella quædam Noribergæ è feneſtra deſuper in aream cadens, oſſe frontis circa ſuturam coronalem fracto, promanante materiâ albicante, molli, cerebro non abſimili, feliciter ſanata eſt. Ex obſervat. propr.

SCHOLION HELLWIGIANUM.

MAgna & gravia vulnera capitis, dicente Galeno lib. 4. therapeut. non mediocre periculum advehunt, potiſſimum, ſi quid interiùs unà ſit vulneratum & læſum. Tametſi hoc, ab Hippocrate & aliis multis modernis Medicis etiam dictum, quòd cranii vulnera cum cerebri membranarumque ejus inciſione, difficulter ſanari poſſint, verum ſit, tamen ſatis prognoſticis non credendum, quia ſæpius homines in hoc caſu ſervantur; quod quidem multi non vi medicaminum & artis medicæ, ſed potiùs divinâ potentiâ, cui volenti nihil impoſſibile eſt, factum volunt. Trifariàm autem magna vulnera gravia redduntur, docente Foreſto lib. 4. obſerv. chirurg. 2. in ſchol. nempe vel propter partis affectæ excellentiam, vel propter affectus magnitudinem, vel quòd ſint cacoëthe, id eſt, maligna, contumacia, rebellia. Vulnera gravia præterea ex mente Galeni ſuper Hipp. aphor. ſect. 6. aph. 18. vel ſunt ex neceſſitate lethalia & inſanabilia, ut cordis ob motum continuum; vel tantùm magna ex parte talia, ut cerebri quod non movetur, & molle eſt, atque temperiei frigidæ. Niſi etenim ſit maximum vulnus, & circa baſim cerebri, atque cum aliis morbis annexum, utpote cum membranarum inflammatione, non neceſſariò lethale eſt, ſed utplurimum vel ex æquo. Et ut clariùs Fallopius in lib. de capit. vulner. loquitur, ſi vulnus magnum, non autem maximum cum ablatione ſubſtantiæ unà cum membranarum inflammatione, lethale quidem utplurimum erit; ſi verò vulnus mediocre ſine ſubſtantiæ cerebri ablatione, & ſine inflammatione, lethale habetur ex æquo. Vulnera ergo cerebri non ſunt neceſſariò lethalia, quia cerebrum

non

non eſt inſtrumentum vitæ & caloris naturalis, nec etiam inſerviens inſtrumento vitæ, nec habet ſubſtantiam duram, ſed mollem, frigidam, quæ non facilè inflammatur, nec movetur, ſed quieſcit. Utplurimum igitur talia capitis ac cerebri vulnera non neceſſariò & abſolutè ſunt lethalia, ſed propter magnitudinem tantùm, ut & Tagaultius ſcribit lib. 2. inſtitut. chirurg. cap. 3. præſertim ſi non ante diem nonum vel decimum ſymptomata gravia coincidant; quæcunque verò poſtea ſuperveniant, ſive ex inſcitia & negligentia chirurgi, ſive ex aliquo alio errore externo ortum habent, ac plerunque mortem inducunt. Sed quando, pergit Fallopius, contrariæ ſententiæ eſt Hippocrates in lib. de cap. vulner. cùm dicit, vulneratos in cerebro mori: reſpondeo cum Galeno comm. aphor. Hippocr. ſect. 6. aph. 18. ubi qui habent reſectum cerebrum neceſſariò mori dicit, de maximis tantùm cerebri vulneribus loqui puto, quod quidem ex eodem Hippocrate confirmatur, qui in 2. prorrhet. enumerans partes, quæ vulneratæ inducunt mortem, eas ait non ex æquo, ſed alias partes magis inferre, alias minùs: eas autem inferre mortem, quæ maximis vulneribus afficiuntur. Loquitur ergò Hippocrates de maximis capitis vulneribus: hucusque Fallopius. Et certè non omne vulnus portionem duntaxat abſumens cerebri, ſed totum cerebri ventriculum unum & alterum penetrans mortem advehere experimur. Cerebri læſionem ſequuntur plerunque ſymptomata periculoſa, nimirum: fluxus ſanguinis per aures & nares, vomitus bilioſus, mentis ſtupor, balbuties, loquelæ amiſſio, epilepſia, icteritia, paralyſis, convulſio, rigor, febris, vacillatio imaginationis, ratiocinationis, & memoriæ, vultûs torvitas, oculorum huc & illuc cita motio, delirium tertiâ vel quartâ die, aliquibus diſtenſio nervorum, & plerique ante mortem faſcias, quibus caput deligatum fuit, lacerant, ac vulnus nudum aëri frigido objiciunt. Inſuper cùm multi, ut ſuperiùs

riùs dictum, cerebri læſionem, præſertim cum ablatione portionis illius, periculoſam & lethalem fore velint, atque cùm, ablatâ portione, nulla ſymptomata gravia ſubſequantur, & materia quædam alba & mollis è vulnere propendeat & exempta ſit, ut in puella noſtra memorata (quæ vera & genuina portio ſubſtantiæ cerebri fuerat) non veram ſubſtantiæ cerebri portionem eſſe, ſed adipis quid cenſent, non inconcinnum erit, hos de differẽtia adipis & veræ ſubſtantiæ cerebri indiciis certis ex Paræi lib. 9. oper. chirurg. c. 2. inſtruere: adeps nimirum aquæ eminet & innatat, ſubſtantia verò cerebri, utpote medulloſa, in aquam injecta, fundum ſtatim merſa ſubit: denique adeps igni admotus diffunditur & liquatur, at hæc candenti laminæ impoſita reſiccatur & inareſcit, lorique inſtar in ſeſe contrahitur, quod omni medullæ familiare eſt, minimeque liquatur. Præterea ſub cranio adeps ulla gigni non poteſt; nam etſi conceptæ illìc partes frigidæ ſint, attamen quia ſpirituum animalium calidiſſimorum & prætenuium copia, quæ vaporum è toto corpore eò ſuſcitatorum calore fervet, adipem circa ſe concreſcere non patiuntur. Exempla aliàs fracti vel contuſi cranii ex caſu ſeu vulneratione violenta, cum læſione & ablatione portionis cerebri habet permulta Joh. Schenckius lib. 1. obſerv. med. 67. Gregorius Horſtius lib. 2. obſerv. ſingul. 2. 5. & 6. item epiſt. med. ſect. 17. Petr. Foreſtus lib. 40. obſerv. med. 36. in ſchol. Thom. Bartholinus epiſt. medic. cent. 1. epiſt. 93. ut & Barthol. Cabrolius in libello obſerv. variar. elencho anatom. adjunct. obſerv. 43. ubi meminit mirabilis curæ læſi cranii, cum ablatione portione cerebri, è lardo tantùm liquato bimeſtri feliciter peractæ. In Miſcell. Academ. Naturæ Curioſ. Ann. II. obſerv. 119. citantur etiam diverſi Authores, qui ſcripſerint, vulnera cranii, cum ipſa ſubſtantiæ cerebri deperditione, adveniente ægri naturâ benè diſpoſitâ & obedientiâ, feliciter curata fuiſſe; ac pariter no-

tatur ex Antonii Stadlenderi relatione epiſtolica, quòd in demortuis ex fractura, vel contuſione cranii cum cerebri læſione, is ter in hepate apoſtemata inſignia invenerit. Credo ego cum Paræo lib. 16. oper. chirurg. c. 12. per metaſtaſin hoc fieri, cùm ſcilicet in vulneratis humor purulentus à plaga retrò in corporis centrum remeat, & ſanguini mixtus, per circulationem perniciali ac contagioſo ſuo transitu cor & hepar inficit, ſicque mortem plerunque adducit.

ADDITAMENTUM SCHRÖCKII.

QUòd hepatis apoſtemata illis, in quibus caput inſigniter fuit vulneratum [id quod in ſpecie de vulneribus muſculi temporalis letalibus, ex plurimorum cadaverum apertione edoctus, teſtatur Joh. Virſungus, ceu refert Joh. Theodor. Schenki9 Exerc. anat. pag. 177.] quandoque ſuperveniant, cauſam, cum Paræo, in purulentæ vulnerum materiæ metaſtaſin, quam etiam Paul. Marquard. Slegelius apud Cl. Georg. Hieron. Welſchium obſerv. medic. epiſagm. 56. agnoſcit, Auctor rejicit, quatenus nempe iſta ſanguini mixta, & cum eo, vi circulationis, ad hepar delata, illud inficiat. Verùm non ex cerebro peccantem hunc in hepate humorem derivandum, ſed alia à causa ortum ejus eſſe deducendum, Clar. D. Paul. Barbette in epiſt. ad Job. Mekeranum, quam hic capiti 2. obſervationum ſuar. rarior. inſeruit, objicit; videlicet à cruore in vulnere capitis extravaſato, inque pus converſo, ſanguinem, vulnus circumfluentem, inquinari, atque ita inquinatum ad hepar [ſanguinis à bile aliarumq; impuritatum ſeparatorium viſcus, paucis arteriis, & hinc paucis etiam ſpiritibus, quorum miniſterio ad ſubigendum hoſtilem iſtum liquorem opus haberet, multis econtra exiguis venis, facilè à craſſo ſanguine obſtrui aptis, præditum] delatum, illud exulcerare, ingeniosè tradit. Quamvis hæc ſententia Antiquorum, Paræi nempe & qui cum eo faciunt, contrariari, primâ fron-

fronte nõ videatur, cùm ubique ſanguinis à pure inquinatio proponatur, Barbettum tamen de ſpirituali quaſi inquinatione & contagio, ex purulento vulneris humore in ſanguinem derivato intelligendum eſſe, credibile eſt; prout econtra Paræus ipſius purulenti humoris cum ſanguine permiſtionem & transpoſitionem proponit. Mihi tamen poſteriorem hanc opinionem haud eſſe improbandam veroſimile videtur; idq́ue probare puto αὐτοψίαν, dum in his, qui capite vulnerati abſceſſus hepatis incurrunt, ultimis ante obitum diebus, vulnera ſicciora, puriſq; imminutio deprehenduntur; unde hoc, ſenſim ad venas ſibi viam parando & penetrando, in eas recipi, inq́ue hepar deponi, credi poſſet. Quæ ſanè vulneris exſiccatio ut contingeret, neutiquam neceſſe foret, ſi ſpirituale ſaltem puris contagium in ſanguinem transiret. Quin & hac ratione in omnibus vulneratis & exulceratis apoſtemata hepatis, contradicente tamen experientiâ, obſervari deberent, cùm ſanguis quibuscunque in partibus, inflicta vulnera & ulcera circumfluat, atque ſic cogatur ſemper puris ſubtiliores particulas admittere ac iisdem inquinari. Sed obſtare fortè huic adſerto poſſet fonticulorum in febribus ſæpe obſervata exſiccatio, quam non tali puris metaſtaſi, ſed aliam ob cauſam accidere communiter docetur, ſive quòd à calore febrili humidiores corporis partes abſumantur, ſive calor naturalis ob imbecillitatem contractam, in expurgando & concoquendo humore purulento deficiat; unde etiam hanc ipſam ob rationem vitæ periculum denunciari, apud Practicos in confeſſo eſt; prout etiam ipſe Hippocrates lib. de vulnerib. capit. ſigna inter letalia febrem primo loco ponit, eaq́ue dum ſupervenit, vulnus ſaniem modicam effundere, teſtatur. Verùm neutrum hîc locum habere poteſt, cùm quidem tali adfectu prehenſos vitæ diſcrimen ſubire certum ſit, febris tamen iſtam puris diminutionem non ſemper antecedit, ſed tantùm inſequitur; id

quod clarè ſatis ex Mekerani relatione habetur, qui vulneratum ſuum paucis ante obitum diebus de dolore dextri hypochondrii conqueſtum fuiſſe, & ſimul pus decreviſſe, febrem autem ſucceſſiſſe, memorat; virium etiam, quarum potior ratio in caloris nativi integritate conſiſtit, decrementum cum febre demum irrepſiſſe, ibidem habetur. Nec impoſſibilis eſt illa materiæ purulentæ transpoſitio, cùm & in aliis morbis eandem accidere, apud omnes extra dubitationem poſitum ſit; quod empyicorum puris per urinam non infrequens evacuatio inprimis oſtendit. Alium transpoſitionis purulenti humoris modum Chirurgus olim exercitatiſſimus, Dn. Petrus de Marchettis obſervat. ſuar. chirurgic. 15. proponit, ſæpiſſime obſervaſſe ſe, referens, quòd, ubi in vulneribus hiſce collum dolere incipit, materia purulenta tunc ad thoracis & abdominis cavitatem, cum pulmonum, hepatis & lienis labe delabatur. Viam tamen, per quam defluxus iſte contingit, non clarè exprimit; quam fortè interſtitia muſculorum & reliquarum partium ſuppeditare poterunt, ita ut pus ſenſim iſtis ſeſe inſinuando, eaque penetrando tandem pleuram, ut Auctor innuit, aliasque partes erodat, ſicq; in cavitatem pectoris & abdominis delabatur.

OBSERVATIO XXI.

Percusſio temporum lethalis.

Miniſter Baronis cujusdam Auſtriaci Noribergæ à gallo gallinaceo roſtro in oſſa temporum petitus & percuſſus, foramine vix ſenſibili, adveniente convulſione, intra paucos dies obiit. Ex obſerv. propr.

SCHOLION HELLWIGIANUM.

Oſſa temporum utrinque ad aures ſita, ſunt duo, aliquibus mendoſa dicta, figurâ & temperie inæquali, supernè ſcilicet mollia, tenuia, imbecilla, ad ſqammarum formam, unde & ſquam-

ſquammoſa dicuntur; infernè duriſſima, & rupis inſtar ſcabra, indè petroſa nominantur. Obteguntur hæc oſſa utrinque muſculo inſigniter magno, valido, robuſto, qui oritur in temporibus principio lato, carnoſo, & ſemicirculari, ſenſimq; deſcendendo arctatur cum tendine nervoſo, brevi, & valido. Nervi utrinque tres in eum inſeruntur, duo ex pari tertio, tertius ex pari quinto; quapropter læſo hoc muſculo, vel contuſo, metus & periculum eſt magnum convulſionis, ac tandem mortis, præſertim ſi afficiatur pars inferior, quæ magis nervoſa, aſſentiente Thomâ Bartholino lib. 3. Anat. reform. cap. 11. quod & in memorato noſtro Caſu experientia docuit. Siquidem & Galenus I. artis medicin. c. 92. ſcribit, nervorum & tendinum puncturam valdè periculoſam eſſe, propter ſenſûs vehementiam, & quoniam hæc pars principio continuatur, promptam eſſe ad convulſionem excitandam, tunc præſertim, cùm nihil prorſus exſpirat, occœcato vulnere. Indè & aperta punctura facilior curatu, quàm cœca & occluſa, ſicuti in noſtro ſubjecto. Pravorum autem ſymptomatum in ejusmodi punctura cauſa primò eſt nervorum maxima ſenſibilitas, quæ principio, velut ſupra dictum, id eſt cerebro, ex quo nervi originem habent, continuatur, cui & omnes affectus communicantur: deinde quia in tali vulnere ſordities genita intra conſtringitur, & venenoſam qualitatem acquirit, propterque cutis & carnis occluſionem evacuari nequit; exin naturam ſtimulat, dolorem ingentem adducit & convulſionem, ſicuti Pequetus aſſerit lib. 2. Oper. chirurg. cap. 45. Ideoque idem ſubſequenti capite monuit, quòd in curatione vulneris temporum ex punctura duæ obſervarentur intentiones: primò, ut quicquid extraneum in vulnere fuerit, extrahatur; deinde ut partis vulneratæ temperies ſervetur. Pro hac aſſequenda, ad quatuor ſcopos directio fiat: primò, ſex rerum non naturalium optima ſit conſtitutio; ſecundò, antecedentis

materiæ, h. e. præternaturalis humoris in corpore abundantis evacuatio ; tertiò, à convulſione præſervatio ; quartò denique, doloris lenitio. Quæ omnia feliciter ſuccedant, ſi præcaveatur, ne vulnus nimis citò coaleſcat, quamdiu phlegmonis ſuſpicio adſit, quod quatuor dierum ſpatio erit, ob id fotus oleo calente ſemper applicetur, atque tunc demum, ſi dolor conquieſcit, aliaque ſymptomata ſedantur, coaleſcere vulnus permittatur. Exempla læſi oſſis temporum, ac muſculi temporalis ex caſu vel ictu, referuntur apud Joh. Schenckium lib. 1. obſerv. med. 53. & ſeqq.

ADDITAMENTUM SCHRÖCKII.

VUlnera temporum periculoſa eſſe, omnes Antiquiores unanimiter fatentur, & non pauci ex Recentioribus. Quibus ſanè pollicem premit experientia. Cauſæ verò, præter illas ab Auctore in Scholio allegatas, plures occurrunt aliæ. Inprimis autem ob inſignes in muſculum temporalem à Natura, quæ valido eum præfecit peragendo motui, inſertos nervos, læſio quæ ibi accidit, magnum, ut Auctor cum aliis innuit, convulſionis periculum inducit. Et hanc ipſam nervorum propter copiam, acri ſenſu cùm præditus ſit, inflammationi, ex dolore concepto, valde redditur obnoxius, quæ ipſum dein cerebrum periculosè admodum adficit, quod I. C. Arantius coment. in Hipp. lib. de vuln. capit. notaverat. 2. Convulſionem in oppoſita parte metuendam accuſat Hippocrates in Coac. prænot. ſcribens : *Quibus tempora ſecantur, convulſio ex contrariis ſectioni partibus oboritur* : id quod etiam lib. de capit. vuln. admonuit. Cujus eventûs cauſam varii variè interpretantur, eandem modò in malignam puris à vulnere, ob copiam, tenuitatem &c. eò tranſlati qualitatem, quos inter eſt Andr. Laurentius lib. 10. hiſt. anatom. hum. corp. cap. 6. modò in nervorum originem, dum v. g. Proſper Martianus Comm. in Epid. Hipp. lib. 7. ſect. 1. vers.

377. ſiniſtri lateris nervos ab arteriis dextri lateris, & vice verſâ oriri (vid. etiam de tali nervorum decuſſatione Joh. Anton. Lindanus Medicin. phyſiolog. cap. 16. art. 17. §. 295. &c.) autumat; modò in medicamenta localia, partem læſam defendentia & per inſenſibilem transſpirationem puris ſqualorem deteriorem abſumentia rejicientes, ceu Exc. Joh. Frider. Treublerus in epiſt. 91. cent. 2. apud Bartholinum ſtatuit. Quæ tamen cùm non unâ laborent difficultate, de alia meritò diſpiciendum erit cauſa; quam Guil. Fabricius Hildanus obſerv. & curat. chirurg. cent. 2. hiſt. 8. ſuppeditat, oppoſitum in parte ſana muſculum, dum ſuo fungitur officio, maxillam ad ſe trahere, perhibens, unde fiat, ut, cùm læſus interim quieſcat, maxilla verſus partem ſanam non ſine maximo dolore trahatur; quam rationem Ill. Thom. Bartholinus cent. 5. hiſtor. anat. 2. adprobat putridi tamen vaporis communicationem non omnimodè excludens. Id quod pariter confirmat Franc. Peccettius lib. 3. Oper. chirurg. cap. 65. *Sectis* inquiens, *illis muſculis, ad maxillæ inferioris motum, dum os clauditur, deſervientibus, muſculi contrariæ partis, qui non ſunt ſecti, ad ſuum principium contrahuntur, cùm non fuerint impediti à muſculis alterius partis, cum jam reſecti fuerint, & ideo in oppoſita parte nervorum diſtenſio fit.* Sic quoque Clar. Thom. Willis cap. 1. Patholog. cerebr. de tetano agens, à reſolutione ſive relaxatione quorundam muſculorum capitis, oppoſitorum intenſiorem actionem oriri, docet, unde hi partem, quæ inter utroſque velut in æquilibrio conſiſtere debuit, verſus ſe totam corripiant. 3. Inſignia vaſa ſanguifera, arteria inprimis temporalis in eo conſpicua, ſi gravi vulnere lædantur, maxima & perículoſa hæmorrhagia pertimeſcenda erit, mortem, nî citò cohibeatur, minitans; quam tamen ſelectiſſima, ut Joh. Scultetus in Armament. chirurg. part. 1. tab. 29. §. 13. loquitur, nonnunquam vix ſiſtunt ſtegnotica. 4. Pericranium, hunc ſolum muſculum

ſculum exteriùs involvens, (conjecturam cur id à Natura fiat, vide apud Paulum Barbettum lib. 2. Anatom. pract. cap. 1.) ſi lædatur, facilè inflammationem concipit, quæ dein membranæ cerebri craſſiori, ſive duræ meningi, à qua pericranium originem trahit, communicata, ulteriusque facilè progreſſa, non leve periculum portendit. 5. Os temporum, quod poſt ſyncipitis os, infirmiſſimum præ reliquis in capite eſſe, Hippocrates lib. de vulner. cap. pronunciat, (id quod tamen de parte ejus tantùm ſuperiori, quæ ſquammoſa aliàs dicitur, non de inferiori ejus, utpote duriſſima, adeoque petroſa dicta, accipi debet,) graviter percuſſum, facilè frangitur, unde majora utplurimum & periculoſa ſymptomata ſunt metuenda, præſertim ubi diffracta illius particula, graviori impulſu, cerebrum ipſum ſubjectaq; vaſa læſerit; quale exemplum apud Ill. D. Thom. Bartholinum cent. 5. hiſt. anat. 5. videri poteſt. Hinc oſſium juxta tempora diſruptiones convulſorias in Coac. prænot. vocat Hippocrates; convulſionem autem ex vulnere letalem Idem determinat. Galenus etiam cùm lib. 11. de uſu part. cap. 2. quæſtionem moviſſet: Cur Natura muſculos propemodum totos in capitis oſſibus abdiderit? cap. 3. omnes inter muſculos, hos potiſſimùm, ſi læſi fuerint, convulſiones &c. inferre, ideoque, ne minimè adficerentur ab extrinſecis, contundentibus ſcilicet & incidentibus, Naturam oſſa dura in orbem, quaſi ſeptum quoddam circumjeciſſe, reſpondet. Cæterùm dum idem Pergamenus l. c. læſionem horum muſculorũ ideo maximam inferre noxam, ſtatuit, quòd nervorum principio ſint proximi, ſolumque os cranii ipſos prohibeat, quò minùs cerebrum ipſum contingant, ſi de ſimplici læſione, absque contuſione vel fractura dicti oſſis contingente loquatur, haud usque quaque placere poteſt, cùm naturale iſtud durum & oſſeum interſtitium muſculo huic comunionem cum cerebro ſat difficilem reddat, ita ut mente concipere nequeam,
quâ

quâ ratione quidquam noxæ vicinia iſta in cerebrum derivare valeat. Sed quamvis periculoſæ ſint iſtæ læſiones & vulnera, letalitatem tamen propterea, ſi debitè tractentur, non neceſſariò conjunctam habent; præſertim ſi pars muſculi ſuperior carnoſa tantùm, nec aliæ ſimul nobiliores partes [uti in cit. Bartholini obſervatione contigit] læſæ fuerint. Unde muſculorum horum vulnera non æquè omnia pernicioſa eſſe, Clar. Joh. Veslingius Syntagm. anat. cap. 13. monuit, addens: *Nam ſuperiore illius regione, obliquis transverſisq́ plagis latè ſauciatâ, ægri mortem evasêre; quo loco, cùm ex lapſu fiſſum temporum os foret, admotis terebellis hominem exitio ſubducere licuit. Quæcunq́ tamen humiliorem nervoſamq́ partem affligunt noxæ, frequenter lethalium convulſionum diſcrimen ſecum trahunt.* Quin etiam, vulnus ſi latum non exſiſtat, curari tamen, & quidem cum dilatatione ejus, etiam ſcalpelli ope factâ, poſſe, compertum habetur. Sic celeberrimus D. D. Wepferus Romæ in juvene quodam, ab acuto ſaxo in tempore dextro, cum oſſis ſubjecti rima, læſo, vulnus dilatatum vidit, muſculum etiam temporalem ex parte ſecare, & terebrâ cranium eò loci perforare, ſicque præter multorum exſpectationem ægrum bonæ valetudini reſtituere. Joh. Scultetus Armament. chirurg. part. 2. obſ. 1. exemplum vulnerati temporalis muſculi proponit, quod vulnus dein ſcalpello dilatatum & feliciter ſanatum fuerit. Samuel Fomius mulierem ex ictu lapidis in tempore ſiniſtro vulneratam curavit, inciſione cruciali ſupra crotaphitam, ut fracto oſſi trepanum admovere poſſet, factâ, neque ullum exin grave ſymptoma exortum fuiſſe, teſtatur. Id quod pariter Oſias Aimar in viro obſervavit, ceu apud Lazar. Riverium in obſervat. commun. notatum fuit. Borellus quoque innocuæ iſtius ſectionis ſpecimen cent. 2. obſ. 20. deſcribit, quod pariter apud eundem Iſaac. Cattierius obſerv. commun 9. fecit. Ut adeo à ratione alienum, quod Dominic. Pana-

 rolus

rolus putat pentec. 1. obſ. 8., minimè eſſe, optimi exercitatiſſimique Medici & Chirurgi expertum habeant, ſi quis in temporum vulneribus dilatationem quandoque aliasve chirurgicas operationes mirâ felicitate exercuiſſe ſe, referat.

OBSERVATIO XXII.

Piloſæ capitis cutis divulſio.

A*Nno nati Chriſti* 1660. *Ratisponæ urſus juvencus à janitore Aulæ Epiſcopalis ſub porrectione paſtus jocante irritatus, improvido ei portionem cutis piloſæ magnam à vertice ad frontem usq́, non absq́ ſanguinis fluxu inſigni, & ſubſequente ſyncope quadam, divulſerat. Sed portio hæc infernè adhuc dependens, lavato priùs loco vulnerato, rurſus repoſita, & deligatione atq́ curâ ex arte adhibitâ, patiens brevi reſtitutus ac ſanatus eſt, nullum aliud exinde detrimentum ſentiens, præter calvitiem, quòd nulli illo in loco pili recreverint.* Ex obſerv. propr.

SCHOLION HELLWIGIANUM.

CAlvam ſive calvariam conſtituentes partes dividuntur in externas vel continentes, & internas vel contentas. Externæ, quæ calvariam veſtiunt, aut ſunt communes, ut cuticula, cutis piloſa, pinguedo, & membrana carnoſa: aut propriæ, ut muſculi, pericranium, perioſtium, cranium, oſſa, meninges duæ, dura & pia mater dictæ. Vulnerum autem, quæ in hiſce partibus accidunt, differentiæ à tribus præcipuè ſumuntur: prima ab affectæ partis, in qua vulnus exiſtit, natura, docente Galeno, lib. 3. art. med. ſecunda ab ipſius vulneris eſſentia, eodem Galeno lib. 3. meth. med. tertia à propriis differentiis ſolutionis continui ex vulnere excitatæ, unde vulnus dicitur vel ſimplex, vel compoſitum. Prætermiſsâ priori differentiâ, agemus hîc de duabus poſterioribus. Ratione igitur differentiæ ſecundæ ab ipſius vul-

neris

neris eſſentia deſumtæ, vulnus, ſecundùm Pequetum lib. 2. oper. chirurg. cap. 2. rurſum dicitur ſimplex vel compoſitum. Simplex vulnus conficitur tribus modis: primò, cùm ſeu punctione, ſeu inciſione, ſeu contuſione, ſeu divulſione continuum ſolvitur; ſecundò, cùm extima tantùm cutis dividitur, vel ſi altiùs penetret, nulla tamen fit ſubſtantiæ deperditio; tertiò, quando ſolùm adeſt vulnus, & nullum grave ſymptoma conjunctum eſt. Compoſitum vulnus triplici quoque modo cognoſcitur: primò, quando ſimul cum punctura inciſio adeſt, & vice verſâ; ſecundò, quando cum ſolutione continui multæ ſubſtantiæ deperditio contingit; tertiò quando cum vulnere aliquid conjunctum eſt, ſicuti venenum, ſive ab inſtrumento venenato, ſive ab animali venenato illatum, vel ſymptoma pravum conjunctum habet, utpote magnam hæmorrhagiam, dolorem, ſyncopen, delirium, pruritum; aut aliquod ſimile, vel quando alius morbus complicatus, ut intemperies, eryſipelas, & quid ſimile, vel quando vulnera cum ſuis cauſis conjuncta ſunt, videlicet globulis plumbeis, ſagittâ, ſpiculis, & ſimilibus. Differentia tertia à propriis ſolutionis continui differentiis etiam trifariàm ſumitur: ſeu à quantitate, & vulnus dicitur magnum, parvum, longum, breve, latum, anguſtum, ſuperficiale, profundum, per totum penetrans, vel non penetrans; ſeu à figura, rectum, obliquum, pampini modo, ſeu hami ritu retortum; vel ab æqualitate, aut eſt totum apertum, vel partim apertum & partim ſub cute latens. Ex his differentiis diverſis deſcribimus noſtri ſubjecti affectum fuiſſe vulnus partim ſimplex, partim compoſitum, in parte ſimilari per divulſionem externam factum, magnum, latum, ſuperficiale, apertum, & pampini modo retortum. Simplex dicitur partim ob ſolutionem continui in parte ſimilari, ſcilicet cute piloſa, partim ob divulſionem ſubſtantiæ propriæ, partim ratione ſolutæ connexionis cum ſubjacente membrana carnoſa, cui ne-

ctitur fibris & vaſorum beneficio. Compoſitum partim ob hæmorrhagiam, dolorem & ſyncopen ex divulſione vaſorum, nimirum venularum, arteriolarum & nervulorum, à Natura cuti implantatorum, atque ad nutritionem, vitam & ſenſum partis inſervientium. Magnum, latum, longum, quia à vertice cutis ad frontem usque divulſa fuit. Superficiale, quia piloſam tantùm cutem, & non altiùs corripuerat. Apertum & pampini modo retortum, quia totum patebat, & pars divulſa reflexa infernè pendebat. Vulnus autem ejusmodi cutaneum, cum nulla vaſa magna ſub ſe habet, nec partem principalem attingit, nec parti principali propriè inſervit, per ſe non eſt periculoſum, ſi modò curatio ritè & ſecundùm artem inſtituitur, nec ullus rerum non naturalium error coincidit. Exemplum divulſæ cutis piloſæ & membranæ carnoſæ, atque curationis methodi enarrat Paræus lib. 9. oper. chirurg. cap. 15. itemque Bartholinus cent. 3. hiſt. 76.

ADDITAMENTUM SCHRÖCKII.

CONſimilem quoque obſervationem deſcripſit Petr. de Marchettis obſervat. medic. chirurg. Syllog. obſ. 16. diſcerptæ nempe ab urſi unguibus totius in ſeptennis pueri capite cutis, unà cum pericranio, quem ipſe feliciter curaverat; ex ipſis ſuturis carnem rubram, totumque cranium velantem repullulâſſe, atq; dein cutem aut illi quid analogum regeneratum fuiſſe, tandemque pilos quoque toto ferè cicatricis ductu, quibusdam tamen ſpatiis ob callum vacuis relictis, prodiiſſe, memorans. Quam cutis regenerationem in Xenodochio Norimbergenſi etiam celeberrimus Joh. Theodor. Schenckius in Ancilla quadam, cui à politoris ferrarii tympano dentato univerſa capitis cutis detracta fuerat, à natura molitam obſervavit; quamvis ob ſanguinis ſingulis menſibus ibi prodeuntis fluxum, quod carnis & cuticulæ ſuccretum fuerat, nullâ ratione ad conſolidationem perduci po-

tuerit,

tuerit, ceu idem refert Exercitat. anatom. pag. 175. Quæ ſanè obſervationes favere illis Antiquioribus videntur, qui cuti carnoſam ſubſtantiam adjudicarunt, parteſque inter ſanguineas repoſuerunt. Licet, generationis humanæ opus, quod fit ex ovo muliebri, ſi conſideretur, illa in ſpermaticas & ſanguineas partes facta diviſio non, niſi aliter explicetur, admitti ampliùs queat. Aliàs, ſi carnis vocabulum latiùs ſumatur, cutem ſubſtantiâ gaudere carneâ, non omnino negari poteſt. Uti enim quadruplex carnis genus Veteres conſtituerunt, quod Nobil. D. Thom. Bartholinus in proœm. Anat. reform. carnem vocat muſculoſam, viſceroſam, membranoſam, & glanduloſam: ita ultimum ad genus, quod rectè carnibus adnumerari, Schenckius pag. 132. defendit, cutis meritò referri debet; nam *ſi eam detrahas, duplicem,* ceu Clar. Johann. van Horne pag. 126. Microcoſm. loquitur, *animadvertes habere ſubſtantiam, exteriorem nerveam, albam, poroſam; interiorem carneam & veluti parvis glandulis refertam.* Quam duplicem etiam ſubſtantiam ingenioſiſſimus Thomas Willis part. 2. ſect. 3. pharmaceut. ration. cap. 5. agnoſcit, cutem membranam craſſiorem vocans, quoad maximam partem ex filamentis vaſorum ſanguiferorum, nervorum, fibrarumque nervearum, variè inter ſe complicatis contextam, quibus glandulæ numeroſæ & lymphæductus, ſive ſudoris & vaporum vaſa excretoria, denſiſſimè interponuntur, addens: *hujus ſubſtantia duplex à plerisque Anatomicis perhibetur, exterior nervea, & interior carnea, ſeu potius glanduloſa;* videlicet ſingulis poris, majoribus minoribuſque, ſuas ſubjacere glandulas, ex adcuratiſſimo Stenone monet, in majoribus autem plerisque radices pilorum conſitas eſſe. Quas glandulas cutaneas etiam Excell. Dn. Ol. Borrichius Volum. 1. Actor. Medic. Hafn. obſ. 109. notaverat. Ubi recenſere libet Hippocratis ſententiam libr. de glandul. conſignatam, dum ſcribit: *Ubi uliginoſæ corporis partes, ibi etiam*

glandulæ ſunt. Quod hoc indicio conſtat, quoniam ubi glandula, ibi etiam ſunt pili. Natura ſiquidem glandulas & pilos creat, ambo ejusdem utilitatis gratiâ. Illas quidem, ut, quod influit, excipiant; pilos verò ut ex glandulis opportunitatem nacti, producantur & augeantur, quodq; in extremas partes redundat & expellitur, colligant. Quo in loco Hippocrates non glanduloſam illam cutis ſubſtantiam, ſed majores ſub cute diverſis in partibus latentes glandulas innuit; qua ratione eundem impugnat Thom. Whartonus cap. 27. adenograph. & cutem ipſam ſolam pilorum matrem eſſe, glandulasque ſine pilis, atque viciſſim loca piloſa dari adſtruit, ubi non ſunt glandulæ. Et lib. de natura pueri Cous habet ſequentia: *Pili maximi & plurimi naſcuntur, qua ſumma corporis cuticula rariſſima eſt, & ubi pilus moderatum habet humorem, quo nutriatur*; idque paulò poſt probat: *Si inuſtâ extremâ cuticulâ, puſtulam ſolùm excites, eamq; perſanaveris, ubi ſumma cutis denſior evaſerit, nullum ex cicatrice pilum emittet.* Cùm ergo præſenti in Auctoris noſtri Caſu calloſa divulſæ cutis unio emerſerit, pilos non fuiſſe renatos, haud mirum, ex hac cauſa, videri poterit. Nec obſtat ſupra indigitata Marchetti obſervatio, pilorum regenerationem commonſtrans, utpote in puero ſeptenni quæ acciderat, in quo nempe, ætatis ratione, copioſior humiditas regnare debuit, non ita duram & calloſam cicatricem fieri permittens. Scilicet *in pueris*, quod eſt Magnif. D. Thom. Bartholini l. c. lib. 1. cap. 2. judicium, *propter cutis tum humiditatem, tum humoris glutinoſi copiam, obſervata eſt vulneris per veram cutem conſolidatio, Spigelio teſte.* Et ob glutinoſam hanc naturam, quam etiam in coctura monſtrat, copioſum gluten fundens, fit, ut cutis vulnerata citò, id quod in præſenti quoque Caſu contigit, coaleſcat, ceu id cum aliis præfatus Schenckius pag. 210. determinat. Ubicunque verò in corpore glutinoſum eſt, ibi pilos à calore produci, Hippocratis eſt decretum lib. de carnibus. Alia

ratio,

ratio, cur è cicatricibus pili hominibus non oriantur, videri poteſt apud Ludov. Septalium tom. 2. commentar. in problem. Ariſt. ſect. 10. probl. 28.

OBSERV. XXIII.

Cœcitas ſubitanea.

Anno nati Chriſti 1654. Prior quidam in Cœnobio Pr. complexionis phlegmaticæ, corporis obeſi, vitæ deſidioſæ, bibaculus, hypochondriorum dolore, ac ventris conſtipatione ſæpius laborans, inciderat in cœcitatem ſubitaneam, ita ut etiam apertis oculis neminem cognoſceret, nec lucem & tenebras diſcernere poſſet; ſed poſt uſum clyſmatis carminativi, atq; cathartici brevi viſum recuperavit. Ex obſervat. propr.

SCHOLION HELLWIGIANUM.

INdubitatum principium eſt, monente Andr. Laurentio tract. de viſus nobilit. c. 11. ea, quæ parti alicui corporis humani accidunt, cognoſci non poſſe, niſi priùs, ut ipſa ſe ſecundùm naturam habent, cognitum & perſpectum ſit. Quare neceſſe eſt, ut naturam oculi, & quæ ad ejus actionem requiruntur, exactè teneat Medicus, aut autopſiâ, vel ex lectione Anatomicorum ediſcat, ſi læſæ viſionis ſpecies indagare decreverit. Morborum verò oculi ut infinita propè multitudo eſt, ita in illis diſtinguendis maxima confuſio, ac cùm Galenus variis in locis docet, omnem partium corporis actionem tribus modis lædi, nimirum aut auferri, aut diminui, aut depravari, hîc duntaxat de ſecunda læſæ viſionis ſpecie, diminutione ſcilicet, quæ Monacho noſtro acciderat, ſermo noſter erit. Ad cœcitatis, quæ propriiſſimè aliàs eſt viſus omnimoda abolitio, genera à Practicis vulgò annumerantur etiam amauroſis & amblyopia. Amauroſis enim eſt abſolutum viſus impedimentum, nullo manifeſto affectu in oculo

culo apparente, ſed pupillâ purâ & incolumi. Amblyopia eſt viſus hebetudo, ſine manifeſto quoque oculi affectu. Uterque affectus, qui inter ſe tantùm differunt ſecundùm magis & minus, oritur vel ob ſpiritus viſorii craſſitiem, vel ob debilitatem aut denſitatem tunicarum oculi, vel ob humorum lentorem, vel ob nervi optici obſtructionem à craſſis & viſcoſis humoribus. Amauroſis alioquin, uti Tulpius lib. 1. obſ. med. cap. 31. ſcribit, duplex eſt: altera cerebro propria; altera verò cum conſortio aliarum partium. Prior ſpecies ut eſt planè immedicabilis, ſic curatur interdum poſterior. Potiſſima autem hujus cœcitatis cauſa ſtatuitur humor turgens à flava bile, aut atra, vel à veneno potui dato, manente in hoc cœcitatis genere pupillâ ſemper clarâ & pellucidâ, licet interim nil cernat oculus, ob vitium nervo viſorio intrinſecus objectum, vel ab humore eò uberius affluente, vel à cerebro affecto. Cerebri autem occaſione uti omnes ſenſus lædi poſſunt, ſic & viſio quoque labefactatur, tum ſi aut generatim, aut ſpeciatim, & præſertim eâ ſede, ubi nervi optici prodeunt, affectum patiatur, vel illi ipſi nervi à cerebro producti, & ad oculum usque delati, afficiantur, ex mente Plateri libr. prax. de function. læſionib. cap. 7. quod multifariè fieri poteſt, veluti mox dicetur. Amauroſis præterea interdum ſenſim & tempore, nonnunquam etiam ſubitò evenit. Quæ ſenſim evenit, varias habet cauſas: vel enim ſpiritus viſorius acciditur, idque ſive vitio cerebri ſpiritum non ſuppeditantis, quando nimirum à longa evacuatione eſt exhauſtum, vel ob inſignem morbum, vel ob ſenectutem: vel ſpiritus viſorius, qui naturâ debet aërem redolere, & qualitatem moderatam gerere, nimiùm craſſeſcit: vel tunicæ oculares denſantur, aut humores viſifici lenteſcunt. Subitò verò videndi vi exuuntur homines, cùm craſſi quidem ſucci confertim irruunt in nervos opticos, vel cùm ille nervus viſorius paralyſi laxatur; quæ cauſæ naſcuntur ple-
runq;

cunque à rebus, quæ à foris fiunt, veluti ſunt cruditates aſſiduæ, crapula, in nudum caput ſummi frigoris aut caloris incuſſio, ſtudium, lectio, ſcriptio repentina ac continua à cibo, balnea, vomitus, venus immoderata & cita à paſtu, nimia animi contentio, verba ſunt Joh. Heurnii tract. de morb. oculor. Vel ut vulgaris verſus habet:

Allia, vina, venus, pulvis, ventus, faba, fumus,
iſta nocent oculis, ſed vigilare magis.

Aſſentit etiam Hollerius lib. 1. de morb. intern. c. 19. ajens, affectionem hanc, experientiâ teſte, non rarò ab interna cauſa excitari, præcipuè vitio ventriculi, & poſt egregiam potationem, neque tamen propriè eſſe ophthalmiam, licet aliquando in corpore cacochymico, & ſi ea negligatur, in illam facilè degeneret. Præter has cauſas manifeſtas debilitatur etiam ſæpius viſio, aſſerente Gordonio in Lilio Medic. part. 3. cap. 5. propter vapores à ſtomacho aſcendentes, quod diſcernitur, quando imaginum apparitio ſtet per menſes, & pupilla appareat munda; quando verò provenit à cerebro, non permanet tanto tempore, ſine aggregatione aquæ. In ſenibus quidem viſus debilitas eſt familiaris, ſive catarrho obruente, ſive longo uſu abſumtis ſpiritibus, ſive denique quòd nervi ſicciores, & nonnihil marcidi, ut vult Bartholinus cent. 4. epiſt. med. 41. non admittunt ſpiritum animalem, in nonnullis ſenibus ſatis copioſum; quam etiam in junioribus fuiſſe cæcitatis cauſam, obſervationes docuerunt. Petrus Pavv notavit in obſerv. anat. 2. ſe anno 1590. puellam octodecim annorum ſecuiſſe, quæ aliquot ante obitum annis diabete laborarat, & præternaturaliter ſitibunda fuerat; hæc paucis ante obitum diebus cæcitate correpta, qua uterq; oculus clarus quidem exiſtebat, nec aut in membranis, aut in humoribus vitii aliquid apparebat, ipſa tamen nec lumen quidem candelæ oculis admotæ percipiebat; in hac aperto cranio reperta inſi-

L gni;

gnis veſica, quæ nervos opticos circa incruciationem (uti Duncanus Liddelius, coalitum verò nervorum Riolanus vocat,) occuparat; hac novaculâ pertusâ, circiter libra dimidia materiæ aqueæ limpidiſſimæ effluxit. Utpote materia potus præ renum debilitate attrahi ampliùs cùm non poſſet, ad caput regurgitarat, eumque locum occuparat. Notandum inſuper, ſicut Guilielm. Ader in tract. de ægrot. & morb. in Evangel. part. 3. enarrat. 12. memorat, cæcitatem ab obſtructione nervi optici jam diu contractam, cùm primis remediis non cedat, indelebilem ſeu incurabilem fore, nec magis ſperabilem, quæ ab imbecillitate cerebri, ſpirituum viſualium paupertate, aut ſenectute fiat. Si à debilitate cerebri, pergit Idem, reſtituatur roborantibus, ſpiritus craſſiores & tenebroſi rectâ victus ratione incidente & viſum clarificante reſtaurentur reparenturq; Paſchalius lib. 1. de curand. morb. cap. 19. ad curationem hujus affectus proponit, præter diætam legitimam, remediorum quinque genera, nimirum præparantia, purgantia, avertentia, roborantia, & reliquias reſolventia, denique viſum acuentia. De quibus ipſe legatur, atque ſimul cæteri Practici celeberrimi conſulantur.

ADDITAMENTUM SCHRÖCKII.

SAlutarem Enematum uſum hac etiam ex obſervatione abunde diſcere poſſunt Oſores eorum, non tantùm è Vulgò qui contemnunt atque rejiciunt, ſed & Medentium nonnulli, quorum inprimis agmen dicit ingenioſus aliàs Joh. Bapt. Helmontius, pudendum ſubſidium Medentum, & belluinum remedium lib. de febb. vocans, variiſque argumentis inviſas reddere injectiones iſtas laborans; Cui tamen cùm alii jam, præſertim verò Excell. D. D. Frider. Hoffmannus in Meth. medend. lib. 1. cap. 10. ſufficienter reſponderint, aliud quod addatur, neutiquam opus eſt. Hoc ſaltem monendum, quòd, quemadmodum idem Helmontius neminem unquam per clyſteres eduxiſſe febres,

obje-

objecit, quia materiâ febrili obſeſſa loca non adiverint, pariter hîc à Sciolis opponi poſſit, nec cæcitatem à clyſteribus emendari, cùm ultra inteſtina craſſa non adſcendant. Quibus ſanè prælaudato cum Hoffmanno regerere æquum foret: *Licet ipſam non rejiciant febrem*, (cæcitatem) *tamen cauſam ejus occaſionalem diminuere poſſunt*. Imò dicere: ipſam cauſam primariam per Enema in hoc Caſu fuiſſe ſublatam, non video, quid prohibeat. Ventris enim morboſa tarditas uti diverſorum malorum cauſa exſiſtit: ita vaporum & flatuum inprimis uberrimum ſuſcitat proventum, qui non inteſtinales tantùm fiſtulas diſtendunt, ſed & reliquum in corpus propagantur, unde fecum alvinarum præternaturalem retentionem frequentiſſimè cephalalgiæ, aliique capitis aliarumve partium adfectus inſequuntur. Quare cùm æger noſter conſtipatione ventris ſæpius laboraverit, cæcitatem, in quam ſubitò incidit, ab eadem ſumſiſſe primordia, mihi videtur veroſimile; præſertim dum corporis conſtitutio phlegmatica, quam deſidioſa & bibacula vita ſuſtentabat, obſtructioni nervorum opticorum concitandæ ſatis quadrabat. Unde ſubductâ, ope catharticorum clyſteri junctorum, materiâ illâ excrementitiâ in inteſtinis hærente, ulterior flatuum exortus fuerat impeditus; Quin & ingredientium iſtorum ſolutivorum uberiori, à calore inteſtinorum, factâ reſolutione, particulæ quædam tùm venarum lactearum oſcula ſubeuntes, tum etiam, quæ ſubtiliores, in venas meſaraicas penetrantes, ac ita utrobiq; ad maſſam ſanguineam delatæ, agitare illam, & quam à natura poſſident, ſeparandi vim exſerere, ſicque unà pituitoſum humorem ab oculis, vi circulationis eò perductæ, propellere poterant. Idque tantò promtiùs præſtare valebant, cùm addita carminativa, ſubtili ſuâ ac volatili naturâ in remotiores etiam partes penetrando, calorem in iisdem debiliorem confortare, peccantesque pituitoſos humores incidere, attenuare ac reſolvere, & ita

 flatu-

flatulentorum ſpirituum diſſipationi non parum momenti addere potuerint. Quâ eâdem fortè præditus fuit virtute clyſter, quo puellæ, repentè cæca quæ fuerat facta, præter exſpectationem viſum reſtituit Guil. Rondeletius, uti ipſe cap. 58. Meth. cur. morb. memorat. Licet verò magna enematum ſit utilitas, tantùm tamen abeſt, ut univerſale conſtitui medicamentum queant, i. e. quod in omnibus ſubjectis morbisq; adhiberi poſſit; cùm plurima ſint uſum eorum prohibentia; veluti, exemplum ut addam, quorundam in colo inteſtino interiorem tunicam adeo teneram & ſenſilem eſſe, monuit Celeberr. Thom. Willis part. 1. Pharmaceut. ration. ſect. 1. cap. 2. ut ab enemate, licet anodyno, injecto, ſpiritus ſtatim excandeſcentes, ac intra fibras nerveas exploſi, membranas ſummè inflent ac diſtendant, adeoque in toto abdomine maximas moleſtias excitent. Ut itaque duplici nomine impudentiſſimum fuerit Circulatoris iſtius promiſſum, quem omnes, nullâ aliâ conſideratione habitâ, ſolo clyſteriorum uſu curare ſe velle ægrotos, quicunque illi eſſent, Brixiæ fuiſſe profeſſum, Aloiſius Mundella, Medicus Brixienſis Italus Epiſtol. medicinal. 8. ſcribit, ſcilicet tum quòd omnibus ægrotis indiſcriminatim iſtud remedii genus adplicare auſus fuerit, tum quemvis morbum ſolo eo profligaturum ſe jactaverit; cui quidem tam proficua ex iſto myſterio obtigit meſſis, ut brevi tantam pecuniæ ſummam extorſerit, quantam præfatus Medicus, licet continuis medendi exercitationibus omne tempus contriverit, decem annorum ſpatio non lucrifecerat. Quod eò faciliùs credere ipſi debemus, quò certiùs Practici compertum habent, ubique ferè locorum non admodum abſimilem ſortem Medicis genuinis & fictis contingere. Præſertim verò frequentior eorum uſus non adeo tutus eſſe comperitur. Maximi nominis Archiater Cæſareus, Johannes Crato, tria incommoda recenſet; videlicet calorem inteſtinorum debilitari, flatuum proven-

ventum ſuſcitari, & naturam ad expellendum ſegniorem reddi, vid. Conſil. medic. à Laurent. Scholzio collect. cons. 169. & 199. Immoderato quoque uſu non ſemper ſubduci ſuperflua, ſed interdum quoque neceſſaria, indigæ Naturæ in utile alimentum ceſſura, Nicol. Tulpius lib. 3. obſervat. medic. cap. 16. edocet. Jure meritoque igitur Barbitonſorem quendam Liſſetus Benancius, Gallus, tract. de pharmacop. fraud. & error. ab Exc. D. Th. Bartholino latinitate donatus, pag. 67. perſtringit, qui vix octidui ſpatio ultra centum clyſteres miſero cuidam ægro adplicuit, ſimulque eundem ære egregiè emunxit, cui tamen unus vel alter morbo conveniens ſubitò ſedare & imminuere dolorem potuiſſet. Tales utique catalogo illorum veterum Medicaſtrorum inſeri merentur, quos remedio iſto non ad juvandum, ſed nocendum uſos fuiſſe, Celeb. D. D. Joh. Dan. Major dub. 11. Chirurg. infuſor. §. 8. oſtendit, quorum cauſâ interdicto opus fuerit, quod ſub nomine Ulpiani L. 9. §. 1. ad leg. Aquil. his verbis exſtat: *Si quis per vim vel ſuaſum medicamentum alicui infundit vel ore, vel clyſtere, vel ſi eum ungit malo veneno, lege Aquiliâ tenetur.* Similium ergo ad humani generis deſtructionem natorum Medicinæ monſtrorum peccata ſi vulgo innoteſcant, neutiquam mirum, medicamen adeo proficuum ei inviſum reddi, utpote cui abuſum à genuino uſu diſcernere, rarò eſt conceſſum. Quamvis hac etiam abſque data occaſione, novum haud ſit, clyſterum uſum ab eo, tum ineptum ob pudorem, tum & vanum propter timorem, contemni ac rejici. Quoad illum, Paracelſi fortè defendi poſſent clypeo, qui lib. 2. tr. 1. de morb. & tartaro oriund. cap. 6. viliſſimum, abſurdiſſimum, & turpiſſimum medicamen vocat; nec ipſe uſus contradicere videtur, dum iſti adaptari requirunt parti, quæ vel non, vel ſaltem haud abſque pudore nominari ſolet, & ſic multò minùs denudari, quod tamen pro adplicatione requiritur,) abſque vere-

 cun-

cundiæ læſione debet. Sed, quæ de hoc Paracelſi effato, ratione turpitudinis, eſt ſententia Cl. D. Olai Borrichii lib. 2. cap. 1. §. 12. de Hermete Ægypt., utilitas vincit turpitudinem. Turpia quoque delectare aliquando, exemplo addito, ibidem demonſtrat. Naturalia ſanè, ſi petulantia abſit & laſcivia, non ſunt turpia; neutiquam deeſt partibus iſtis, obſcœnis dictis, ſuus nitor & elegantia, qua vel cum aliis corporis partibus decertare, palmamque dubiam reddere valent; cujus ſpecimen apud Athenæum lepida ſuppeditat hiſtoria, quam etiam Exc. D. D. Joh. Theod. Schenckius Exercit. anatom. pag. 201. inſeruit. Cæterùm verecundiam omnibus cordi eſſe utique decet; aſt neceſſitas ubi urget, tam ſtrictè eadem non obligat. Huic tamen utiliſſimæ medelæ impedimento obviam ut irent, de clyſterum, quæ ab ipſis ægris fieri poſſet, adplicatione multi laborarũt, quos inter Chirurgorum Germaniæ Antiſtes, ceu Guil. Fabricium Hildanum venerandus Archiater D. Simon Pauli Claſſ. 3. Quadripart. botan. cap. de ruta, ubi de clyſteribus diſſerit, adpellat, non incommodum modum invenit & deſcripſit libello de dyſenter. cap. 10. Alios etiam Joh. Heurnius Meth. ad praxin lib. 1. nec non Joh. Scultetus part. 1. Armament. chirurg. tab. 13. & 44. delinearunt. Suum inprimis extollit inventum Regnerus de Graaf tract. de clyſterib. addito tract. de viror. organ. generat. inſerv. quo tam commodè injectionem iſtam peragi, ſcribit, ut nullus ægrotantium ſuorum à clyſteribus ampliùs abhorreat. Nec contemnendus eſt modus, quem exhibet Nob. D. Joh. Paterſonius Hain Ephem. German. Curioſ. Anno III. obſ. 221. pudibundis ſuis ægrotis, præſertim feminis, rem eſſe gratiſſimam, teſtatus. Innocentiam verò remedii hujus, à perito & prudente Medico propoſiti, ipſa experientia ſatis ſuperque defendit. Unde illorum timorem, qui ejusmodi medicinam uſurpantes Libitinæ victimas evadere putant, adpoſitè ſuperſtitioſum vocat

Exc.

Exc. D. Chriſtian. Langius Miſcell. curioſ. medic. 6. Grave etiam & periculoſum ut remedium qui rejiciunt, toto cœlo aberrare, econtra benigniſſimum & innocentiſſimum eſſe, oſtendit Jacob Primeroſius lib. 4. de vulgi in medic. errorib. cap. 20. Ridiculum inſuper metum iſtum popularem falsâ, ſed condignâ oratione explodit Cl. Henr. Cellarius cap. 6. art. 3. de putatitiis morb. uterin. Vulgare hoc, in Germania præſertim malum, hac quoque in Urbe ſæpius experimur; in qua perneceſſariam quandoque infuſionem iſtam ægerrimè utplurimum Medentibus impetrare datur; quin & ob perverſam plebis in judicando licentiam, non niſi ſumma cum circumſpectione ſæpe ſuadere licet, ne culpa, ſi mors ob gravitatem morbi opprimat, vel aliud ſymptoma grave urgeat, adhibito priùs enemati perversè imputetur, ſaluberrimumque remedium diffametur. Quam gratiam feliciſſimo Practico, Felici Platero, quidam ab anginâ jam reconvaleſcens, debilitate verò corporis adhuc laborans reddidit; à quo tamen genuinam cauſam, ſuæque opinionis ſtultitiam edoctus fuerat; quod ipſe lib. 2. obſerv. medic. pag. m. 412. recenſuit. Ratum itaque habeatur Bartholini, magnam laudem Enematis deberi, ſcribentis judicium: *quæ nec corpus turbant, nec debilitant*, quod Diſſertat. 3. de Medic. Danor. domeſt. protulerat, atque averſionem à clyſteribus inter errores Patriæ Diſſert. 9. referendam duxerat.

OBSERV. XXIV.

Morum in palpebra oculi curatum.

A. *H. Chirurgo Noribergenſi, tuberculum in forma, magnitudine, & colore fructus mori in inferiori palpebra oculi dextri excreverat, cujus impatiens, ob deformitatem vultus, & metum ulterioris augmenti, in tempore præventurus, ſetâ ex cauda equi-*

equina circumligatâ, & indies arctiùs contractâ, ad radicem usq; ſibi ipſe illud abſcidit, ſine omni ſanguinis profluvio, nec unquam poſtea recruduit, aut recrevit. Ex obſerv. propr.

SCHOLION HELLWIGIANUM.

OCulorum partes dividuntur, ſecundùm Bartholinum lib. 3. Anat. reform. cap. 8. vel in externas, quæ circa oculum, vel internas, quæ in ipſo oculo exiſtunt. Illæ munimenti ſeu commoditatis causâ procreatæ, nimirum palpebræ cum ciliis & ſuperciliis, item carunculæ in angulis oculorum; Hæ, quæ ipſum oculum conſtituunt, ſunt adeps, muſculi, vaſa, membranæ & humores. Palpebræ utriusque oculi ſunt duæ, ſuperior & inferior, utræque oculum tegunt & claudunt, itemque ex aliquorum ſententia tunicam oculi corneam extergunt & depurant, deinde ſimul ſuggrundinatione ſuâ illuſtriorem retinæ picturam reddunt; & conſtant ex cute, membranâ carnosâ, muſculis, tunicâ, tarſis, & ciliis. Sed cùm membrana carnoſa cuti ferè ubique in corpore connectitur per venas, arterias, nervorum propagines, & fibras membranaceas, atq; ex diverſis cauſis ſuas quoque patitur manes, ita etiam hac in parte diverſi affectus oriri queunt, veluti tumor ſeu inflatio palpebrarum, denſitas, aſperitas, calloſitas, ſcabies, tubercula, verrucæ, hordeolum, grando, nodi & excreſcentiæ, palpebrarum inverſio, horum inter ſe, & cum aliis oculi partibus coaleſcentia, cancer, livor ex percuſſione, inciſio vel vulneratio, pediculi in pilis palpebrarum, pilorum inutilium & oculos pungentium in palpebris ortus, duplex vel multiplex pilorum ordo, pilorum defluvium, denique palpebrarum craſſities cum pilorum defluvio. Huc quoque numerentur oculos aperiendi impotentia, palpebrarum perpetua nictatio. Affectum hîc noſtri ſubjecti ad nodorum vel excreſcentiarum genus referimus, quæ non ex humoribus, ſed ex ſolida ſubſtantia ortum habere dicuntur; à variis autem formis diverſam

ſorti-

ſortiuntur appellationem. Nominantur enim vel ſeſſiles, quæ ſtabiles, latæ, ac altioribus radicibus fixæ, minusque ex cute ſeſe exerunt: aliæ dicuntur penſiles, quòd exiguo quaſi pediculo, tanquam de chorda dependeant; hæ ſi non ſunt ejusdē coloris, ſed morum, ut noſtra, aut thymi florem referunt, atque inæquales & parvæ ſunt, Thymi appellantur; ſi verò majores, à ſimilitudine, quam habent cum ficus fructu, Ficus nominantur. Ortum hæ omnes habent, ut pulchrè ſcribit Sennertus lib. 5. prax. ſect. 1. cap. 37. à materia craſſa, melancholica & pituitoſa, quam cùm natura non poteſt diſcutere, ex ea hoc genus nodorum format. Poſteriores ob radicem exiliorem facilè extirpantur, & ſemel exciſæ non renaſcuntur; priores ſubtus radiculam rotundam habent, quæ penitus ad carnem deſcendit, eæque exciſæ, relictâ radice, rurſum recreſcunt. Tolluntur autem hæ excreſcentiæ vel nodi aut medicamentis, aut chirurgi manu: medicamenta externè applicata, ſive qualitate & proprietate occultâ hoc præſtant, ſive earum alimentum exſiccant, ut poſtea marceſcant & evaneſcant; per chirurgiam tolluntur ſeu extractione, ſeu exciſione, ſeu aduſtione, veluti multifariè apud Practicos habetur.

ADDITAMENTUM SCHRÖCKII.

AMpla tumorum eſt familia, & tot eis conditi tituli, ut nonnunquam, quo hic vel ille exactiùs ſit comprehendendus, ferè ignoretur. Sexaginta & unum Joh. Philipp. Ingraſſias ex Galeni de tumoribus libro recenſuit, illisque centum & ſexaginta quinque alios ſuperaddidit. Verùm, quæ ἐπίκρισις eſt Magni Dan. Sennerti lib. 5. Med. pract. part. 1. cap. 1. ſine cauſa hoc modo multiplicantur entia. Inprimis cùm ſub tumoribus iſtis recenſeantur adfectus, qui tumores non ſunt, tumorque unus & idem variis ſub nominibus repetatur. Quin ſi nominum diverſitatem attendere liberet, multò majorem conſtituere nume-

rum, foret facillimum. Quare ad evitandam perplexitatem illam, præſens tuberculum, Mori nomine inſignitum, ad Verrucas, quas vocant, penſiles, Græci verò ἀκροχορδόνας, referri aptiſſimè poterit. Generatio ejus à ſanguine, vel potiùs ejusdem ſero craſſiore dependet, dum is per exigua palpebrarum vaſcula delatus concreſcit, nec in venulas transſumtus ad principium univerſale reducitur, ſicque in intermediis ſpatiis ſubſiſtens & novo ſubinde accedente, adcumulatus, in ejusmodi corpus præternaturale vertitur. Cui exſtirpatione, quæ fit per injectum vinculum, commodè ſatis occurritur; ſic enim ſenſim ſenſimque meatus, præter ordinem naturæ generatus, alimenti adductor, in gracili radice anguſtatur atque conſtringitur & conſequenter ulterior nutrimenti adfluxus inhibetur, partesque iſtæ, ſanguine vitali & ſucco nutritio orbatæ, quaſi emoriuntur. Nec refert, quo id fiat vinculo, ſerico vel equino, vel alio, modò tenui in corpuſculo requiſitam habeat ad validam conſtrictionem firmitatem; neque utile videtur, quod aliquibus placet, ſublimati ſolutione illud priùs imbuere, cùm vicinas partes, oculum præſertim, acria haud impunè ferentem, acri & cauſticâ vi ſuâ facilè lædere valeat; ut taceam, cùm ſolâ hîc nutrimenti excluſione opus ſit, æquè feliciter promteque à ſimplici filo, non medicato, negotium ſic expediri. Celeriori modo ille, cujus Galenus 14. Meth. med. cap. 17. meminit, Morum hunc abſtuliſſet, cùm acrochordonas primoribus apprehenſos dentibus abſcindere conſueverit: quia enim anguſto ſatis principio cuti adhærent, ut ex ea dependere videantur, auferri facilè poſſunt, & quidem absque regenerationis metu. *Acrochordon* inquit Celſus lib. 5. de re med. *ſi exciſa eſt, nullam radiculam relinquit, ideoq; ne renaſcitur quidem.* Varia aliàs contra tubercula hæc commendari ſolent remedia, & Circulatorum etiam induſtriam multùm exercent verrucæ; quæ equidem contemni ſemper nequeunt, ſæpe tamen

men fallere comperiuntur, & plus in oſtentatione quàm effectu poſſident; plurimis etiam eorum illud Galeni lib. 10. de ſimpl. medicament. facult. adcommodari poteſt, qui, an murium domeſticorum ſanguis acrochordonas decidere faciat, ne quidem experiri voluit, cùm aliorum ipſi magna ad hoc pathema copia ſuperfuerit. Imò ſponte quandoque evaneſcere, Celſus citatus teſtatur, ſcribens: *Nonnunquam ſubitò deſinunt*; idque è Braſavola Joh. Schenckius lib. 5. obſervat. medicinal. comprobat.

OBSERVATIO XXV.

Surditas ex Laconico.

Cùm ego juvenis Anno Chriſti 1623. ex Gymnaſio Erffurtenſi Noribergam in patriam reverſus, ob ſcabiem feram, per diætam crudiorem Thuringis conſuetam, acquiſitam, curæ Medici alicujus non infimi ſubſellii ſubmitterer, atq; iſte inter alia etiam balnei Laconici vaporoſi inſeſſum ad aliquot ſeptimanas ſuaderet, ecce! balneolo, non præmonitâ cautelâ, undiq; ſemper arctè occluſo, itemq; capite nullommodò exſerto, vapores aſcendentes ſucceſſivè caput & meatus auditorios opplerunt ita, ut auditus ferè abolitus putaretur, ac per longum tempus nec perorantes, nec concionantes, imò vix à latere in propinquo loquentes percipere potuerim, adhibitis interea multis & variis medicamentis, ſed omnibus incaſſum, usque dum ſub itinere Gallico & Italico vapores capiti & auribus immorantes, ab aura regionum calidiore paulatim attenuabantur, tinnitum tamen continuum ſentiens, ad Lares iterum paternos redieram. Ibidem cùm aliquando æſtivo tempore ſub aprico cælo ac Solis æſtu, in horto meo circa florum areolas, delectamenti gratiâ, occupabar, & defatigatus ſubmeridiabar, evigilans è ſomno ſenſi cervical auri dextræ agglutinatum, quo detracto, humor lentus, lividus, & fœtidus copioſè ex aure effluebat, ac inde auditus in tantum rediit, ut faciliùs & articulatiùs

procul loquentes aure dextrâ percipere hactenus poſſim. Notabile eſt præterea, quòd, cùm in Pelago quondam, vel & nunc in fluviis magnis nave vehor, aut ſub ſereno cœlo ambulo, anticùs & poſticùs loquentium verba meliùs & acutè ſatis percipio. Ex obſerv. propr.

SCHOLION SCHRÖCKII.

VEram & certam Medicinæ ſcientiam ſibi comparaturus ut præter requiſita alia, ipsâ etiam Naturâ, qua repugnante, irrita ſunt omnia, ad eam inclinet, Hippocratica in Lege requiritur. Scilicet trahit ſua quemque voluptas. Qui lucri causâ, qui coactus Arti huic ſe addicit, rariſſimè numero eorum excedit, quorum ignorantia in cauſa eſt, artium iſta præclariſſima ut propè omnium infima cenſeatur; & qui famâ quidem & nomine, re autem & opere nil minùs quàm Medici exſiſtunt. *Natura noſtra*, inquit l. c. Hippocrates, *velut ager eſt*; ſi ille ſaxoſus ſit, ſemina commiſſa ſperatos vix dabunt fructus; Dogmata autem Præceptorum adinſtar ſeminum eſſe, addit; quibus non ubertim ſuppeditatis, juſtâ fertilitate Naturæ agrum deſtitui, neceſſe eſt. Non verò naturalis tantùm inclinatio & innatus ad Medicinam amor hîc ſufficit, ſed ipſius quoque corporis & animi vegeta conſtitutio à Coo, quod vult Rodericus à Caſtro lib. 2. Med. polit. cap. 7. Naturæ ſub vocabulo innuitur, ſenſuum inprimis vigor & acumen; quos inter auditus expetitur promtiſſimus, ad doctrinæ ſemina facilè ſuſcipienda perquam neceſſarius. Nempe, ut Horatius 1. Epiſtol. canit:

Nemo adeo ferus eſt, ut non miteſcere poſſit,
ſi modo culturæ patientem commodet aurem.

Quin & eâdem auditûs integritate utique opus habet, ubi ipſo opere factus eſt Medicus. Hippocraticum enim illud, quod circa curandos ægros lib. de adfectionib. obſervandum prudenter præcipitur, quid ipſi aliàs proderit? Si enim hæc ſimiliave prænoſcenda ex adſiſtentibus & ægrotis ſciſcitetur, nec tamen reſpon-

ſponſa vel relationes eorum auribus haurire valeat, certè nec morbum ritè cognoſcere, nec ex voto curare poterit. Sed rari admodum, imò nulli fortè dantur, quibus omnia, quæ in Medico communiter requiruntur, ad amuſſim competant. Pariter auditûs etiam præſtantia Medico licet egregiè conducat, hebetiori tamen gravatus quin verum evadere in Æſculapium poſſit, nullus dubito, ſensûs tarditatem majori attentione atque ſedulitate emendans. Planè ſurdorum tamen pejor hoc in caſu eſt conditio. Quamvis & ſurdos nonnunquam (ut de animi ſenſu ſcripturâ exprimendo nihil dicam) aures in oculis habuiſſe, & quæ alii verba ore protulerant, ex motu linguæ & labiorum (cui fundamento Alphabetum illud naturale inſiſtit, quo de ſingularem tractatum edidit Franc. Mercur. Helmontius, Jo. Baptiſtæ filius,) percepiſſe, compertum ſit. Illuſtr. ſanè olim Medicus Bavaricus, D. D. Franc. Ignat. Thiermairius Conſil. medic. lib. 1. ſchol. ad cap. 9. poſtquam duo ex Gaſp. Schotti Phyſica curioſa, ſurdorum, ex labiorum motu, loquentes percipientium exempla recenſuiſſet, conſimilia etiam in Bavaria obſervata fuiſſe, teſtatur. Et beatus Sachſius noſter in ſchol. ad obſerv. 35. Ann. I. Ephem. Germ. Curioſ. præter Tulpii & Borelli, ſimili in materia ſcriptas egregias obſervationes, de Scriniario, quem variolæ ſurdum fecerant, idem commemorat; qui etiam ex Digbæo ſurdum ab ortu ſonum ſive auditum oculis haurientem producit lib. 1. Gammarolog. cap. 21. Tulpianum quoq; ſurdum, à ſe unà cum D. Guil. Piſone viſum, eleganter delineat Jobus Mekeranus cap. 19. ſuar. obſervat. Non minùs Fel. Platerus lib. 3. obſervat. quendam ab ortu ſurdum ac mutum, ex labiorum motu geſtibusque multa intelligentem recenſet. Et ſurdos è motu labiorum audientes, ex Cammerario & Zvingero Martinus Zeillerus quoque habet cent. 7. epiſtol. 49. Sed hæc rara admodum ſunt, paucisque ſurdis acutiſſima iſta oculorum

 acies

acies & uſus contingit, ſive quòd unâ ſtupiditate cerebri naturali laborent, ſive oculos non eâ attentione, quæ neceſſaria eſt, patienter exerceant. Meliùs cum illis agitur, qui non omnino auditu privantur, ſed debiliori tantùm moleſtantur; quibus ars ſuppetias ferre adinvenit. Ubi inprimis inſtrumentum illud conducit, quod Hiſpanis in uſu eſſe, ex argento vel cupro, adinſtar infundibuli confectum, cujus pars anguſtior auri adplicatur, referunt; quo de videndus Wolf. Höferus Hercul. medic. lib. 1. cap. 9. Simile eſt, cujus Clar. Thomas Willis part. 1. de anima brutor. cap. 14. mentionem facit; ubi auriculæ formam deſcribens, & partem ejus latiùs expanſam ſenſim anguſtari, ſicq; ad particulas aëreas ſonorificas latè & ſparſim adventantes colligendas diſponi, ut à pluribus verſus ſenſorium directis impreſſio ſenſibilior fiat, edocens, *ad imitationem*, ſubjungit, *inſtrumenti hujus naturalis, artificiale ὠτακουστικὸν parari ſolet, quod tubæ ſive buccinæ ſimile, particulas ſonorificas plures introducendo, auditus defectui ſuccurrit.* Aliud ex ligno foraminulento, ut hedera, ſmilace, cochleatum conſtruere docet J. B. Porta lib. 20. Mag. natur. cap. 5. quo mediante per multa milliaria ſoni ad aures deferri poſſint; cujus tamen de ſucceſſu, varias ob cauſas, meritò dubitare licet. Quò ſpectat etiam Hadriani Imperatoris conſuetudo, qui manus cavas, quò acutiùs audiret, auribus obtendebat; idq́ue ſurdaſtros alios quoque facere, Exc. D. Thom. Bartholinus lib. 3. Anatom. reform. cap. 9. admonet. Imò & ſurdaſtros ipſo ore voces aliorum excipere poſſe, conſtat: Sic Barthol. Cabrolius obſerv. 31. Architectum quendam ſenſu aurium carentem, altas in illius os apertum editas voces intelligere potuiſſe, recenſet; & Sachſius l. c. nec non Welſchius noſter Epiſagm. obſerv. med. 24. ex Paul. Marq. Schlegelio feminam ſurdam, cornu ori indito, ita ut alteram extremitatem collocuturus ore adprehenderet, inſpiratum ab hoc ſonum percipere potuiſſe, notarunt.

tarunt. Unde ipſi etiam auditûs integritate gaudentes, ſi auribus occluſis ſermones aliorum ore excipiant, diſtinctè eosdem haurire valent. Imò quemlibet obturatis auribus propriam vocem, interiùs aures ſubeuntem audire poſſe, notum eſt. Cujus rei cauſam Anatomici communiter & veriſimiliter à ductu illo, qui à palato, proceſſum inter maſtoidéum, & ſtyliformem, interiùs utrinque verſus aures in concham porrigitur, deſumunt, aëre ſcilicet ſonorifico, ex pulmone per laryngis rimulam exſufflato, & linguæ ac cæterarum oris partium diverſo motu diverſimodè modulato agitatoque, ex palati camera per canaliculum iſtum in aurium concham & adnexa auditûs organa delato, eisq; vim ſuam imprimente. Sed in hiſce exteriores tantùm auris partes, ſalvis, quæ ultra tympanum ſituantur, reliquis, peccare neceſſum eſt, inprimis ſi porus auditorius externus humoribus excrementitiis, aut aliâ aliquâ re præter naturam infarctus & obſtructus ſit, vel tympani membrana vitio aliquo inſigniter laboret, qua ratione nimiam ejusdem laxitatem ſurditatis cauſam exſiſtere, Cl. Willis l. c. edocet, atque in Actis Philoſoph. Societat. Reg. in Anglia Num. 35. A. 1668. 18. Maji à Guil. Holdero confirmatur. Ubi econtra v. g. nervus auditorius à valida compreſſione, obſtructione, ſpiritûs animalis defectu labefactatus, irrita evadet illa ſonorum per canaliculum captatio. Et ex hoc ipſo fundamento edocere lubuit Hieron. Capivaccio lib. 1. Medic. pract. cap 49. quâ ratione in cognitionem deveniamus, num auditus ob morbum membranulæ illius, quam vulgò tympanum vocant, aut potiùs nervi auditorii, ablatus ſit, ferrum nempe longitudine cubiti ſumendo, ejusque extremitatem unam ſupra dentes, alteram autem ex. gr. ſupra cytharæ cordas [commovendas] imponendo; unde, ſi æger cytharæ ſonum perſentiat, à morbo tympani; ſin minùs, à nervi expanſi morbo adfectum oriri, concludit, ſono utpote per meatus dictos ad nervi audito-

rii

rii expanſionem perducto; quo de experimento videri cumprimis poteſt Joh. Rudolph. Camerarius Syllog. memorab. medic. cent. 2. partic. 71. & ſeqq. Tandem pauciſſimis celeberr. Petri à Caſtro methodus ſurdos & mutos, ſive à naturæ vitio, ſive ex accidenti tales exſiſtant, curandi tangi debet, quam prælaudatus Sachſius l. c. Ephem. recenſuit, ubi poſt varia uſurpata remedia, ab ægroto vocem ſupra ſuturam coronalem, parte illâ derasâ, emiſſam clarè percipi, dicitur. Quod ſi ita res ſe habeat, in craſſioribus tamen, adultioribus & ſuturis deſtitutis craniis, nec non ſi ipſis in nervis acuſticis vitium lateat, experimentum tale ſuccedere poſſe, vix mihi perſuadeo. Si jam ad Auctorem noſtrum redeamus, quò minùs egregium in Medicum is evaderet, perpeſſum illud auditûs deliquium neutiquam obſtare potuit, ſapientiæ nempe medicæ ſeminio, quod per aures intrare primò recuſaverat, adſiduo oculorum miniſterio, mentisque indefeſſo exercitio, in animam implantato; usque dum cœli clementioris influxu, humorum in corpore olim ſcabioſo vitioſorum, ab impetuoſiori & diuturno vaporum ex Balneo ingreſſo commotorum, ac in capite incuneatorum, attenuatione atque evacuatione ſuccedente, ſenſimq; regia illa ſcientiarum adquirendarum porta reſerata, faciliorem ingenii culturam, & commodiorem medendi uſum conceſſerit. Hinc liquet, quantâ circumſpectione remedia, magnæ aliàs, in ſe conſiderata, efficaciæ, uſurpanda veniant, ſalutarem effectum præſtare ſi debeant; in quo ipſo prudentiæ medicæ non leve momentum poſitum eſt. Balnea enim cæteroquin, prudenter adhibita, tantum abeſt, ut ſurditatem inferre queant, aut in ſcabie vitari debeant, quin potiùs ſurdorum curam egregiè promoveant; quod præter alia, experimento à D. Frider. Hoffmanno lib. 1. Meth. med. cap. 11. & 19. memorato, pateſcit; ipſos etiam vapores medicatos in aurem immiſſos, auditûs defectui ſuccurrere, Medicis eſt notiſſimum.

OBSERVATIO XXVI.

Hæmorrhagia narium à frigore lethalis.

Puella quadam ſeptennis, Senatoris cujusdam Ratisponenſium filiola, tempore brumali ſub aura frigidiſſima nimis liberè obambulans, unicâ ſaltem ſternutatione noctu quaſſata, tantam hæmorrhagiam per os & nares paſſa eſt, ut ſubſequente die, omni medicinâ tam internè quàm externè fruſtrà exhibitâ, convulſione gravi infeſtata mortem obierit. Sine dubio, quòd vaſe quodam venoſo magno in capite ſub cranio è ſanguinis à frigore brumali moti impetu rupto, hæmorrhagia hæc oborta fuerit, ac meninges à ſanguinis acrimonia vellicata, & cerebrum ſanguinis extravaſati copiâ oppreſſum, convulſionem necemq; induxerint. Ex obſervat. propr.

SCHOLION SCHRöCKII.

SAnguinem à calore agitatum & juſtò magis rarefactum, quod in longiori ſub Solis radiis mora, vehementiori à corporis motu, vini generoſi liberaliori ingurgitatione &c. ſæpius accidit, majori ſpatio indigere, quo denegato, arteriarum oſcilla penetrare, reſerare, ſicque ingenti ſæpe rivo effluere, frequenti admodum conſtat obſervatione. Aſt à frigore hæmorrhagiam maximam oriri, rarius licet ſit, impoſſibile tamen haud eſſe, & ratio & experientia confirmat; idque præſenti ex Auctoris noſtri obſervatione abunde pateſcit. Scilicet non ipſum frigus exitum illum primariò inducit, cujus potiùs eſt conſtipare, & vaſorum extremitates occludere, ipſam etiam ſanguinis turgeſcentiam refrenare; Ut adeo illis, quæ frigidiori naturâ ſuâ ac virtute adſtrictoriâ contractionem dehiſcentium in vaſculis ſanguiferis oſcillorum promovere valent, nec non quæ variorum epithematum frigidorum, fronti, cervici, hypochondriis, teſtibus &c. impoſitorum formâ, aliisve modis fervorem atque concitatiorem ſanguinis motum compeſcunt, feliciter ſæpe ingentes

hæmorrhagias ſiſti videamus. Sed qua ratione præſtare id valeat, paucis diſpiciamus: Si frigoris natura in ſale aliquo volatili urinoſo conſiſteret, quod quidem non nemini ſtatuere nuper libuit, ratio in promtu foret, cùm ſimilium ſalium in ſanguine rarefaciendo, fluxili reddendo, & ad celeriorem decurſum concitando, [non figendo, quod nuper cuidam imperito Empirico placebat,] quin & humoribus ſeroſis, adapertis in cute poris, per ſudorem expellendis virtus ſit perſpectiſſima. Tale tamen ſolitarium adeſſe, ipſe frigoris effectus haud admittit, quo nempe ſanguinis ac ſpirituum naturalis in corpore motus inhibetur, & ſomnolentia, ipſaque tandem mors ſubſequitur, niſi concitatiori corporis motitatione, ſanguinis & ſpirituum liberior per corpus pervagatio & circulatio promoveatur. Unde altiſſimas Alpes hiberno tempore transeuntes, ſi in via quieſcant, à ſomno, rigore, & morte confeſtim opprimi, Martinus Zeillerus cent. 2. epiſt. 52. ex Jo. Simleri comment. de Alpib. nec non Exc. D. D. Joh. Jacob. Wepferus Exercit. de loc. affect. in apopl. p. m. 260. memorant. Pariter ſi ab alio aliquo ſale qualitas iſta deducenda foret, quale eſt ammoniacum dictum, gemmeum, commune &c. dum acredine ſuâ interiora narium ſtimulare, vaſorum oſcula reſerare, & ſanguinem fluidiorem reddere valent, cauſam hæmorrhagiæ hujus reddere, itidem foret perfacile; quamvis enim illa, ſi in aqua ſolvantur, inſigniter eandem frigefacere comperiantur, conſimilem tamen aliquam rigidiſſimo in brumali frigore fingere ſalium, vel particularum ſalinarum frigorificarum ſolutionem, excitationem, vel extricationem quo modo liceat, equidem haud video; quinimo tale aliquod in aëre per naturam ſal hoſpitari, & incertiſſimum eſt, & nullis hactenus experimentis demonſtratum. Nitroſum autem, quale in aëre latere (licet & hi non unâ premantur difficultate) plures majori probabilitate ſtatuunt, cùm frigiditatem potiùs corpori indu-

inducere, ideoque in topicis refrigerantibus utiliter adhiberi, ſanguinem item in febribus, anginis &c. æſtuantem compeſcere Nitrum obſervetur, eandemque ob cauſam in vulnerum hæmorrhagiis internum ejus uſum Joh. Agricola tract. 2. Chirurg. parv. pag. 190. commendet, huc nihil contuliſſe, veroſimile videri poteſt; niſi fortè aëreum iſtud nitrum planè alterius alicujus naturæ fingatur. Si verò ſubſtantia aliqua ſpirituoſa frigus ſit dicendum, quod Clar. Sebaſt. Wirdigius lib. 1. de Medic. ſpirit. cap. 9. defendit, atque igne ſuo frigido ſpiritus calidos ejiciat, exturbet, extinguat, ſuffocet, neque hac ratione, ad propoſiti noſtri explicationem conferre quid poſſe, videtur. Sed fruſtra diutius his inſiſto, qui etiam hoc in negotio, de frigoris natura, illud: *quantum eſt, quod neſcimus!* & cum Poëta 2. Georg. exclamare cogor:

Sceleratum exquirere frigus,
difficile eſt.

In hoc igitur Caſu noſtro poros cutis à frigore, quomodocunque jam id factum fuerit, denſatos, occluſosque, effluviis illis, per inſenſibilem transſpirationem naturaliter aliàs è corpore continuò eliminandis, exitum præcluſiſſe, credibile eſt; quæ dein ſanguini remixta & conjuncta, eundem exagitare, calorem ejus intendere, atq; ad fervorem concitare valuerunt, ita ut Archæus hic in furorem quaſi actus, teneriori iſto in narium loco, accedente inprimis à commixtis acrioribus halitibus, qui præterea & ſternutationis, hæmorrhagiam prægreſſæ, & convulſionis eandem conſecutæ auctores fuerunt, fibrarum arterioſarum motricium ſpaſmo, veriſimiliter ſatis à Cl. Williſio propoſito, tandem perrumpere, ſicq; ab onere liberare ſe conatus fuerit; licet vehementiorem ob conceptam turgeſcentiam, majori in copia, quàm ad ſalutem conferre poterat, tam per nares, quàm ex his, mediante foramine illo, quod ab ipſis ad palatum tendit, per os effluxerit,

xerit, ſimulque purpuream ſecum animam exterminaverit; Sive jam, quod Magnus Fr. Baconus de Verulamio in hiſt. vit. & mort. ſtatuit, ob meram vacui fugam, cita mors profluvium iſtud ingens & repentinum, omnibus nimirum, ſanguine cum ſpiritu, affatim ſe ad ſpatia, quæ exinaniuntur, implenda moventibus, inſequuta fuerit; ſive quod [vacui illâ fugâ ut commentitiâ à doctioribus rejectâ,] probabilius, vis aëris elaſtica mortis cauſam attulerit, quatenus ſpiræ ejusdem, ut ita vocare nonnullis libuit, arctioribus antea terminis coärctatæ, majus, ob ſanguinis per vaſa aperta effluxum, nactæ ſpatium, in majorem ſeſe molem ſucceſſivè expandere, ſicque ſanguinem magis magisque premere, & per reſerata oſcula exprimere atque expellere potuerint. Licet aliàs tam fuga vacui, quàm aëris elaſter remotior tantùm mortis cauſa dici debeat, illoque ſolùm reſpectu, quo ab utroque ſanguinis ſpirituoſi vivifici, & cum eo animæ ipſius è corpore fuga, expulſio, vel exitus adceleratur. Et hanc ſanguinis excretionem, non è venis, ſed ex arteriis, quæ à carotidis ramo interno ad nares feruntur, fuiſſe factam, certum eſt; poſtquam ſanguinis naturalis motus, arteriis rubeum iſtum liquorem à centro ad circumferentiam derivandi, uti venis ab hac ad centrum reducendi, munus vindicans, extra omnem dubitationem poſitus eſt. Ut adeo tertio etiam craſſioris in capite meningis, ſupra falciformem hujus proceſſum longiori ductu ſub calvaria ab oſſe ejus, criſta galli communiter dicto, verſus poſteriora repenti ſinui, vel hac ratione hæmorrhagia narium vehementior, ſecus ac nonnullis placuit, adſcribi fortè nequeat; cùm & idem venæ officio fungatur, & ſanguinem à cerebri ſubſtantia copiosè (ſiquidem ſi non dimidiam, ſaltem tertiam ſanguinis partem, ſi cum univerſo fiat comparatio, ad cerebrum deferri, Celeberr. D. Marcelli Malpighii eſt ſententia Epiſt. de cerebr. ad Carol. Fracaſſatum,) refluum ſuſcipiat, inque ſinus duos late-

rales

rales derivet, ipſis dein venis jugularibus infuſum ad cor transferendum; quo intuitu eundem Nathan. Highmorus venæ cavæ comparat, quæ ut in regionibus inferioribus, ſic iſte in ſuperiori, receptacula quædam ſint & quaſi mare magnum, quod minores rivulos, venulas ſcil. ſanguinem ab arteriis adducentes recipiat; id quod præcipuè in illo ſinuum omnium concurſu, qui aliàs torcular quibusdam dicitur, conſpicuum redditur. Præterea Exc. D. D. Conr. Vict. Schneiderus in lib. de oſſe cribriform. pag. 412. finem ſinûs iſtius falciformis, oſſi, quod criſta galli audit, adnatum, non ampliùs formam meatûs, ſed ligamenti naturam uſumque habere, oſtendit. Recordor equidem, non ignobilem alias Anatomicum in Demonſtrationibus publicis ſinui huic in parte capitis anteriore valvulam quandam adſignâſſe, quâ laxatâ aut eroſâ, hæmorrhagia letalis inſequatur; ſed præterquam valvulam iſtam, à nemine aliàs unquam obſervatam, oculis, quorum ſenſu hîc utique res decidenda, ſiſtere quòd prætermiſerit, non video etiam, quem ibi uſum habere queat, & cur idcirco adeſſe debeat. Quanquam effuſi per nares ſanguinis cauſam ab iſto ſanguiductu interdum provenire poſſe, haud præfractè negaverim, ſi, quod Exc. D. Dominicus de Marchettis cap. 14. Anatom. habet, eo obſtructo, ſanguinis transmiſſio impediatur. Licet enim ſatis ampla ei ſit cavitas, quæ non adeo facilè obſtrui queat, à ſanguine tamen craſſiori, concreto & grumefacto (qui ut in aliis majoribus vaſis, ita in hoc quoque venoſo ductu talis evadere poteſt) obſtrui, impoſſibile haud eſt; unde arteriæ, cùm locus deficiat, in quem ſanguinem deponant, novo ſubinde à corde ſuppeditato impletæ, eundem qua poſſunt viâ exterminare violenter laborant, faciliorique eâ in narium concavo inventâ, ſeſe ibidem exonerant, perque ſemel adaperta oſtia adventantem etiam reliquum exire permittunt. Simili ſanè ratione Williſius part. 2. Pharmaceut. ration. ſect. 3. cap. 2. topica

pica infrigidantia venis jugularibus, ad ſanguinis effluxum è naribus reprimendum, malè adhiberi judicat, cùm ſanguis ita in recurſu tardatus uberiùs effluat. Cur verò facilis adeo per nares ſanguini concèdatur egreſſio, idem doctiſſimus Auctor l. c. eleganter demonſtrat, dum arteriolas à carotide cranium ingreſſa, primò abſcedentes ſanguinis partem ſeroſiorem, vel ſanguinem ſero commixtum, ad membranam glanduloſam, ſumi naris anfractus inveſtientem deferre, inque illas glandulas, veluti propria iſtius regionis emunctoria, ſerum ſuperfluum, in cavitatem narium poſtea deſtillandum, deponere ſcribit, addens: *quapropter, ſiquidem arteriolarum iſtarum oſcula propter ſeri exudationem ſemper paululum dehiſcunt, nihil mirum eſt, ſi ipſe ſanguis turgidior factus, eadem (quæ non rarò ex ſe nimis laxa ſunt) paulò amplius reſerans foras erumpat.* Plura non, præter unicum hoc coronidis loco addo, veritatem in hac puella effatum Hippocratis fuiſſe adeptum, quod ſect. 7. aphor. 9. deſipientiam aut convulſionem à ſanguinis profluvio malum quid eſſe, edocet; & veluti ſect. 5. aphor. 3. habet, *Ex copioſo ſanguinis fluxu convulſio contingens, malum denunciat*; quæ ſententia etiam Coäc. prænot. §. 338. Cod. Foëſ. continetur. Id quod Proſp. Martianus eâ ratione fieri, qua ſucci in corpore ex nimia evacuatione acriores redditi, nervoſum genus ſtimulantes, convulſivos motus efficiant, Comm. in ſect. 6. aph. 39. interpretatur, ubi divinus Senex convulſionem à repletione aut ab inanitione oriri, dixerat. An verò hoc noſtro in Caſu illa quoque Hippocratis ſententia, quæ 1. Prorrhet. §. 145. legitur: ἐκ ῥινῶν λαῦρα, βίαια, πολλὰ ῥυέντα, ἕτοιμον εἰς σπασμοὺς προσάγεται, *larga, vehemens, & multa ſanguinis è naribus eruptio interdum ad convulſiones deducit*, locum invenerit, incertum quidem, ſed veroſimile ſatis eſt: Ibi namque, ex Martiani deciſione, dictio hæc: βίαια, *violenta*, non ad ipſam hæmorrhagiam violentiâ inductam, ſed ad Medicos aliosve, vi qua-

quadam ſanguinis fluxum ſiſtere tentantes, referri debet; quod etiam confirmat Hippocrates, dum Coac. prænot. ſ. 336. largas ſanguinis ex naribus eruptiones per vim ſuppreſſas, interdum convulſiones accerſere, teſtatur; & Galenus Comm. 3. in 1. Prorrhet. §. 53. ſæpius vidiſſe ſe tales hæmorrhagiâ adfectos fatetur, convulſos non ſolùm ob ὑπερκένωσιν ſive *exuberantem vacuationem*, ſed & propter refrigerationem, ſi Medici caput refrigeraverint, profuſionem retinere volentes.

OBSERV. XXVII.

Magna dentis hæmorrhagia.

ANno Chriſti 1655. Civis quidam Ratisponenſis nocturno tempore in ſubitam hæmorrhagiam è dente quodam intimo, ac carioſo ſuperioris maxillæ in latere dextro inciderat, ubi ſanguis ſubniger, ſeroſus, per horas ſeptem continuas, tanquam ex ſiphone proſiliit; poſt multa alia medicinalia, adhibitis ventoſis ſiccis ſine ſcarificatione, ſæpiusq; deorſum in dorſo ad lumbos usq; deductis, & aſſumtâ oris collutione ex decocto aſtringentium, ſanguis quidem deſtitit, ſed ad horam & ultra ſerum planè clarum, ſubalbidum ac ſalſum adhuc ſequebatur. Indè conjecturari licet, quòd ſanguinis acrimonia cum abundante ſero ſalſo hæmorrhagiæ tantæ anſam dederit. Ex obſervat. propr.

SCHOLION SCHRÖCKII.

MAgnas ex dentibus, vel gingivis potiùs, hæmorrhagias alii etiam adnotârunt; quales in Scorbuticis non raró obſervantur, vix aliam ob cauſam, quàm quæ ab Auctore noſtro in Caſu præſenti à ſeri acris in ſanguine abundantia deſumitur. Unde Clar. Gualt. Charleton libr. de ſcorb. cap. 14. art. 5. diri hujus in ſcorbuto ſymptomatis cauſam in ſanguinem, luxuriante ſupra modum ſero dilutum, vel ſale volatili acri, à quo debita ejus

jus conſiſtentia pereat, abundantem, ſicque orgaſmo exagitatum, per arteriolarum oſcilla erumpentem, rejiciendam arbitrabatur. Quò etiam referre liceat fabri illius ferrarii lienoſi hiſtoriam, cui è venula (ut quidem Donatus vocat, cui tamen rectiùs fortaſſe arteria ſubſtituenda erit, quæ in ſuperiori maxilla à carotide interiore, in inferiori autem ab exteriore ad dentes propagari ſolet,) gingivæ, ichoroſi ſanguinis libras ampliùs octo effluxiſſe, Marcell. Donatus lib. 4. hiſt. med. mirab. cap. 9. refert. Et Alex. Benedictus lib. 5. de curand. morb. cap. 3. ex gingivis profluvia ſanguinis incredibilia, ſupra modum ſalſa, vidiſſe ſe teſtatur. Tanta nonnunquam illa exoritur, ut ipſam etiam mortem comitem inveniat. Talem Hollerius Comm. 2. ad aphor. 18. lib. 2. ſect. 2. Coac. Hipp. memoravit, ſcribens: *Nos vidimus è loculo dentis longo tempore ſanguinem profluxiſſe, qui nullis remediis ceſſit, ægrumq́ tandem ſuſtulit.* Idem accidit juvenculæ in ſeptimum menſem gravidæ, apud Gregor. Horſtium part. 2. lib. 1. obſ. med. 25. quæ in hæmorrhagiam ſubitaneam gingivarum, ſanguine confertim & magnâ copiâ per tres ſeptimanas continuas effluente, inciderat, maculis ſanguineis, ac ſudore ſanguineo, tandemque morte ipsâ ſubſequutis. In cujus obſervationis reſolutione aliud porrò exemplum magnæ ſanguinis per gingivas excretionis letiferæ profertur. Feliciorem vidit ſucceſſum Illuſtr. D. D. Paulus de Sorbait in Murario, cui ſanguis poſt diuturnam tertianam ad 24. libras ex gingiva effluxerat, pulvere tamen chalcanthi & cauterio actuali perſanato, ut ipſe obſ. 48. Anni II. Ephem. Germ. Cur. recenſuit. Et femina illa apud Nic. Tulpium lib. 1. obſerv. med. cap. 49. plus æquo poculis dedita, plurimum ſanguinis quotidie ex gingivis effundens, difficulter quamvis, ſanata perhibetur. Nonnunquam carnoſa gingivas excreſcentia defœdans, magnum ibi ſanguinis fluxum efficit, qui exciſione illius feliciter curatur; ceu ejus ſpecimina

mina apud Job. Mekeranum cap. 16. & 25. obſervat. chirurg. occurrunt. A dentibus etiam evulſis immodicas ſanguinis evacuationes contigiſſe, ſcimus; qualem Valleriola lib. 5. obſ. 3. à dente putrido ſine ulla vi ac ſine ferro, ſolâ digitorum leniſſimâ apprehenſione educto, ex arteria ſubdita, rivuli inſtar è fonte per triduum manantem, brevi tamen curatam, deſcripſit. Hæmorrhagia quoque ingens à dente evulſo, curata habetur in obſervat. Laz. Riverio communic. à D. Petro Pachequo obſ. 28. nec non obſ. 22. Achill. Gaſſeri apud Georg. Hieron. Welſchium in Syllog. curat. & obſerv. ut & obſ. 72. Joh. Udalr. Rumleri apud Eundem. Egregius ille Ulmenſium Chirurgus Joan. Scultetus tria remedia part. 1. Armament. chirurg. tab. 29. §. 11. adnotat, quæ varias hæmorrhagias & deploratam quoque illam gingivarum, extractiones dentium violentas excipientem, infallibiliter compeſcant, illudque, multa inter alia, exemplo Bracteарii cujusdam confirmat, qui ob violentam à Circumforaneo dentis molaris evulſionem, incompeſcibilem ferè in gingivæ hæmorrhagiam delapſus fuerat. Sed neque in hiſce ſanguinolentis fluxionibus ſemper exſpectanda eſt ſalus, dum vel ob ſiniſtrum remediorum uſum, vel aliam ob cauſam, ſanguinis impetus ſiſti nequit, & mors atra unà cum humore illo vivifico ipſam effundit animam: Sic duos eruto dente, ob multitudinem ſanguinis obiiſſe Cardanus de cauſ. ſign. & morb. ac Felix Platerus lib. 3. obſerv. fabrum ferrarium, ab extracto dente canino, quem ſanguinis ſaltu quodam exſilientis, ſubtilis, rubri, & fervidi per triduum eruptio, nullis remediis compeſcenda, inſecuta fuerat, exſpirâſſe, notârunt. Qua occaſione magnam Agyrtarum imperitiam, fraudem & audaciam obiter perſtringere licebit, dentium extractionem ſæpe non neceſſariam, inconſideratiùs, argenti ſcilicet unà extrahendi causâ, urgentium; quorum inutile officium ut Magiſtratûs auctoritate inhiberetur, multoties ne-

ceſſum foret, ad Turcas potiùs ablegandum ; *Famoſa* enim *illa humanitatis monſtra, referente Menavio, ſcriptore Italo lib. 3. cap. 22. Chirurgis ſuis olim interdicebant, ne ſine impetrata Regis licentia dentes extraherent, dubio procul non negligendum ſanitatis damnum declinaturi,* uti Excell. Gothofr. Mœbius cap. 9. Medic. phyſiolog. loquitur.

OBSER. XXIIX.

Fœtus ſeptimeſtris dentatus.

A*Nno Chriſti* 1634. *Norībergæ puellº, partûs ſeptimeſtris, dentes duos in inferiori maxilla ſecum in lucem protulerat.* Ex obſerv. propr.

SCHOLION SCHRÖCKII.

QUamvis infantibus plerisque ſexto demum à nativitate menſe, aliis autem citiùs, tardiùs, dentes è gingivarum clauſtris, quibus concludebantur, prodire ſoleant, ſolertis utpote matris, Naturæ inſtinctu, quæ eosdem in lucem ante producere intermittit, quàm eorum uſus, pro conterendis potiſſimum, & ad concoctionem in ſtomacho peragendam præparandis cibis, eſſe queat; quo intuitu vulgi inter errores noxios referre quoq; libuit Jac. Primeroſio, carnium aliorumque ſolidiorum ciborum ante dentitionem infantibus exhibitionem, lib. 3. de vulgi in medic. err. cap.16. Revera tamē ante tempus illud, & cùm primò in lucem prodiret infans, adfuiſſe illos, in materno utero jam genitos, certum eſt. Magnâ ſæpe adſtantium cum admiratione id ſeſe oſtendiſſe, atque ex infantium in matris alvo demortuorum gingivis, perexiguos ſuis ex alveolis eruiſſe dentes ; idem quoque in nuper natis, & abortibus etiam ſeptem vel octo menſium explorâſſe ſe, fatetur Reald. Columbus lib. 1. Anatom. cap. 10. eâ rem hanc diligentiâ ſe perquiſiviſſe, addens, quòd de his plerique ne verbum quidem meminerint, re nondum illis for-

fortaſſe cognitâ aut perquiſitâ. Sed nec Hippocratem omnino hoc latuiſſe, ex lib. de carnib. adparet, ubi dentes in illos, qui primò generantur, & qui circa ſeptimum demum ætatis annum utplurimum producuntur, diſtinguit; de illis itaque hæc habet: *Ac primi quidem dentes ex victûs ratione in utero naſcuntur* &c. & paulo poſt: *Poſtquam exciderint, qui ab alimento ex utero orti ſunt* &c. Galenus quoque lib. 2. de ſemine cap. 5. ubi utriusque ſexûs genitalia membra eadem eſſe, inq; eo tantùm differre diſſeruit, quòd in femina intus, in mare extus ſituata ſint; & in hoc quidem primò intus quaſi delineentur, ac poſtea demum foras emergant, ſeqq. addit: *Hoc autem modo ſolere Naturam hujuscemodi partes fabricare, nec ullo alio, cùm multa eſſe tibi argumento poſſent, tùm illud præcipuè, quòd in recens editis in lucem animalibus conſpicitur, dentes enim iis intus in gingivis adhuc latent: oculi item in plerisq; adhuc clauſi, in nonnullis ne diſtincti quidem apparent: quæ omnia in abortuum obſervatione exactè percipies.* Ut ideo rara inter Naturæ meritò numerentur cum dentib⁹ extra alveolos ſuos prominentibus nati; quorum exempla videri poſſunt apud Joh. Schenckium obſervat. medic. lib. 1. pag. 216. & ſeq. Guil. Fabricium Hildanum epiſtol. 68. Balduin. Ronſſæum de vit. hum. primord. cap. de dentib. Jo. Ant. Lindanum Medic. phyſiolog. lib. 2. cap. 13. art. 3. Joh. Rhodium cent. 1. obſ. med. 92. Bald. Timæum lib. 5. caſ. medic. 10. Theodor. Kerckringium Spicileg. anatom. obſ. 24. & Jo. Nicol. Binningerum cent. 4. obſerv. 25. *In fœminis*, ſcribit Plinius lib. 7. Hiſt. natur. cap. 16. *ea rès inauſpicati fuit exempli, Regum temporibus.* Sed hoc Ethnicorum inter ſuperſtitiones meritò reponendum, qui rariores iſtos fortuitosque Naturæ caſus infauſti ominis metu copulantes, ſe ipſos egregiè deluſerunt.

OBSERVATIO XXIX.

Series dentium maxillæ inferioris duplex.

N*Ovi Virginem nobilem, quæ ſeriem dentium in inferiori maxilla duplicem habebat, ſed ſæpius odontalgiâ infeſtabatur.* Ex obſervat. propr.

SCHOLION SCHRöCKII.

VAriè dentium in conſtitutione Natura conſueto ab ordine ſuo deflectit, aut quandoque etiam aberrat. Ut aureum pueri Sileſii dentem, Eruditorum primò ingenia, cùm fama ejus increbuiſſet, in admirationem rapientem, multumque etiam deludentem, taceam, dum fucum potiùs latuiſſe, laminâ aurichalceâ denti ſuperinductâ, tempus detexit: quales ex auro ductas laminulas Sinenſis regionis, Junnan, incolas, Kinchi dictos, ante Tattarorum adventum, ad obtegendos dentes fuiſſe uſos, O. Dapperus in deſcriptione Regni Sinici, tertiæ Legationi Batavorum ad Sinas additâ, pag. 158. memorat. Nec de ferreo Cœnobitæ illius Dominicani fictitio dente hîc agere lubet, quem Th. Bartholinus cent. 2. hiſt. anat. 24. atque Joh. Rhodius cent. 1. obſerv. med. 95. deſcripſerunt. Alios potiùs Naturæ luſus circa corporis haſce particulas intuebimur. Ante nativitatem, & dum infans nondum hac luce fruebatur, enatos præcedens Obſervatio exhibuit. Quibus illos quoque paucis poſt partum diebus, ex alveolis erumpentes adjungemus; quorum exemplum, ut alia prætermittam, Exc. Collega noſter & Amicus D.D. Georg. Abraham. Merclinus, Jun. Poliater Noricus famigeratiſſimus in Ann. VIII. Miſcell. Germ. Curioſ. obſ. 47. ſuppeditavit. Sicut econtra ſerò nimis enatos aliis, conſtat; adultioribus etiam & ſenibus inprimis (qui namque poſt primum ex alveolis

veolis elapſum, anno utplurimum ſeptimo pueris prodeunt,huc non pertinent,) renaſci, miramur; id quod Viri Clariſſimi, D. D. Franc. Ignat. Thiermairius in Schol. ad lib. 2. conſil. medic. cap. 11. Henric. Oldenburgius Act. Phil. Societ. Reg. Angl. A. 1666. Num. 21. relat. 10. Thom. Bartholinus Anatom. reform. lib. de oſſib. cap. 12., cent. 5. hiſt. anat. 28. Sebaſt. Wirdigius lib. 2. de medic. ſpirit. cap. 29. Dan. Sennertus lib. 2. Medic. pract. part. 1. cap. 10. Joh. Rhodius cent. 1. hiſt. med. 93. & 94. Petr. Borellus cent. 2. hiſt. med. phyſ. 81. Joh. Heurnius lib. de morb. oculor. cap. 11. Marc. Donatus lib. 6. de hiſt. med. mirab. cap. 2. aliique plures diverſis exemplis confirmant. Et quomodo id fiat, ab Isbr. de Diemerbroeck lib. 9. Anatom. corp. hum. cap. 10. explicatur. In infantibus autem poſt graviſſima à dentitione ſymptomata demortuis, dentes prodire demum, ſuis mortuorum miraculis Exc. Collega noſter, Dn. Lic. Chriſtian. Frider. Garmannus lib. 1. tit. 6. §. 14. meritò inſeruit, exemplo à Borello mutuato; cui alterum illud, quod Salmuthus cent. 3. obſ. 37. exponit, jungatur: Cauſa quoque miraculi hujus apud eundem Garmannum §. 15. eruditè expoſita videatur. E loco inſolito, palato nempe egredientes, præter Borellum, alioſque, viderunt Guil. Fabricius Hildanus epiſt. 68. Joh. Schenckius, ac quos ipſe lib. 1. obſervat. medicar. citat, Plinius, Alex. Benedictus, & Barth. Euſtachius. Prout etiam dentem molarem è mandibulæ ſuperioris parte dextra interiore, in Matrona quinquagenaria, cum febre ardente, acerbiſſimis capitis doloribus, & deliriis, pronatum; nec non in alia nobili Femina, 45. demum anno oſſiculum quoddam, dentem caninum referens, non ſine magno vitæ periculo, ob gravia, quæ comitabantur, ſymptomata, in antro palati erupiſſe, abſceſſu tamen ibi oborto, iterum ablatum; & Puellæ 21. annorum, febre continuâ, cephalalgiâ, atque vigiliis periculosè conflictatæ, in palati medio ſen-

ſim prodiiſſe dentem, è lata baſi in acumen deſinentem, notabili cum loquelæ & comeſtionis, antequam tractu temporis acies ejus atterebatur, incommodo, Vener. Parens meus in praxi ſua obſervaverat. Raritate porrò ſe commendant naturalem illam cum maxilla connexionem, quam γόμφωσιν vocant, non ſervantes, i. e. alveolis ſuis, clavorum inſtar in ligno, haud infixi, ſed ipſi maxillæ connati, ita ut unicum os referant, nobilitati inprimis obſervatione illâ, à Jacob. Hollerio ſuppeditatâ, quæ num. 30. obſervat. ejus, libro 1. de morb. intern. additar. deſcribitur, dum Chirurgus, quòd dentem extracturus, partem ſimul maxillæ vicinoſque dentes, periculosâ ſubſequente hæmorrhagiâ, unà evulſerit, in jus vocatus, eo ipso tamen liberatus & abſolutus fuerat, quia dentes non inſerti, ſed maxillæ omninò continuati deprehenſi fuerint. Ut porrò de frequentiori illa circa dentium numerum varietate, qui ad 28. 30. utplurimum ad 32. adſcendit, nil dicam; Dentibus omninò caruiſſe quosdam, rarum eſt: Sic nullo planè dente inſtructum vereque edentulum fuiſſe Pherecratem, ex Valla Schenckius memorat, & Borellus mulierem ſexagenariam nullo unquam dente armatam cent. 2. hiſt. 41. producit. Non verò pertinet huc Paracelſi ſomnium, quo primos homines, Adamum & Evam, ante lapſum, præter alias aliquas partes, dentes quoque non habuiſſe, cap. 2. lib. Azoth, ſcribit, adeoque hominem poſt lapſum pro monſtro habet; quam ſententiam Dan. Sennertus cap. 4. de conſenſu & diſſ. Chim. cum Ariſt. & Galen. impiis ejusdem dogmatibus accenſet. Nos etiam pro monſtroſa eandem reputabimus, quæ ne quidem refutari mereatur. Alios autem unico duntaxat in maxilla dente præditos legimus; unde Pyrrhus Epirotarum Rex μονώδες dictus, ob unicum os, quod in ſuperiori maxilla, dentium loco habebat, lineolis quaſi, ut Plutarchus teſtatur, diſtinctum, dentium ſeriem deſignantibus; id quod etiam de Pruſiæ Regis Bithyniorum

rum

rum filio, & Achille illo Romano, Sicinio, alii recenſent, pluribusque hiſtoriis ex Herodoto, Raviſio, Jul. Polluce atque Melanthone Schenckius illuſtrat. Similes quoq; unici dentis obſervationes ſcripſerunt Bald. Timæus lib. 5. caſ. medicin. 10. & Thom. Bartholinus l. c. nec non obſerv. anat. cent. 1. hiſt. 35. Hanc dentium conjunctionem ſe nunquam, tres autem quatuorve molares non aliter, quàm in pecudibus, continuatos aliquando vidiſſe, Euſtachius lib. de dentib. ſcribit. Sic & ipſe latiorem dentem, qui facillimè trium molarium ſpatium occupabat, obſervâſſe me recordor. Rarum denique eſt, Naturam à ſimplici illa dentium ſerie deflectere, & duplicem, triplicemve ordinem largiri. Herculi ſanè triplicem fuiſſe, proditum; idq; eò faciliùs credemus, cùm & Reald. Columbus lib. 1. de re anat. cap. 10. ſimilem in puero ſuo, Phœbo, conſpicuum recenſeat; Dripetinem, Mithridatis Regis filiam, duplicem habuiſſe, Valerio Max. lib. 1. cap. 6. debemus; ſicut & de puero quodam Lutetiano Caſp. Bauhinus de obſ. propr. atq; de Ludovico XIII. Gall. Rege Bartholinus locis modò adduct. idem referunt; quo dubio procul pertinet Timarchus ille, Nioclis filius Paphii, quem duos ordines maxillarum habuiſſe, Plinius lib. 11. hiſtor. natur. cap. 37. ſcribit. Hìc tamen notandum, quod prælaudatus Bartholinus in Anatom. reform. habet, primos illos dentes in infantia prorumpentes ſi non excidant, per novos alveolos poſteriores illos, qui inſequi ſolent priorum caſum, prodire, ſicque novum dentium ordinem repræſentare; quod etiam in recenſitis exemplis contigiſſe potuit. Ut vero Romanorum gentilium ſuperſtitionem circa puellarum dentatarum partum, in anteced. Scholio improbare occaſio tulit: ſic non minor etiam hìc occurrit vanitas; dum tardam dentium eruptionem longæ, maturam econtra brevis vitæ præſagium exhibere, anile delirium perſuadere conatur. Sed uti multas mulierum opiniones nugarum

garum & ſtultitiæ plenas: ita & hanc talem eſſe, optimè determinat Exc. D. Frid. Lachmund Ann. VI. Miſcell. Germ. Cur. obſ. 183. puellæ bimulæ exemplo, ſine dentibus demortuæ idem confirmans. Magis audiri merentur, qui ex pluralitate dentium longævitatem præſagiunt. Hippocrates ſanè lib. 2. Epidem. ſect. 6. plures dentes habere pronunciat, qui longioris ſint vitæ; quod etiam Plinius lib. 7. Hiſtor. nat. cap. 16. notat, & augurium, quod in hac eſſe creditur parte, hiſce verbis exprimit: *Quibus plures fuêre, longiora promitti vitæ putant ſpacia.* Et Ariſtoteles lib. 2. Hiſt. animal. 3. quibus plures ſunt dentes, eorum magnæ parti vitam longiorem; & viciſſim, quibus pauciores, aut nulli, breviorem eſſe determinat. De cujus tamen adſerti veritate quamvis dubitare utique liceret, ſi, quod Plinius vult lib. 7. H. N. cap. 16. & lib. 11. cap. 37. muliebri ſexui minor eſſet dentium numerus, quàm virili; quinimo cùm tot longævi obſerventur, quibus rara dentium ſeries maxillis inhæret, econtra abunde dentatis citam ſæpius mortem ſubeuntibus; prout Auguſtum Cæſarem, qui annorum ſeptuaginta ſex ætatem attigerat, dentes habuiſſe raros & parvos referunt, atque ſexagenariæ illi apud Borellum omne dentium beneficium Natura denegaverat: Poſſe tamen majorem dentium numerum ad vitam diuturniorem impetrandam certo reſpectu quid conferre, haud omnino eſt negandum, quatenus, ut alii jam notarunt, ad cibos duriores debitè maſticandos, atque conſequenter eorum concoctionem ac nutritionem faciliùs meliusque peragendam, modò validi ſimul ſint firmique, faciunt; cùm econtra ii, quibus præter naturæ intentionem, numerus dentium à morbo aliave de cauſa externa violenta imminutus eſt, ob exortam hinc denegatam ciborum ſolidiorum ſufficientem contritionem, ſubſequente coctione & nutritione laudabiliori carere, adeoque niſi liquidioribus & texturæ mollioris cibis veſcantur, vel citiùs occum-

cumbere, vel ſaltem valetudinariam magis vitam agere cogantur. Hoc ipſo itaque non ſimpliciter infertur, paucitatem dentium breviorem vitam præſagire. Potiſſimùm de numero dentium naturaliter contingente hîc agitur, nec morboſus diminutus huc eſt trahendus. Quin &, quod Natura nonnullis in numero decurtavit, magnitudine compenſare valet, atque robur in plures ibi diviſum, hîc concentratum quaſi in pauciores transfert. Imò velut omnes corporis partes, ſi benè conſtitutæ ſint, ac ſanitate debitâ gaudeant, vitæ prolongationi inſerviunt, eandem tum promoventes, tum indicantes: ita etiam de dentibus idem dicendum erit: Nec tamen major horum præ iſtis habenda in hoc paſſu ſive augurio ratio erit. Similes ſanè difficultates obſervaſſe videtur Ariſtoteles, dum loc. cit. & ſect. 10. probl. 41. raris dentibus præditos, ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ, *utplurimum* brevioris vitæ eſſe determinat. Cauſam tamen, quam ipſe ſect. 34. probl. 1. fingit, dum quærens: cur iſti minùs vivant? reſpondet: quòd animalia plures dentes habentia vivaciora ſint, jejunam ſatis & tanto Philoſopho indignam meritò vocat Hieron. Mercurialis lib. 6. variar. lection. cap. 8. Nec altera illa ratio, ſect. 10. probl. 41. propoſita ſufficiens eſt; qua materiam in capitis oſſibus abſumtam, & talia compacta ac denſa eſſe, ſcribit; quid enim hoc ad problematis hujus reſolutionem faciat, haud video. Prout verò dentium multitudo inſufficiens eſt ad vitæ longævitatem præſagiendam: ita & eorundem in ſenio renaſcentiam ſe habere, Joh. Baptiſta Helmontius ſtatuit, ubi contra arcana Paracelſi in libello de iis inſcripto diſputat; cui tamen ſeſe oppoſuit Exc. D. Joh. Tackius pag. m. 118. Chryſogon. animal. & mineralis.

OBSERV. XXX.

Excreſcentia carnoſa in gena ſiniſtra.

A*Nno Chriſti 1673. gnata cujusdam Juriſconſulti odontalgiâ vehemente afflicta, qui dolor demum in tumorem genæ ſiniſtræ cum ulcere degeneràrat; Chirurgus igitur accerſitus, curatione forſan ſe præcipitans, ulcere nondum ſatis deterſo ac mundato, & ſarcoticis nimis citò impoſitis, neglectis poſtea epuloticis, excreſcentiam carnis deformem, mollem, rubram, articuli digiti indicis anterioris longitudine & craſſitie, veluti maſſam carneam galli Indici ſupra roſtrum gerunt, cauſavit, quam vix cathæreticis abſumere potuit.* Ex obſervat. propr.

SCHOLION SCHRÖCKII.

ODontagra, ceu Joh. Stephan. Strobelbergerus in tract. ſingul. de podagra dentium vocat, ſive, ut communiter Latinis dicitur, dentium dolor non ultimum triſtes inter, humanum corpus quæ exagitant, ſenſationes locum meretur; quem ſanè cephalalgiâ quavis atrociorem Galenus lib. 2. de compoſ. medic. ſ. l. cap. 1. pronunciat, *Ob capitis*, ſcribens, *dolorem vehementem, nemo unquam animi deliquio comprehenſus mortuus eſt, neq; ſe ipſum occidit, quemadmodum quidam coli dolore vexati fecerunt. Utcunq; enim doleant, longè minor ipſorum dolor eſt, quàm eorum, qui coli, aut auris, aut oculi, aut dentis dolore vexantur*; & ſecundùm Celſum lib. 6. cap. 9. maximis tormentis adnumerari poteſt, adeo ut quosdam ad deſperationem adigat. Nec tantùm calamitoſus eſt in ſe conſideratus, ſed graviſſima inſuper ſymptomata ſæpius inducit, ac deplorandam corporis corruptionem, cujus exemplum Hippocrates ponit circa finem lib. 7. de morb. vulg. in Cardia, Metrodori filio, cui ex dentium dolore maxillæ ſyderatio & vehementer ſupercreſcens in gingivis caro, ac moderata ſuppuratio contigerat, tum molares, tum maxilla ipſa deciderant: quam etiam hiſtoriam lib. 5. paulò mutatis verbis notaverat. Graviſſimorum quoque ab odontalgia ſymptomatum catervam deſcribit Claudius Deodatus apud Guil. Fabricium Hildanum cent.

cent. 4. obſerv. chir. 21. Alia ut præteream, præſertim quotidiana ab experientia cùm plura edoceantur: quæ inter tantùm obiter hîc attingendi tumores genarum, quibus utplurimum odontalgiæ vel ſtipantur vel terminantur, humore utpote ſeroſo, acri, dolorifico, à gingivis ad buccas averſo & translato; qui reſolventibus & diſcutientibus ex arte haud adhibitis, ſi non abigatur, vel etiam multitudo ejus & pertinacia obſtet, tumores iſti maturantur, inque ulcus abeunt, facilè tamen ſanationem utplurimum admittens. Epidemicas tales à fluxione catarrhoſa, ob pluvias immodicas, A. 1648. genarum, cum dentium dolore, graſſantes tumores, citò ad maturationem, ficuum inverſorum admotione deductos, brevique curatos memorat Petr. Borellus cent. 1. hiſt. med. 86. Multum tamen faſtidii quandoque ægris, medentibus autem laboris faciunt; prout in hac ipſa ægrota contigit, cùm deformem iſtam carnoſam excreſcentiam ſecum traxerit, Chirurgi quidem, ut Auctor ſuſpicatur, errore. Scilicet non tam ex ſui natura, quàm Medentium culpâ, nimiâ prudentiâ, & præconceptâ erroneâ opinione, morbi ſæpe prolongantur atque exacerbantur. Cujus ſpecimen ſuggerit Auguſtin. Thoner⁹ lib. 4. obſerv. 3. de tumorib. abſceſſum genæ dextræ diu à Chirurgo fruſtra curatum memorans, eò quòd contra ſuum monitum, oblongas ei turundas unguento illitas intrudere conſueviſſet, carnis ita regenerationem ulceriſque conſolidationem impediens, ipſo dein ulcere, impedimento iſto remoto, paucos intra dies ſanato.

OBSERV. XXXI.

Lapſus palati cum linguæ tumore mirabili.

 Mulier

Mulier quinquagenaria circiter, temperamenti calidi & humidi, cephalæâ & fluxionibus catarrhoſis ſæpius laborans, aliquando aëre nimboſo ſæviente, dolore capitis permagno infeſtata, palatum & linguam ſenſit ſubitò & inſigniter intumeſcere, atq; linguæ motum naturalem impediri, ut vix voculam balbutiret, nec quicquam cibi deglutiret, & cùm linguam exerere voluit, linguæ maſſâ ad fauces retractâ, muſculi primi ſublinguales in utroq; latere acuminati, ſerpentum linguarum inſtar prominerent, vixq; reſpirare ipſa poſſet. Huic dum in primo aditu venas ſublinguales ſtatim incidi, ac palati tumorem ſcalpello pertundi, atque gargariſmis ex aqua tepida cum pauco aceto & ſale commixtâ, os elui curâram, confeſtim reſpirationis via aperta fuit, & tumor omnis evanuit. Ex obſervat. propr.

SCHOLION HELLWIGIANUM.

HUjusmodi ferè casûs meminit Nicol. Tulpius obſerv. med. lib. 1. cap. 38. quæritans, caſum prolapſi à Medicis hactenus vel omninò præteritum, vel levi ſaltem brachio percurſum fuiſſe, cùm malum tamen omninò grave & rarum ſit, ortumque habeat à deſtillatione humoris deprimentis usque eò muſculos ſub palati finem ſitos, ut præ pondere prolapſi præcludant viam ſpiritui tum per os, tum per nares erupturo, cum vitæ periculo. Et recordor eodem malo affectum quendamReligioſum,in paucis diebus obiiſſe.

ADDITAMENTUM SCHRÖCKII.

N*Aturalis linguæ magnitudo*, ut cum Clar. Lindano pag. 569. Medic. phyſiol. loquar, *tanta eſt, quæ impleat capacitatem inferioris tantùm maxillæ.* Quam ſi excedat, morboſa evadit, magnumque inprimis nobiliſſimæ iſti humanæ actioni, ſive loquelæ incommodum adfert. Hinc morbos inter, qui membris, naturali figurâ non depravatâ, in magnitudine, cum eorum operatione læſa, contingunt, linguam etiam ſupra modum excreſcentem

tem

tem expreſsè denominat Galenus cap. 9. libr. de differ. morb. ubi incrementum iſtiuſmodi vidiſſe ſe, teſtatur, linguâ, præter unicam magnitudinem, nullum in ipſa ſubſtantia vitium habente. Et Ill. Thom. Bartholinus cent. 2. hiſt. anat. 22. ex Clar. Joh. Walæi communicatione, puellam producit, quæ manûs magnitudine amplam groſſamque linguam nacta fuerat, ut ore vix contineretur, à Medicis mirâ curâ, particularum ſuperfluarum in extremitatibus abſciſſione ad conſuetam molem perductam; qui ipſe etiam aliam horridiorem & portentoſam, ab imaginatione matris, in puero enatam linguam cent. 3. hiſt. 43. deſcribit. Qualem magnum & tragicum linguæ tumorem, miraculo adſcriptum, recenſet Illuſtr. Archiater Cæſareus, D. Paulus de Sorbait Ann. II. Ephem. German. Cur. obſ. 107. Ipſe quoque Pergamenus, ut 14. meth. med. cap. 8. refert, linguam ita tumefactam cuidam vidit, ut ore contineri non potuerit, compendiosè tamen curatam. Subitam linguæ à tantilla menthæ nocturnis horis deguſtatione intumeſcentiam, theriacâ & vino curatam habet Borellus cent. 2. obſ. 43. à veneno bufonis in mentham effuſo cauſam deducens. Aliam à viperino veneno excitatam producit Johann Faber expoſit. in Nard. Ant. Recchi Hiſt. animal. Mexican. pag. 778. In lue quoque venerea ſimilis quandoque adfectus contingit; exempli loco ſit, quod ex communicatione D. des Grandspres, Riverius obſ. 1. ſuggerit, frequentiùs nempe & diutiùs celebratas frictiones mercuriales tantum fluxionis impetum in particulam illam corporis excitaſſe, ut quatuor digitorum transverſorum menſurâ extra os prominuerit, feliciter tamen ab eodem curata. Plures conſimiles obſervationes apud Marc. Donatum lib. 3. de med. hiſt. mirab. cap. 4. videri poſſunt. Cæterùm præſenti in Caſu, præter inſignem linguæ tumorem, catarrhus etiam in palatum vicinosque muſculos impetum faciens, eos in tumorem periculoſum di-

 ſten-

ſtenderat, ſanguine videlicet ſeroſo in corpore abundante, ſeroque iſto, mediantibus innumeris illis lymphaticis ductibus, quos unà cum glandulis, ut vocat, palatinis, Celeb. Nicol. Steno §. 21. obſerv. anatomic. deſcripſit, ibi locorum collecto atque coacervato; quem tumorem Auctor noſter, ad Tulpii mentem, palati prolapſum nominat; quod an benè fiat, Critici diſpiciant; minùs tamen propriè nominis iſtud obtinere mihi videtur; ad Anginam commodiùs referendus, quæ ſtrictiori ſenſu faucium adfectum ab earum inflammatione, latiori autem à quacunq; cauſa productum earum tumorem, difficultatem reſpirandi inferentem, denotat.

OBSERVATIO XXXII.

Curatio labii decurtati temeraria.

MEdicus quidam inſignem ſuam chirurgiæ ſcientiam gloriatus, civis cujusdam Ratisponenſis filiæ cœlibi labii ſuperioris decurtati vitium nativum emendare certò promittens, ipſas manus adhibuerat, ſectionem transverſim per malæ muſculos ducens, nihil aliud perfecit, quàm quòd labii vitium carne novâ quodammodo obduxerit, & ſimul novam, oblongam, ac indecoram buccæ cicatricem temerariâ ſectione ſuâ induxerit. Ex obſerv. propr.

SCHOLION SCHRÖCKII.

LAbiorum dignitatem, præ aliis, Gaſp. Taliacotius lib. 1. de curtor. chirurg. cap. 9. prolixè commendavit, quæ præter decus faciei, primariæ ſedis pulchritudinis, circa loquelam potiſſimum ritè promovendam verſatur. Quam ſanè vitium illud, quo decurtata quandoque obſervantur, fœdè pervertit atq; ingratam efficit, ideoque de emendatione ſui impetranda magnam utplurimum ſollicitudinem infert. Curam autem hanc in fucatam, adducto ejus ex Thom. Minadoo exemplo, & veram, à Galeno, Paulo Ægineta, Celſo, & inprimis Taliacotio traditam, diſtin-

diſtinguit Dan. Sennerttus lib. 2. Medic. pract. part. 1. cap. 4. Curta tamen labia latiùs extendens præfatus Bononienſis Curtorum Chirurgus, non illa tantùm, verè curta quæ ſunt, ſoliusq; traducis beneficio reſtituuntur, nec ſolùm à vulnere quæ vitiata fuêre, curta cicatricoſa ipſi dicta, ſic vocat, ſed labia etiam leporina vulgò adpellata, à materna potiſſimùm imaginatione, ipſo in utero, in fœtu fiſſa atque divulſa. Quæ utique vix aliâ, quàm dextrâ manuum operâ ad naturalem decorem perduci queunt. Quamvis enim ſecundinâ mox oblitâ, adplicatâque à partu curari eadem, Moccius apud Schenckium lib. 1. obſerv. medic. tradat, poſſibile tamen id eſſe, nemo facilè conceſſerit, ubi vitii qualitatem, & remedii naturam contulerit. Quâ verò ratione chirurgia iſta peragi debeat, præter Exc. D. D. Paul. Ammañum Parænef. inſtitut. medic. part. 2. ſect. 1. §. 50. Clar. Joh. Hornium Microtechn. §. 28. Joh. Scultetum Armament. chirurg. tab. 32. fig. 3. aliosve, Henric. Roonhuſius egregiè edocuit, additisque diverſis exemplis illuſtravit lib. 1. part. 2. obſervat. 4. & ſeqq. Nec prætereundum hoc in loco, quod idem obſ 4. habet, vitium ſcilicet illud multis quidem Chirurgis non ignotum eſſe, verum tamen tractandi illud modum raro obſervari, tot triſtioribus exemplis id adteſtantibus, ut ideo præſtaret, ejusmodi infantes nunquam expertos curam iſtam fuiſſe, quàm deformi cicatrice perpetuò defœdari.

OBSERVATIO XXXIII.

Vinculi linguæ ſectio in puella decenni.

R*Atisbonæ puella quædam pulchra & ſana, à cunabilis quaſi muta, & ne vix, licet quammaximè conaretur, voculam proferre potuit. Igitur inſpecto ore videbatur linguæ frænulum nimis conſtrictum, ac ex conſilio Medici Chirurgus ligamentum*

tum hoc incidebat forcipe, non tamen abſq; hæmorrhagia quadam, ſed non periculoſa. Ex in puella inceperat expeditiſſimè garrire, atque ſine hæſitantia verba cuncta proloqui. Ex obſerv. propr.

SCHOLION HELLWIGIANUM.

INter linguæ partes ab Anatomicis numeratur etiam ligamentum, corpus membranoſum, latum, valdè validum, inferiori linguæ parti inter ambas venas ſublinguales, ranulas dictas, à natura ſubſtratum, pro firmiori linguæ cum inferioribus partibus connexione, ac molliori baſi oſſis hyoidis innixæ conſtrictu, ut laxitate ſuâ permittat linguam liberè loqui. Hujus ligamenti pars extrema apicem linguæ verſus protenſa frænulum dicitur, hoc cùm in recens natis plerunque linguam adeo totam alligat, ut lactis ſuctioni impedimentum magnum ſit, & balbutiem moleſtam tempore inducat, obſtetrices poſt partum ungue divellere ſolent, (quod tamen periculoſum & non admittendum cenſet Thomas Bartholinus lib. 3. Anatom. reform. c. 13.) vel Chirurgi ſcalpello aut forcipe incidunt, ſed adhibitâ cautelâ, ne venæ ſublinguales, ſive caro muſculoſa ob metum hæmorrhagiæ, ſive nervi ibidem implantati attingantur, ob metum convulſionis, qualem ſe vidiſſe ſcripſit Joann. Riolanus lib. 4. anthropolog. cap. 8. Cæterùm imperitè omnibus indifferenter infantibus frænulum hoc incidi queritur Bartholinus loc. cit. quum ex mille, quibus indivulſum manet, vix unus balbutiat.

ADDITAMENTUM SCHRöCKII.

COmpendioſam illam obſtetricum in diſrumpendo vinculo ſublinguali chirurgiam, non immeritò temeritatem vocat Hieron. Fabricius ab Aquapendente in Operib. ſuis chirurg. qua nempe paſſim & ſine diſcrimine recens nato infanti, digiti ungue, quem paratum & acutum ad id perpetuò geſtant, ligamentum ſub eorum lingua incidant, ratæ, niſi id præſtarent, infantem nequidquam loqui olim poſſe; quam tamen inſcitiam & fatuita-

tuitatem varia incommoda ſæpius ſubſequantur, dolor inprimis & inflammatio, à qua papillæ maternæ adprehenſionis lactisque nutricii ſuctionis letale ſæpe impedimentum exoriatur; cui Excell. noſter D. Collega Curioſ. Carol. Raygerus annot. in Jacob. Rolandi agloſſoſtomograph. cap. 3. maxillæ, à digiti craſſioris intruſione luxationem, cum inevitabili infantis interitû junctam, ſupperaddidit. Quare peritam Chirurgi operam accerſere præſtat, ſi ligamenti illius ſolutione opus fuerit. Funeſtum aliàs temerariæ iſtius ab obſtetriciis unguibus diſrûptionis, atq; imprudentis poſtea Chirurgi ulterioris diſſectionis exemplum notavit Joh. Scultetus part. 2. Armament. chir. obſ. 37. Quamvis autem in omnibus operationem iſtam haud neceſſariam eſſe, certum ſit, quandoque tamen adminiſtrari debere, Caſu propoſito Auctor noſter egregiè oſtendit. Quin & hac in Urbe jam adultioribus, loquelâ articulatâ deſtitutis, vinculum hoc chirurgico auxilio cum fructu ſolutum fuiſſe compertum habeo.

OBSER. XXXIV.

Fœmina barbata.

Noribergæ fuit fæmina, quæ in puerperio aliquo, neſcio ex qua cauſa, maniaca facta, ac talis usque ad mortem (ſeptuagenaria penè obiit) poſt longam Medicorum curam, in tantum denique reſtituta, ut periodicè circa novilunium, plenilunium, & eveniente tempeſtate gravi, aut cùm ad iram ciebatur, in mentis agitationem incideret. Ob præcautionem verò, ne cuiquam damnum infligeret, in ædibus ſuis & cubiculo ſemper incluſa, ac compede unâ & alterâ, pro urgente furore, devincta deambulabat, interea temporis legendo, ſcribendo, nendo, confabulando, aſt ſæpe phantaſiâ laborante, dies transegit, & barbam in mento ſuccreſcentem, prolixam bifurcatim, latam, non nimis denſam, ſine myſtace, aluit. Ex obſerv. propr.

SCHOLION HELLWIGIANUM.

PIlorum materiam, vulgò cenſetur, excrementum eſſe concoctionis tertiæ fuliginoſum, ex viliori & ignobiliori humorum naturalium parte ortum habens. Solet enim Natura id, quod maximè alimentoſum eſt, & optimum, reſpectu corporis nutriendi, in partium nobilium formationem & nutritionem abſumere, ex reliquo, quod nobilioribus partibus alendis non idoneum eſt, ignobiliores partes formare & nutrire: cauſa efficiens habetur calor moderatus, fuliginoſos iſtos vapores exſiccans, & foras in poros cutis protrudens. Sed huic contrarium ſentit Sennertus lib. 3. Inſtit. medic. part. 1. ſect. 2. cap. 3. ſtatuens cauſam principem generationis pilorum eſſe facultatem formatricem, quam Creator omnipotens pro ſua ſapientia certis corporis partibus indidit, & ei (facultati formatrici) in iis (partibus) inſtrumenta indidit, ut ex conveniente materia pilos generet, quæ etiam ut miniſtra, ſicuti in aliis partibus aliarumque partium formatione, ſecundùm DEI præſcribentis & jubentis imperium, exequitur, & ad uſum ac ornatum earum partium, quibus competant, producit. Pili præterea pro temperie corporis, ac humoris prædominatu, locique aptitudine in diverſis copioſi vel pauciores, denſi vel rariores, longi vel breviores, duri vel molles proveniunt. Et ab Anatomicis vulgò dividuntur in congenitos & poſtgenitos. Illi in utero materno nobiſcum naſcuntur, ac ſunt triplices, capitis, ſuperciliorum & palpebrarum; hi extra uterum in homine naſcuntur, quando ad juſtam provenit ætatem, ſuntque pili in pudendis, intra nares aureſque, ſub alis, ac in mento virili, rarò in corde & utero. Defectus autem barbæ vel pilorum in fœminis cauſa eſt corporis temperies frigidior aut humidior; aut quia menſtruus fluxus materiam pilorum barbæ abſumit, unde interdum menſtrui curſu ſubſiſtente pili quibusdam fœminis in mento prodeunt, & barbatæ fiunt; vel

vel in vetulis calidioris temperamenti, quibus dum menſtruus fluxus maturè deſiit; aut ex morbo aliquæ barbatæ evadunt; aut ex generatione monſtroſa, dum parentum imaginatio, ſpectro ſcilicet ſeu objecto ejusmodi barbato viſo, phantaſiæ altè impingit, & indè ſpiritibus, quicunque in ſemine fœtum organizaturo comperiuntur, imprimit, atque animæ ſeminis virtutique formatrici communicat, ſiquidem talis imago facilè corpuſculo fœtus imprimi poterit, quemadmodum acutè diſſerit Fortunius Licetus lib. 2. de monſtr. cap. 57. & ad genus monſtri multiformis in eadem ſpecie annumerat. Meminit Bartholinus centur. 3. epiſtol. medic. 94. fœminæ ex Hallandia barbatæ, pilis nigris, ſed hermaphroditæ, quæ menſtruo deſtituto circa novilunium ſemper ſe malè habuerit. Idemque recordatur in eadem epiſtola vetulæ ſeptuaginta annorum tam prolixè barbatæ. Hippocrates lib. 6. epidem. ſect. 8. recenſet binas mulieres, unam Phaëtuſam, uxorem Pythei, & alteram Namyſiam, uxorem Gorgippi, barbatas fuiſſe ob menſtrui ſanguinis ſuppreſſionem; quod & Ariſtoteles de Mulieribus ſacris in Caria atteſtatus fuerat; Riolanus refert lib. 6. anthropograph. c. 52. de puella in Gynecæo Archiduciſſæ Auſtriacæ Græcii in Styria, triginta annorum, quæ à teneris añis ante menſium eruptionem barbam inſtar viri prolixam, cum myſtacibus geſtârit; ac puellæ non abſimilis in Belgio, totoque corpore hirſutæ meminit Bartholinus lib. 3. Anatom. reform. cap. 3. Dixi ſuperiùs, mulierum pilos in mento etiam ex morbo originem habere poſſe, quod fit, cum fuligines vaporoſæ, quæ ex lochiis & purgamentis uteri poſt partum retardatis, & ab aduſtione ac putredine malignitatem quandam adipiſcentibus ortum habent, caput petentes inſaniam & phreneſin cauſant, craſſior verò earum portio à calore præternaturali ad cutis poros protruditur, ac in pilorum materiam degenerat; quod non ineptè quoque de noſtra barbata Noribergenſi conjecturare licet.

BArba ut Antiquis ſumma ſemper in veneratione habita, viriliſque faciei ornamentum habetur, [quòd enim Joh. Bapt. Helmontius, cùm de mortis introductione in naturam humanam diſſereret, tract. Demonſtratur theſis §. 35. &c. turpitudinis potiùs larvam, fractæque verecundiæ & caſtitatis ſignum adpellet, rectiùs imaginationis inter ludibria referemus,] ita menti in mulieribus glabrities pulchritudini earum dat complementum, adeo ut, barba ſi ſuccreſcat, non alio, quàm raritatis & naturæ exorbitantis nomine commendentur. Licet verò piloſa illa in maxillis excreſcentia variis à cauſis oriri queat, inprimis tamen menſtruorum ſuppreſſio communior cauſa adduci ſolet. Cæterùm pilis Natura cutem ubique inſtruit, ipſam etiam feminarum, quamvis læviſſimam, hirtam reddit & horridam; inque poris ubique ferè pilos microſcopii ope deprehendi, ex Borello Sachſius noſter Ann. I. Ephem. Cur. Germ. obſ. 13. monuit; quin & nudis oculis muliebre mentum luſtratum, pilis lanuginoſis per naturam conſitum adparet; ut ideo, materiâ idoneâ in radices minutulorum iſtorum receptâ, majorem in molem tantò faciliùs excreſcere queant. Præter exempla autem femellarum barbatarum, in Scholio ab Auctore adducta, ſimilia alibi etiam paſſim occurrunt: veluti apud Th. Bartholinum cent. 1. hiſt. anat. 42. cent. 3. hiſt. 38. cent. 2. epiſt. med. 83. cent. 4. epiſt. 92. 93. Georg. Hieron. Welſchium obſervat. medic. epiſagm. 96. Joh. Rhodium cent. 3. obſ. med. 40. Joh. Ant. Lindanum Medic. phyſiolog. pag. 553. Joh. Riolanum lib. de pilis, Enchiridio Anatom. pathol. addito, Gregor. Horſtium lib. 1. de nat. hum. exerc. 3. quæſt. 7. Petr. Borellum cent. 1. obſ. 10. Johann. Fabrum expoſition. in Nard. Ant. Recchi hiſt. animal. Mexican. pag. 763. & 764. Dominic. Panarolum pent. 5. obſ. med. 5. Job. Mekeranum append. obſervat. cap. 1. Harsdörfe-

dörferum Theatr. Comic. cent. 1. hiſt. 68. Caſp. à Rejes Elyſ. jucund. quæſt. camp. quæſt. 57. aliosque. Legi inprimis meretur Diſputatio Medica inauguralis Exc. D.D. Jacob. Bürlini, Medici quondam Norici, de Fœminis ex ſuppreſſione menſium barbatis, præter multa alia huc ſpectantia, curationem etiam iſtarum exponens.

OBSERV. XXXV.

Nævi fragiformes in capite.

Ego ab infantia huc usque in capillitii parte ſiniſtra nævos ſeu notas gero trium fragorum, quæ quotannis menſe Martio, quando fragaria floreſcere ſolet, rubeſcere quoque incipiunt, poſtmodum paulatim ſe attollunt usque ad Junium, fragorum fructus repræſentantes, cum leni pruritu, denique in granula parva alba degenerantia ſpontè decidunt, cutis ſpatio glabro, & ſine pilis manente. Et cùm adoleſcens ſcabie fœdâ corriperer, cutis capitis inſigniter intumeſcebat, atque circa illud nævi ſpatium cutis portio fixa & depreſſa permanebat, cætera cutis divellebatur, cum effluxu humoris ſeroſi fœtidi, usque dum tumor ſpontè ſubſederit; indè nævum hunc à natura per cutem & capillitium oſſi bregmati altè infixum eſſe, conjicio. Ortum autem ſuum habere, è matre ipſamet ſæpius audieram, ex imaginatione, cùm ipſi gravidæ fraga in foro avidè ſpectanti illorum comeſtio negaretur. Ex obſerv. propr.

SCHOLION HELLWIGIANUM.

NÆvi ſunt notæ maternæ infantium, & quidem coloris & figuræ diverſæ, à gravidis, geſtationis tempore, ſive per intenſiorem rei præſentis vel denegatæ avidum aſpectum & imaginationem facultati formatrici communicatæ, ſive per terrorem ſubitaneum nunc in hac, nunc in alia corporis parte contractæ, ut diſſertè aſſerunt Sennertus lib. 4. prax. med. part. 2. ſect. 4. cap. 7. & Licetus lib. 2. de monſtr. cap. 56. Etſi difficulter

ter ejusmodi nævi aboleantur, & obſcurari interdum videantur, plerumque tamen recrudeſcere ſolent; nihilominus verò apud Practicos & mulieres [quid hominum curioſa ſagacitas non audet?] varia remedia inveniuntur, quorum ſucceſſum, ſed in recens natis, experiri licebit; in adultis labor fruſtra ſuſcipitur. Obſervavi in fratris mei uterini brachio ſiniſtro nævum, figurâ, magnitudine, ac colore prunum Damaſcenum: in gena Virginis cujusdam dextra nævum fruſtum lardi ſimulantem. Reminiſcor, fœminam aliam, ſicuti ex fide dignis audivi, nævum vel maculam muri domeſtico aſſimilem in hypogaſtrio geſſiſſe. Cognovi quoque aliam veſtigia quinque digitorum manus expanſæ, colore ſanguinea in vultu repræſentaſſe, quòd mater gravida feli, caudâ præciſâ, ſanguinolentæ improvisè occurrerat, atque perterrita vultum manu expansâ obtexerat.

ADDITAMENTUM SCHRÖCKII.

Variæ ſunt nævorum maternorum, diverſas corporis partes occupantium figuræ, quas inter inprimis, fraga qui repræſentant, ſatis frequenter occurrunt. Aliàs etiam ceraſorum, piſorum, ribaſiorum, foliorum, avellanarum, muris piloſi effigies Welſchius noſter obſerv. 38. Miſcell. Carioſ. Ann. III. memorat, atque M. T. Ciceroni nomen cicer ſiniſtro ſub oculo conſpicuum dediſſe, explicat. Rapiformem proponit Nicol. Tulpius lib. 3. obſerv. med. cap. 30. Pomiformem Phil. Jac. Sachſius Ann. II. dict. Miſcell. obſ. 61. Mali Punici figurâ Dom. Panarolus pent. 1. obſ. 12. Capitis vitulini & braſſicæ capitatæ Nob. D. Georg. Sebaſt. Jungius Ann. I. Miſc. Cur. obſ. 135. Pruni Guil. Fabricius Hildanus cent. 5. obſerv. chir. 46. Mori Digbæus Orat. de pulv. ſympath. Roſæ Caſp. à Rejes Elyſ. jucund. quæſt. camp. quæſt. 50. §. 36. Mori, lentium, uvæ, ſoleæ marinæ, & tulipæ Petr. Borellus cent. 3. hiſt. med. 49. Piſcis Gaffarellus rer. inaudit. part. 2. cap. 5. Simiæ Phil. Salmuthus cent. 2. obſ. med.

16. & Thom. Fienus quæſt. 13. lib. de virib. imagin. Gliris, mororum & muris &c. Martin. Schoockius diſquiſ. phyſ. de ſignatur. fœtus, theſ. 5. & 6. Muris Exc. D. Georg. Segerus Ann. III. dd. Miſc. obſ. 197. Jo. Valent. Willius Volum. 3. Act. med. Hafn. obſ. 83. qualibus etiam duos fœtus, duplici partu editos, feminam in vicinia noſtra, improviſo murium conſpectu, cùm eſſet gravida, perterrefactam ſignâſſe, ſcio. Cerebrum colore & anfractibus exprimentem Fel. Platerus lib. 3. obſervat. Infames virgarum ictus in dorſo referentes Salmuthus l. c. obſ. 14. & plures ſimilesque alii prodiderunt. Utrum verò ſtigmata illa innocenti fœtui, præter intentionem & voluntatem matris impreſſa, deformitate, variisque ſæpe modis moleſta, ideoque non uno nomine opem medicam poſtulantia, aboleri, arteque curari queant? varia Medicorum deciſio eſſe ſolet. Plurimi ſanè id negant, ipſius fruſtraneæ, quin & infelicis curæ exemplis permoti. Quæ licet ita ſe habeant, cùm tamen alia tot è contrario proſtent, feliciter impetratæ ſanationis veritatem confirmantia, rectiùs omninò medelam iisdem conducere concluditur; quamvis, ut plurimis aliis humani corporis adfectibus, per pharmaca & chirurgiam tollendis, accidit, ſperatus non ſemper eventus impetretur, atque vel morbi vehementia & natura, vel præpoſtera remediorum adplicatio eundem pervertat; qua ratione abuſum talem genuino uſui nil quidquam derogare poſſe, nemo ſanus refragabitur. Variè autem, tum pro varia cujusque medentis intentione, tum nævi ipſius conditione cura inſtitui ſolet. Sic macularum tantùm ſub larva quæ ſe oſtentant, mitiorum remediorum uſui cedunt, in altiorem autem molem quæ ſe à cute attollunt, ipſum etiam ferrum ac ignem depoſcunt. Unde in B. Sachſii ſcholio ad Ann. I. cit. Eph. obſ. 135. Petrus à Caſtro ſanguineam in facie puellæ maculam, ex materna, ob viſum fratrem ſauciatum & cruore perfuſum, conſternatione obortam,

fuiſſe

fuiſſe curatam refert, cùm puer poſthumus in infantem per triduum, tempore matutino, anhelitum tacens efflâſſet; id quod nugarum & ſuperſtitionis aliquid licet involvat, dum poſthumi pueri inſufflatio, ejusque tacentis (quamvis loqui & anhelitum ſimul efflare nemo facilè queat) exprimitur; omnem tamen fidem ei haud derogabimus, inprimis ubi mumiale quid in ſani, vegeti ac jejuni hominis anhelitu agnoſcere velimus; qua ratione magnam ei efficaciam, in morbis etiam incurabilibus, nonnulli tribuunt, parvi tamen ab Ill. Rolfincio Chim. in art. form. redact. lib. 3. ſect. 1. art. 1. cap. 7. æſtimatam. Id licet ita ſeſe habeat, non nudum tamen & ſimplicem eſſe vaporem, ſi ortus ejus perpendatur, ſed ſubtilioribus è maſſa ſanguinea exſpirantibus atomis prægnantem, nemo fortè diffiteri queat. Hinc ipſi non minùs, quàm ſalivæ vim ineſſe fermentantem, Exc. D. Chriſtian. Frider. Garmannus in Celeb. D.D. Joh. Dan. Majoris Chirurg. infuſ. pag. 94. demonſtrat; atque eundem ſale ac ſulphure conſtare Nob. D. Ol. Borrichius in Bartholiniana diatrib. de pulmon. pag. 41. adſerit; ut ideo varias in corpore mutationes excitare eum poſſe, facilè exin colligere liceat. Quid caryophyllata valeat, experientia edoceat neceſſe eſt, quam in delendis maculis iſtis principatum habere, vimq; ejus mirabilem eſſe, ſi aqua exin deſtillata lavandis maculis ſæpius adhibeatur, præter alios, Jul. Cæſ. Baricellus in Hortul. genial. pag. 266. teſtatur. *Experientiâ*, ſcribit Samuel Hafenrefferus lib. 1. de cutis adfect. cap. 6. *compertum habemus, calentibus adhuc ſecundinis deterſos hoſce nævos quandoq; diſparuiſſe: nec caret hoc ratione: is enim ſanguis, ex quo formatus fœtus, eundē etiã repurgare valens eſt; majoris efficaciæ dicitur, quando deterſio fit clandeſtina, ſine quæſtione, cur fiat,* ohn beſchrihen/ *cujus cauſam aliis indagandam relinquo. Rubri ſi fuerint, & in tubercula elati, non modò ſecundinâ abſtergendi, ſed etiam litu frequenti ſanguinis menſtrui utendum.* Verùm neque ratio

tio iſta ſufficiens eſt, quæ calori potiùs ſecundinæ, inque ea contenti cruoris & ſuperſtitum ſpirituum virtuti, humorem vel ſanguinem illum in cute hærentem rarefacienti & diſcutienti, præcipuè ſi confidentia in remedium illud firmior in adultioribus accedat, ſicque imaginatio macularum effectrix, earundem etiam auxiliatrix evadat, adſcribenda videtur; neque clandeſtinæ deterſionis ulla neceſſitas eſſe poteſt, quam rectiùs frivolam, & anilis delirii figmentum cenſebimus, adeoque cauſæ indagatione nequidquam opus habebimus; niſi fortè quatenus ceremoniæ illæ ad confidentiam majorem in ſimplicium & imperitorum mente conciliandam conferre quid poſſent. Alii cruentarum ſecundinarum loco, aliorum etiam animalium calente ſanguine utuntur; quod de anſerino & columbino, mulierculis Hafnienſibus uſitato D. Bartholinus pag. 13. diſquiſit. de ſanguine vetito memorat. Hoc tamen remedii genus non ſemper tutum eſſe, hiſtoria ab Exc. Segero l. c. adducta evincit, fruſtra non tantùm ſiniſtræ manûs dorſo rutilo ſanguinem ſecundinæ illitum, ſed & inflammationem, non ſine multo labore & induſtria curatam, fuiſſe ſubſecutam, monſtrans. Ab adplicito etiam circa carpum barbonis ſanguine calente actutùm exulcerationem ortam Exc. Collega, D. D. Paul. Ammannus lib. 1. part. 2. ſect. 1. §. 38. Parænef. Inſtit. Med. oſtendit. Et talia à ſanguine, diverſis tamen humoribus permixto, varioque idcirco colore, rubro, livido &c. cutem tingente, atque fermenti inſtar ſeſe habente, provenire credibile eſt; ita ut à calidiori illo exteriùs adveniente, & improportionato cruore excitatus, ſanguinem reliquum in dorſo manus, ob venarum & arteriarum ibi occurrentium multitudinem, copioſiorem, nec non in carpi exſtantiori illa arteria ſpirituoſiorem ac fervidiorem, in orgaſmum majorem concitet, hacque ratione inflammationem inducat, vel etiam corrumpat. Joh. Bapt. Helmontius lentâ morte defuncti

hominis manum nævos tollere, docet tract. Demens Idea §. 46. tamdiu nempe admotam, donec frigus partem maculatam intimè penetraverit; id quod tract. Tumul. peſt. repetens, non tam frigori, quàm neſcio cui cadaveris, quam fingit, ſenſationi adſcribit. Clar. autem Sebaſt. Wirdigius lib. 1. Medic. ſpirit. cap. 10. §. 10. ſpiritibus frigidis in cadavere ſubſiſtentibus idem adjudicat, qui, prout in moribundis facultatem habuerint, ſpiritus vitales è corpore ejiciendi, ita eandem poſt mortem retineant, corporis ſcilicet alterius cujusdam vivi ſpiritus calidos fugandi, necandi, malitiam & invidiam exſtinguendi; & lib. 2. cap. 6. §. 3. ſpiritibus vitalibus ea, quæ in mollitie, temperie, & aliis qualitatibus diſconveniant, qualia ſint frigida &c. inimiciſſima eſſe docens, hac quoque ratione, ſudore morientis frigido illitas omnes maculas maternas, & quasvis excreſcentias curari determinat. Caeteriorum alii uſum commodum experti fuêre, ut virgo illa à Digbæo memorata; & puella à Platero, potentiali ejus indolenti cauterio curata; nec non puellus à Guil. Fabricio Hildano, quem lib. 5. obſervat. chirurg. 46. refert, ſanatus. Piloſum muris inſtar ſtigma ſubtiliſſimâ aquæ regiæ inunctione ablatum recenſet prælaudatus Segerus. Quò etiam variolas referemus, quas, ſi in ſuperficie tantùm cutis extimæ hæreant nævi, eosdem tollere poſſe, Wolfgang. Höferus lib. 7. Hercul. med. cap. 6. ſcribit. Spectat huc etiam tuberculum in capite exulceratum, quod ſuppuratione curatum exponit Gregor. Horſtius apud Hildanum l. c. obſ. 47. Ligaturis, ſi in tumorem pediculo quaſi innixum extuberent, auferri poſſe, pomiformis nævus ex mala infantuli dependens, apud Marcum Marci lib. 1. Idéar. operatr. cap. 4. oſtendit. Quas tamen, ob inflammationis & gangrænæ metum diſſuadet Höferus, ferrumque præſtare judicat, & hac ratione peractis feliciter curis confirmat. Non minùs ſectione optimè tolli, judicio & experientiâ Patrui ſui, D. Willius l. c. comprobat.

probat. Tuberculum labii ſuperioris exciſum refert Bartholinus Vol. 1. Act. Med. Hafn. obſ. 31. In medio naſi & in fronte feliciter reſecuit Hildanus; in ſuperiori labio Henr. Roonhuſius hiſtor. chirurg. lib. 1. part. 1. obſ. 19. Excreſcentiam carneam in utroque annulari, cultro tonſorio ab obſtetrice abſciſſam deſcribit Exc. D. Chriſtoph. Seligerus Ann. VIII. Miſc. Cur. obſ. 55. Quanquam magnâ in hoc negotio cautione opus eſſe, Bartholini auctoritas perſuadeat, qui tuberculum in oſſis ſacri regione, infanti ex materno errore connatum, exſcindere auſus non fuit, tum propter vaſtam molem, tum ob conjunctum oſſis ſacri abſceſſum, qui cum nervis alebat commercium, vid. cent. 3. epiſt. 40. Infelicem etiam tumoris lumbaris ligaturam & ablationem Tulpius notavit. Et in excreſcentiarum ſimilium exſciſſione diligenter proſpiciendum eſſe, Hildanus monet, ut cum radice & totaliter exſtirpentur, ne, quod fieri ſoleat, recreſcant.

OBSERV. XXXVI.

Talpæ in capite.

Talpæ ſunt tubercula propriis ſuis folliculis incluſa, & ſub capitis cute excreſcentia, quorum tria magnitudine amygdalorum, ſeu nuclei dactylorum, A. 1653. cuidam per chirurgum exſcindi curaveram, pauco ſanguinis profluvio, & bono cum ſucceſſu, ſine dilaceratu. Sub praxi propr.

Iterum poſtea A. 1664. alteri duo ejusmodi tubercula in juglandis magnitudine, & quatuor alia avellanas Ponticas adæquantia, uno & eodem die per manus Benedicti Widemanni, chirurgi & lithotomi Auguſtani eximi curavi, quorum verò folliculi ſub operatione lacerabantur, conſequente ſanguinis effluvio ſatis largo, nunquam tamen recreverunt. Sub praxi propr.

TAlpæ ſunt affectus ſeu tumores parvi cuti capitis proprii, ac quòd hinc indè ſub cute ſcrobium talparum in pratis inſtar elati videntur, à recentioribus Medicis nomen illis hoc inditum, quum apud antiquos horum affectuum neque nomen, neque tractationem invenerint. Referuntur autem hi affectus ab Antonio Saporta lib. 5. de tumorib. p. n. cap. 6. & 8. non inconcinnè ad genus abſceſſuum pituitoſorum, & quidem in ſpecie ad atheromata, licet alii ad melicerides numerent. Sunt etenim talpæ tumores, ſecundùm Peccetii ſententiam lib. 1. oper. chirurg. cap. 26. ex impuris humoribus inter cutem & cranium putreſcentibus ortum habentes. Nobis libuit hanc definitionem adſcribere: Talpas eſſe capitis tumores pituitoſos, molles, ſatis magnos, rotundos, vel ovalis formæ, doloris & coloris plerumque expertes, in quibus pinguis materia pultis farinaceæ inſtar, per viam ſynathriſmi ſeu coacervationis, parvulo incipiens, paulatim increſcit, & tunicâ ſuâ propriâ incluſa continetur, & calvariæ interdum ita inhæret, ut ipſam ſæpius vitiet. Ejusmodi autem tumores ſunt vel ſimplices, vel compoſiti; hi cum ulcere & cranii corroſione, & quidem periculoſi; iſti ſine ulcere & cranii corroſione, ac minùs periculoſi, facilesque curatu, de quibus ſolis hic ſermo noſter. Eorumque curatio expeditiùs fieri cenſetur manuali operâ, licet alii aliter velint. Præmiſſis igitur univerſalibus, chirurgus in arte ſua probè exercitatus, quando tumor ſuſpenſus, & ad quemlibet motum expoſitus videtur, ſuſpensâ manu cutem capitis ſcalpello conveniente, ne tunicam intus latentem attingat, myrti folii figurâ incidat, quem modum quoque M. A. Severinus in tract. Chirurg. efficac. valdè laudat, neque hanc, materiam humoralem continentem, dilaceret, ſed cum ſcalpello eam à ſubjectis partibus lentè ſeparet, ſicque totus folliculus ſeu tunica illæſa cum materia humorali auferatur. Nam-

Namque cùm diſciſſæ tunicæ portio minima remaneret, difficulter excoriari, curarive poterit, ac folliculus vel tunica hæc recreſceret, ideoque reliquiæ cathæreticis priùs abſumendæ, & demum ſanguinem ſiſtentibus atq; agglutinantibus curatio abſolvenda; ſin autem tumores hi altiùs inſerti, & immobiliores, malacticis & digerentibus remediis cura incipienda erit. De iſtarum talparum, quæ cum exulceratione ac cranii eroſione fiunt, curationis proceſſu conſule Practicorum & Chirurgorum libros, præſertim Dan. Sennertum Prax. med. lib. 5. part. 1. cap. 36. Anton. Saportam lib. 5. de tumor. p. n. cap. 9. Peccetium lib. 1. oper. chir. cap. 26.

ADDITAMENTUM SCHRÖCKII.

UTrùm Talpæ ſive Teſtudines (parva ſiquidem inter utrasq; imò juxta quosdam, nulla eſt differentia) curationem admittant, ſi ipſi cranio adhæreant, dubium exoritur. Cùm nonnulli, uti Lanfrancus & Guido, quos Joh. Schenckius lib. 1. obſervat. medic. adduxit, nimiùm meticuloſi, curationem earum adgredi recuſent. Quorum ille Chirurg. maj. tract. 3. doctr. 2. cap. 3. ſeptem tales in capite eminentias habenti viro, operam ſuam, eò quòd in cranio radicem figiſſe obſervaſſet, denegavit, eique, ne curandum ſe cuiquam committeret, conſuluit, cùm impoſſibile id ipſi viſum fuerit. Sed fruſtraneum hunc eſſe timorem, vel illa Borelli obſervatio, cent. 2. obſerv. phyſ. med. 57., cujus in Schol. ad obſ. 9. mentio facta fuit, evincit, feliciſſimo cum ſucceſſu, magnæ molis tumorem, quem teſtudinem fuiſſe, Auctor arbitratur, in occipite, oſſi parietali adhærentem, fuiſſe ablatum, indicans. Guido verò alium ulceratâ talpâ, cum oſſis corruptione laborantem, palliativâ tantùm curâ propoſitâ, dimiſit. Rectiùs tamen illi ſentiunt, qui cranii iſtam corruptionem quamcunque ab artifice Medico haud negligendam, ſed ubi parva illa fuerit, utique curandam eſſe, ſtatuunt; quamvis ma-

gna ac gravis ſi exſtiterit, prognoſtico potiùs & fucatâ curâ utendum, juxta moneant. Hinc eſt, quòd minùs ad votum ſucceſſerit tuberculi hujusmodi apud Amatum Luſitanum cent. 5. curat. medic. 8. in puero tentata exſtirpatio, utpote cui magna in cranio corroſio, unà cum meningum & ipſius cerebri ſubſtantiæ læſione, conjuncta fuerat.

OBSER. XXXVII.

Plica Polonica.

ANno Chriſti 1653. *cùm Ratisbonæ tempore Comitiorum Imperii variolæ graſſarentur, inter alios etiam juvenes duo, natione Poloni, fratres uterini, uno ſimul ferè tempore ægrotabant variolis, amboq; plicâ Polonicâ à juventute afficiebantur; Medicus quidam in curam accerſitus, in principio ſtatim præcepit majori natu, pro liberiori fuliginum febrilium transpiratione ac variolarum tranſitu, capillos omnes detondi, ſimul ac illos cirros, qui plicâ, uti communi nomine vocatur, Polonicâ infecti fuerant; quo facto, æger ſtatim ſanguinem ex capillitio fluentem ſenſit, & cum inſigni virium animalium & naturalium lapſu poſt paucos dies mortem obiit, non ſine magno fratris & nobiliſſimorum Parentum luctu. Medico igitur priore abdicato, mox in junioris fratris decumbentis curam accerſitus ego, omiſsâ & prohibitâ capillorum tonſurâ, feliciori eventu, ſimulque brevi tempore, auxiliante DEO, eam abſolveram, cum propinquorum applauſu.* Sub praxi propr.

SCHOLION HELLWIGIANUM.

PLica capillorum morbus eſt, Polonis quidem plerumque endemius, ac tam maribus, quàm fœminis, imò pueris etiam & infantibus familiaris, itemque in aliis regionibus, ut in Helvetia, Brisgoja, Alſatia, & Belgii parte ad Rhenum, ac in Hungaria cognitus, aſt non tam frequens. In Hungaria interdum anima-

lia

lia morbo hoc infeſtari, præſertim equos, teſtatur Sennertus lib. 5. prax. med. part. 3. ſect. 2. cap. 9. & Ducem quendam militum talem equum ex Hungaria Dresdam adduxiſſe, qui ejusmodi cirrum in collo usque ad pedes pendulum habuit. Eſt autem Plica affectus capillorum gravis, malignus & periculoſus, cum unius & alterius, vel plurium capillitii cirrorum arctâ & indiſſolubili implicatione & agglutinatione ſeu inviſcatione, uti Fonſeca loquitur, à vapore inſenſibili tenuioris & unctuoſæ ſanguinis portione, vitioſo, pilis imbibito, ortum habente, causâ primariâ in aëre auſtrino & humido, cibis crudis & mali ſucci, atq; aquis corruptis aut mineralibus exiſtente. Nam cùm pili verè ſint partes corporis, & nutriri debeant alimento ſuo, ut quælibet pars corporis, familiari & determinato, quod in pilis eſt ſanguinis portio tenuis, vaporoſa, & unctuoſa, attamen humor hic ſæpius ob loci & aëris genium, atque alimenti aſſumpti intemperiem, quùm humores plerumque aſſumptorum naturam obtinent, aut ob concoctricis facultatis errorem ſeu impedimentum, malignitatem aliquam adſciſcit, & putreſcere incipit, & tunc evaporationes tales ſubſequuntur, quæ in capillis & aliis corporis partibus diverſa & varia ſymptomata gravia cauſant, ſicuti in ſcorbuticis videmus, & talia ſæpius in infantibus à parentibus per generationem transplantantur, ſicque malum hoc utplurimum, præſertim in Polonia hæreditarium fit. Morbum autem hunc Sennertus innuit non tam novum eſſe, veluti Poloni putârunt, licet Rodericus Fonſeca & Hercules Saxonia ex authoritate Johannis Stadleri, Medici, ſcribant, vix ante annum Chriſti 1564. in Italia & Germania, plerisque Europæ provinciis ad noſtra usque tempora notum fuiſſe, ſed cùm cauſæ eædem, quæ morbum hunc conſtituunt, multis retrò ſeculis quoque adeſſe potuerint, Medici verò, qui eum deſcriberent, & iſte rariùs occurreret, vel penitus neglexerunt, vel defuerunt. Præterea morbus hic non

eſt

eſt planè criticus, ut multi volunt, nec planè ſymptomaticus,ſed partim criticus,partim ſymptomaticus,ut eleganter diſſerit Fonſeca Conſil. ſuor. conſult. 1. de Plica. Non planè criticus,quia natura expurgando corporis profunditatem, partem ſaltem humoris peccantis ad capillos capitis & cutem, tanquam ad partes ignobiliores mittit,ſed non cum tolerantia & conferentia,ac potiùs cum gravium ſymptomatum anteceſſu, quod malignorum affectuum proprium eſt, remanente in corpore reliquo magna ex parte humore peccante; inſuper natura quoque per evacuationem morbum hunc ob humoris multitudinem, lentorem, & viſciditatem,judicare non potis eſt. Nec planè ſymptomaticus eſt morbus hic, quia transpoſitio hæc humoris maligni ad partes ignobiliores, mitigat ſaltem ad tempus ſymptomata præcedentia, & prohibet quodammodo futura mala, quando abſoluta fuerit pilorum implicatio. Præſciſſionem verò capillorum in ſic affectis intempeſtivam cum ſanguinis fluore periculoſam eſſe, ratio & experientia evincunt. Ratio: quia hoc modo, vel intempeſtivâ curâ quâdam tentatâ, tenuis iſta ſanguinis portio unctuoſa, quæ capillorum hactenus alimentum fuerat,impeditur, & non attracta, cũ nitroſa ſua & maligna qualitate repellitur,& materia reliqua in cerebro irritatur ac commovetur,fluxiones oculorum & cœcitatem producens, ſimulque maligni vapores, quos natura procurabat, temporis ſucceſſu, per capillos educere, retruſi per membra ad articulos, perioſtia, muſculorum nervos & tendines diſcurrunt, atque dolores acerrimos, arthriticas convulſiones, artuum torſiones, cardialgiam, laſſitudinem,cum virium proſtratu & vitæ periculo excitant: quod & experientia in prædicto juvene nobili, ac multis aliis docuit. Hercules Saxonia non dubitat, malum hoc etiam per veneficium inferri poſſe, idque ex obſervat. Johannis Schenckii, ex relatione Chriſtoph. Rumbaum probat, quod in Pocutio, Poloniæ provincia, ſtrigæ,

ac hujus ſortis mulieres ſolâ curatione ſuperſtitioſâ illud facillimè & breviſſimè curent. Cætero tametſi Hercules Saxonia, Johannes Prævotius, Fonſeca, & Sennertus multa remedia, tum præſervandi, tum curandi causâ, propoſuerint, nulla interea certa & appropriata medicinalia & alexiteria hujus morbi, ob vim ſuam malignam & occultam hactenus inventa ſunt, quæ illum perfectè ſanare, vel penitus exſtirpare quiverint, quod & de ſubditis ſuis generoſus Comes Nicolaus Sapieha ſcribit, qui licet multò majorem notitiam & experientiam de plicæ origine, progreſſu, & curatione, quàm alii, qui de affectu hoc ſcripſerunt, haberet, nulli verò contigiſſe, quod ægrum perfectæ ſanitati reſtituerit. Optimum igitur erit, curationem hujus mali non tentare, ſiquidem generoſis auxiliis magis irritetur, & citò occidat, ſed abſolutionem naturæ relinquere, quum, experientiâ teſte, multi ſine ulla evacuatione & præſciſſione, naturæ ope duntaxat ſanati fuêre. Cognovi ego quendam Vice-præfectum Oppiduli Neuſtädlein in Bavaria, virum temperamenti cacochectici, obeſi corporis, & vultus pallidi, qui cirrum denſum, longum à cervice ad lumbos usque pendulum, ac mirè implicatum & inviſcatum, in cervice gerebat, qui quidem aliquoties ob ſpurcitiem, credo, copioſam & fœtidam, tanquam diffractus ad tertiam penè partem in extremitate ſponte deſilivit, ſed tunc uno alterove ſymptomate gravi vir iſte moleſtabatur, usque cirrus ad priorem menſuram procreſceret. Vidi etiam Sacrificulum ſenem in arce quadam Epiſcopali Ratisbonenſi, quæ cum ſubjacente oppidulo vulgò Wörd vocatur, ſub libera cuſtodia, ſed effrenatæ mentis, cum capillis ad humeros usque pendulis, & barbâ latâ, longè usque ad crura promiſsâ, pilis utrobique impexis & mirè implicatis, opinor, ex incuria & ſpurcitie, horridis, quia nullam aliàs affectionem, Plicæ conſuetam, inde ſentiebat, in veſtitu ſqualido deambulantem, & in tali ſtatu per plures annos vivebat.

DE hoc adfectu, noſtris in terris, per DEI gratiam, ignoto, quidquam addere ſupervacuum eſſet, poſtquam ejusdem naturam atque curationem, propriâ aliorumque experientiâ inſtructus, Nobiliſſ. Dn. Simon Scholzius, Phyſicus Thorunienſis, & Sacr. Reg. Maj. Poloniæ Medicus celeberrimus, in Anno VI. Ephem. German. Curioſ. obſ. 138. ſub titulo: Plica explicata, diffusè docteque expoſuit.

OBSER. XXXIIX.

Herpes miliaris in capite.

Puellus ſeptennis, temperamenti calidi & humidi, corpore gracilis, geſtu agilis, facie ac ingenio liberalis, bimeſtris quondam infans variolis laboraverat, exactis illis, achores ſubſecuti per ſeptimanas aliquot puelli caput afflixerant, poſthinc ille usq; modò nullo ferè morbo infeſtatus fuit. Aſt Annno Chr. 1672. Ratisbonæ ſub fine Octobris incipiebat queritari de pruritu ſub capillitio, ac brevi momento poſt fricationem & lavationem capillorum ſenſit levem & obtuſum dolorem capitis, quem mox inſequebantur in vertice ad ſpatium circiter ſemithaleri puſtulæ albidæ parvæ, milii ſeminis magnitudine, ſine omni ferè humiditate, ſiccæ, cum paucula, & vix ſenſibili intumeſcentia, ſed quùm malo interea nullum remedium adhibebatur, quòd pro levi ac puerili affectu haberetur, temporis progreſſu in tantum ad auctum fuit, ut à dicto verticis ſpatio, ubi mali radix certè latuit, ſe dilatans majorem partem capillitii, veluti Ophiaſis, ſerpentum more perſerperet. Poſt iteratam capillorum lotionem puſtulæ iſtæ ſiccatæ granulorum inſtar decidebant, locus rubeſcebat cum pauco ſubtus calore, ſine omni tamen dolore, & triduo poſt granuloſa illa exanthemata ſemper redierunt, citra omnem aliam corporis internam vel externam affectionem, & iſthuc ubi malum ſerpſit, pili, qui aliàs coloris ſpadi-

ſpadicei, parùm albeſcentes, tanquam ad radicem usque deſiliebant, atque locus quidem affectus conſpiciebatur planè ſanatus, malo tamen alia ſemper loca novo variatim curſu petente; puellus interim in ſuis actionibus vividis, juveniliter exultans, ac animo liberali degebat, præter nunc, cùm, neſcio, ex quorum intempeſtivo augurio, malum periculoſum & lethale fore percepiſſet, hoc nonnunquam animo revolvens, mœſtus incederet. Multi etenim putârunt ſub malo hoc gravius quid latere, metuentes, ne ſubtus cutem eroſiones ſimul cranii ſubſequantur, atque cerebri meninges ipſæmet, cum vitæ periculo exederentur. Præſertim cùm nobiliſſimi Parentes Anno 1671. *menſe Julio circa feſtum D. Jacobi filiam ætatis undecimo ac dimidio, morbillis tunc graviter decumbentem & demortuam habuiſſent, quæ per biennium ante hujusmodi capitis affectu, herpete ſcilicet, infeſtata fuerit, cùm priùs affectus hic poſt multas catarrhoſas fluxiones, & ingentem odontalgiam initium ſumſerit, tamen absque ulla ſuperioris capitis partis ſenſibilitate dolorifica, cæteriq; corporis ægritudine notabili, ut & Medicus loci ordinarius, cùm eam morbillis laborantem viſitabat, de hac capitis affectione, ejusq; prognoſi, ac curatione ſimul requiſitus, reſponderet, affectum hunc nihil periculi habere, levem & infantilem ſaltem morbum eſſe, itemq; facilè profligari, aut temporis progreſſu ſponte evaneſcere. Chirurgus verò quidam arte ſuâ & ſcientiâ non incelebris quoque accerſitus, inſpecto ac contrectato loco morbido, ſtatim præſagierat, puellam brevi morituram, referens, ſe talem ægrum aliquando vidiſſe, nec eum diu ſupervixiſſe. Quod & hîc factum; namque ægra ſub medio morbillorum affligentium ſtatu, ſemper alioquin hilaris pro more conſueto, & morbillos facilè ferens, ſubitò de inſigni cephalalgia quæritans, intra paucas horas mortem obierat, & poſt obitum ſpatium illud in vertice morboſum cum mollitie quadam denigratum & ſphacelatum erat inventum, itemq; per nares purulenta & fœtida materia profluxerat, non absque ſuſpicione ulceris ſub cranio latentis. Proinde Parentes eundem eventum in filio*

 metu-

metuentes, conſilium ac prognoſticum è me, diverſisq; aliis Medicis anxiè petierunt.

SCHOLION HELLWIGIANUM.

Herpes eſt affectio p. n. quæ & Serpigo dicitur à ſerpendo, quòd anguium more ſerpere videtur, & quòd unâ parte ſaneſcente, morbus in proxima parte ſerpit, ortum habens à bile flava excrementitia, ſincera, ſubtiliori, acri vel exurente, quæ ſenſim, nulloque fluxionis impetu è venis expurgata, tenuitate ſuâ omnes corporis partes, præcipuè carnoſas transgreditur, usq; denſiorem cutem attingat, in qua tandem decumbit, & detinetur, illamque denſitatem cutis exurit, (unde etiam inter inflammationis ſpecies refertur) & aliquando puſtulas milii ſemini ſimiles excitat, quæ aridæ, & ruptis pauca, vel nulla materia effluit. Galenus lib. de tumor. p. n. non inconcinnè cenſet, bilem hanc pituitæ quid admixtum habere. Herpetis autem ſpecies Peccetius lib. 1. oper. chirurg. cap. 15. cum Barth. Caſtello in Lexico med. dinumerat tres: primam, quæ ſolùm ſerpendo cutem ſuperficietenus ſaltem exurit, ac ſimplex dicitur; alteram miliarem à ſimilitudine, quia in cutis ſeu cuticulæ ſuperficie puſtulæ ſemini milii ſimiles excitantur: has duas, puto, ſecundùm magis & minùs tantùm inter ſe differre. Tertia herpetis ſpecies Græcis θηιώμενος, ſive fera dicitur, ex craſſiore bile orta, totam cutem exulcerare ſolet, ad ſuppoſitam carnem usque. Secundâ ſpecie, miliari ſcilicet, affectum fuiſſe puellum noſtrum, ocularis inſpectio teſtabatur: tertiam verò obſervavi infeſtâſſe Emin. Arch. S. G. C. de T. qui anno 1672. Ratisbonæ affectu hoc afflictus, & Medici convocati ob mali vehementiam & contumaciam valdè defatigabantur; fuerat iſte à natura temperamenti bilioſi, calidi, & ſicci. Videatur etiam de curatione hujus mali, cum aliis authoribus Antonius Saporta tract. de tumor. p. n. lib. 2. cap. 7. & 8.

ADDI-

ADDITAMENTUM SCHRÖCKII.

QUod Latinis Serpigo, à ſerpendo, id Græcis ἕρπης dicitur ab ἕρπειν, quod ſerpere itidem vel repere ipſis denotat. Licet diverſos ex duplici hoc nomine morbos quidam ſibi fingant, cujus ſpecimen videre eſt apud Guil. Ballonium lib. 2. conſil. medicin. 28. de diro herpete cum ſerpigine brachii ſiniſtri conſultantem. Hujus, ut Auctor etiam noſter monet, diverſæ ſunt ſpecies, quarum una miliaris, Græcis κεγχρώδης, i. e. milio ſimilis adpellatur, & communiter àolioſo humore, cum aliqua pituitæ parte commixto, ortum habere ſtatuitur; quam permixtionem in hoc præcipuè puelli herpete contigiſſe, dicendum erit, cùm doloris abſentia pituitam copioſam inſipidam bili conjunctam, ejusque acrimoniam, dolores excitaturam, temperantem abunde teſtetur. Serum autem ſanguinis hìc accuſandum ſæpius eſſe, arbitratur Paulus Barbette part. 2. chirurg. lib. 1. cap. 8. *ductus enim lymphæ*, inquiens, *malè conſtituti mutationes in corpore humano producunt, antea ignotas*. Et certè, paulò ſtrictiùs ſi naturam ſequi velimus, potiores hìc ſerum ludere partes, fateri neceſſum eſt, cujus acredinē à ſale in eo vitiato, & acore hoſtili imprægnato, dolorificum inducere ſenſum, nec non lentorem puſtularum generationi perquam adcommodum, nemo eſt qui negare queat; quod ſi ſal iſtud bilem, & ſerum craſſius pituitam, ad Veterum mentem quis nominet, idem dicturus eſt. Qua verò ratione lymphæductus mutationem hanc in corpore producere queant, paucis diſquirendum. Conſpectiora quidem vaſa illa ſeriflua, liquorem ſuum à circumferentia ad centrum vehentia, ſi quid hìc conferant, vix alio modo, quàm ubi obſtructionem patiuntur, quod vel ab ipſo ſero craſſiore fieri poſſet, id præſtabunt, ita ut lympha per meatus iſtos verſus cor reditura, in eos non recipiatur, & ſic reſtagnans ad cutis potiùs circumferentiam feratur. Iſtos tamen lymphæductus, ſive ſudoris vaſa excreto-

ria, quæ juxta cum glandulis denſiſſimè in cute eſſe conſita, ſuperiùs Schol. ad Obſerv. XXII. ex Williſio monui, excretioni huic morboſæ potiſſimùm inſervire, credibile eſt, non aliâ tamen ratione, quàm ut canales tantùm ſint, per quos ichor iſte præternaturalis, in glandulis ſeparatus, ad exteriorem cutis ambitum evacuari queat. Quæ quidem excretio modò univerſalis eſt, qualem adfectum, quem ad herpetem referunt, ex Hieron. Reuſnero Georg. Hier. Welſchius in Syllog. obſerv. num. 22. nec non Exc. D. D. Simon Schulzius Ephem. Germ. Cur. Ann. III. obſ. 5. deſcribunt; modò particularis, caput, ceu in præſenti Auctoris Caſu, artus ſuperiores, inferiores, aliasve partes occupans; *Sacer ignis fit maximè in pectore, aut lateribus, aut eminentibus partibus, præcipueq; in plantis*, ut habet Celſus lib. 5. de re med. cap. 28. Curationem non multum ab Eryſipelatis recedere, communiter judicant; in quo autem differant, à Galeno lib. 2. de arte cur. ad Glauc. cap. 2. docetur; Specialem ſi quis deſiderat, præter alios, ordine expoſitam inveniet apud Bald. Timæum caſ. medic. lib. 6. cap. 10. Conſilium etiam in herpete capitis apud Reun. Solenandrum occurrit lib. 2. conſil. 2. Externa inter præſidia ſaliva quoque hominis jejuni & ſani illita, à plurimis commendatur, qua multum ſæpe effici, Barbette teſtatur, & utiliſſimam vocat Cl. D. Frider. Hoffmannus Clav. pharm. Schröder. lib. 5. ſect. 1. §. 23. Scilicet, quod agnoſcit Exc. D.D. Otto Tachenius cap. 16. Hippocr. chim. latens in eo alcali, acido iſti morboſo contrarium, vim ipſius pungentem infringit atque abſorbet, vel ſi acidi quid, ut aliis placet, natura ejus unà continet, abſtergendo etiam utilitatem præſtare poteſt; velut ipſum rorem feneſtrarum, ex halitu humano concentrato collectum, ſerpiginibus, ratione ſalis in eo deliteſcentis, abſtergendo, mederi, Venerandus D. Simon Pauli παρεκϕ. de febb. malign. §. 43. auctor eſt. Unde etiam ſalivam tumores, ob ſubtilem ſuam & atte-

attenuantem naturam, diſcutere, Cornelius ab Hogelande not. ad hiſtor. œconom. animal. pag. 73. judicaverat.

OBSERV. XXXIX.

Phthiriaſis ſubitanea.

Cùm ego ſtudii medici gratiâ Patavii in Italia verſabar, contigit, ut, quoties nocturno tempore ſub Lunæ lumine per Brentæ, ſeu Medoaci fluminis canalem navigio vehebar, capilli capitis pediculis parvis & lentibus, ſeſamini ſeminis magnitudine, copiosè opplerentur, ſed ſub Solis exorientis calore, aut fricatu lintei calidi, ſtatim evaneſcerent; quod inſectum tamen, cùm per mare Liguſticum, Marſiliâ Genuam verſus Anno 1633. navigarem, me nec in veſtibus, nec in corpore, aut capillis unquam infeſtaverat, quod navigantibus aliàs non inconſuetum; imò cùm ſociorum quidam tentaret humeros meos lacernâ ſive pallio ſuo contegere, pediculi ſub lacerna latentes mox prorepſerint & aufugerint.

SCHOLION HELLWIGIANUM.

PHthiriaſis ſeu affectio pedicularis toti ferè corpori communis, omnem ſexum & ætatem infeſtans, præcipuè & frequẽtiùs puellos [namq́ue nec nobilium infantibus parcit] & mulieres, quia ejusmodi ætas & ſexus utrâque humiditate, naturali & excrementitiâ, præ aliis abundat, ac maximè in capite, qua parte pili gignuntur, de qua ſola hîc loquemur. De materia pediculorum diverſæ ſunt diverſorum Authorum ſententiæ, ut Hercul. Saxonia tract. de plica cap. 19. & Sennertus tract. de infant. cur. part. 2. cap. 5. annotârunt. Etenim Theophraſtus lib. 2. de cauſ. plant. vult eſſe ſanguinem corruptum & putreſcentem. Ariſtoteles ſtatuit lib. 5. de hiſtor. animalium cap. 31. ex carne cum multa humiditate gigni; per quam Marcellus Donatus dicit, Ariſtotelem intellexiſſe locum, & non materiam. Cui in hac ſen-

ſententia non refragatur Saxonia, in loco ſupra cit. ſcribens, Ariſtotelem per carnes intellexiſſe eas, quæ in corporis ambitu ſunt, in quibus cùm ſecundæ illæ reperiuntur humiditates, quas Avicenna aliàs rorem, gluten, & cambium vocavit, ex ea, quam cambium appellant, humori excrementitio permiſta pediculos fieri, Ariſtoteles exiſtimavit, idque affirmavit, quum non omne animal ex quacunque materia fit, ſed ex determinata determinatum, itaque pediculorum materiam eſſe aliquid calidi nativi in ſe continentem, & quidem lentum & pingue, ut ex eo quoq; animal lentum & pingue gigni poſſit. Per carnem autem Galenus lib. 5. de ſimpl. med. facil. paratu cap. 4. putat, Ariſtotelem intellexiſſe cutem, ſicuti Sennertus refert tract. de infant. curat. part. 2. cap. 5. Serapio dixit, materiam pediculorum eſſe ex humiditate calefacta. Alzaravius ex humore putrido. Haly Abbas ex humiditate groſſa. Avicenna lib. 4. fen. 7. tract. 3. c. 26. citante Heurnio tract. de morb. capit. in ſingul. partib. cap. 6. cui & Galenus lib. 1. de compoſ. medic. local. cap. 7. conſentit, pediculos generari ex excrementis calidis tertiæ coctionis putrefactis, non acribus, non pravis, ſed dulcibus, quem locum, & Mercurialis in tract. de morb. cutan. cap. 7. allegat. Petr. Foreſtus lib. 8. obſerv. med. cap. 14. docet, originem illorum eſſe ex vaporibus intercutaneis humidis, corruptis, per poros reſudantibus. Neotericos, Hercules Saxonia in cit. tr. memorat, cum Græcis & Arabibus velle, materiam pediculorum eſſe humorem excrementitium, & quidem præternaturalem, ita diſpoſitum, ut ſit moderatè calidus, actu verò & potentiâ humidus, inter craſſum & tenuem intermedius, & potiùs ad ichorem, quàm craſſum vergens, putreſcens, non tamen excellenti putredine, ſed miti & moderatâ. Hinc madidâ & calidâ intemperie gaudere pediculos, ſcripſit Joh. Heurnius tract. cit. Præterea inter alias pediculorum cauſas externas, ſunt cibi crudi, & mali ſucci,

ſpur-

ſpurcities, immunditíes, iterum docente Heurnio, Avicenna quoque dinumerat aërem frigidum, qui exhauſtionem materiæ excrementitiæ intercipit, ſi leptomeria ſeu cutis tenuitas adfuerit, quæ in ſe recrementa prolectat. Cauſam & modum generationis pediculorum Bernhard. Gordonius in Lilio Medicinæ partic. 2. cap. 9. eleganter depingit his verbis: Quando in corpore humores corrupti ſunt, quos natura omnino regere non poteſt, nec omnino emittit, tunc per cutem ad viam alicujus deſudationis propellit, & quia materia craſſa eſt, & juxta cutem, dum calor nativus agit, & deſiccat materiam illam, & generantur quædam pelliculæ, quibus includitur vapor cum aliquali calore, qui agit in materiam ebulliendo, trahens ad calorem humidum, hinc ſuſcipit illa ſpeciem vitæ, & generantur animalcula in capite, vel in toto corpore. Ex parte hujus materiæ magis humida procreantur pediculi, qui juxta Iſidorum lib. 12. origin. cap. 5. à pedibus nomen habent, ac notante Foreſto lib. 8. obſervat. medic. cap. 14. plus pedum motu lædunt cutem, quàm morſu. Ex parte magis ſicca lendes, à lædendo denominatæ. Ex parte verò media peſſolatæ vel plactulæ vulgò dictæ ortum habent, quæ plerumque pectini & ſub axillis adhærent. His omnibus conſideratis, facilè conjecturamur, ſuperiorem caſum non penitus ex cauſa aliqua interna originem habuiſſe, ſed magis externis attribuendum, cùm exhalationes humidæ tenues, putridæ aquarum canalis evaporationi naturali per deſudationis viam provenienti permixtæ, capillis adhæſerint, & à frigore nocturno congelatæ, ſubveniente calore corporis nativo, pediculi tunc ejusmodi ſubitanei oriuntur, qui tamen ob tenuitatem materiæ, & paucitatem caloris nativi & generantis, ab externo calore Solis aſtrali & aëreo, aut affricatu lintei calidi, facilè & citò rurſum diſſolvuntur ac diſpelluntur. Mare verò, præcipuè meridionale peragrantibus, & ſub tempeſtate ſerena, quum exhalationes

nes hujus maris ſunt liberiores atque puriores, & aura variorum ventorum flatu ventilatur & corrigitur, talis affectio rarò contingit, aut antipathiâ quadam ſingulari conſervantur.

ADDITAMENTUM SCHRÖCKII.

PHthiriaſis ut malum eſt fœdiſſimum atque moleſtiſſimum: ita & ſæpe luctuoſiſſimum. De fœditate, per ſe utpote cognitâ ut taceam, quam & natura vermium æmula, & ſordium, quibus inhærent animalcula iſta, putor adauget, tantæ abominationis, ut nec absque veniæ præfatione teneris auribus nominari debeant; nec de moleſtia ut quidquam addam, lancinationibus inprimis, non tantùm, quod Foreſto placuit, pedum motu, ſed & morſicatione, ſive, quod ex Hookiana Micrographia patet, ſuctione faſtidioſis, inductâ; luctuoſam eorum præſentiam multi experti fuerunt, adeo ut vitam ipſam lentâ morte commutare gemebundi fuerint coacti. Quâ non minùs ad Tartara deſcendiſſe Herodem Antipam (cujus mortem, mortisque cauſam Acta Apoſtolor. cap. 12. ℣. 23. manifeſtant,) ſunt qui exiſtimant. Nec dedecuiſſet, magnum illum faſtum, Divinæ Majeſtati ſummè exoſum, viliſſimo iſto mortis genere eradicari. Quamvis verminoſum potiùs obiiſſe Tyrannum hunc, alii judicent; quibus præſertim calculum addit Exc. D. D. Thom. Bartholinus cap. 23. de morb. Biblic. cùm τὸ σκλώρηξ vermem denotet, non pediculum.

Sed quis non paveat Pherecydis fata Tragœdi,
qui nimio ſudore fluens, animalia tetra
eduxit, turpi miſerum quæ morte tulerunt?
Sylla quoque infelix tali languore pereſus
corruit, & fœdo ſe vidit ab agmine vinci: ut Quintus

Serenus Sammoniacus cap. de phthiriaſi cecinit. Quamvis enim Plinius lib. 7. hiſt. natur. cap. 51. & Apulejus lib. 2. floridor. Pherecydem Syrium copiâ ſerpentium, ex corpore ejus erumpente, exſpi-

exſpiraſſe ſcripſerint, per ſerpentes tamen hoc in loco pediculos, quos Ariſtoteles 5. de hiſtor. animal. cap. 31. Plutarchus, & Ælianus exprimunt, intellexiſſe eos, non malè determinat Hieron. Mercurialis lib. 5. Variar. Lection. cap. 6. & Marcell. Donatus lib. 1. Med. hiſtor. mirab. cap. 5. Aliorum exempla malo hoc interemtorum ex Antiquitate deſumta ut taceam, recentiora etiam ſuppeditant Amatus Luſitanus cent. 3. curat. 58. in ſchol. Ezechiel de Caſtro lib. 1. tract. ignis lamb. cap. 6. & Tobias Coberus obſervat. caſtrens. dec. 1. obſerv. 9. Quâ arte verò expellendæ ſint iſtæ turpiſſimæ beſtiolæ, Practicorum libri abunde edocent. Quid Unguentum Officinar. noſtr. valeat, pag. 344. Pharmac. Auguſt. reſtit. à me oſtenſum fuit. Quam curam formoſæ virginis matutinis horis amplexus ſpondere debet, cum Andr. Libavio [vid. Ciſt. med. Hornung. epiſt. 40.] laſcivis deſtinabimus & ſuperſtitioſis. Unicum Stockeri experimentum notâſſe lubet, quod de oleo ligni corylini lib. 1. Empiric. cap. 40. profert, modicæ ſcilicet ejus quantitati quodcunque genus vermium, & pediculos impoſitos, in momento temporis emori; ſed qua ex proprietate id fiat, cùm neſcire ſe fateatur, conjecturare nobis liceat, ab impedita id reſpiratione fieri; qua ratione alia etiam inſecta, ſi trachearum oſcilla oleo obliniantur, emori conſtat; id quod de ſcorpionibus experientiſſimus D. Franciſc. Redus obſerv. de viper. & de muſcis obſervat. de inſect. nec non de bombycibus, veſpis, apibus, locuſtis, gryllis, ex ingenioſiſſimi Marcell. Malpighii tract. de bombyc. Cl. Thom. Williſius lib. 1. de anima brutor. cap. 3. teſtantur. Hoc ipſo etiam modo juvenem illum apud Auguſtin. Thonerum obſervat. medic. lib. 4. pag. 222. totum caput vermibus Syllanis refertum habentem, adhibito ſpicæ oleo, unicâ nocte à turpiſſimis hoſpitibus liberatum fuiſſe, credibile eſt; quamvis hîc etiam aromaticam ſpicæ proprietatem, qua putredini adverſatur, ſymbolum unà contuliſſe non negaverim.

 OBSER-

OBSERV. XL.

Vertigo per conſenſum periodica.

V*Ir temperamenti bilioſi, per viginti & plures annos ſtomachi dolore, vomitu frequenti, ac aurium tinnitu, ſimulq́ vertigine periodicâ moleſtatus, ut vix ſibi fideret ædibus exire, cùm ſæpe in publico deambulans, vel ſedens, vel ſtans improviſò affligebatur, poſt unum & alterum Medicum, multorumq́ medicamentorum uſum, venæſectionem, ac fonticulorum in brachiis & crure dextro excitationem, ſuaſi ego, ut præmiſſis univerſalibus, ſemper pridie ante novilunium & plenilunium Pilulis certis cholagogis, vel clyſtere uteretur, quò bilis excrementitia per epicraſin educeretur, & vapores bilis acres revellerentur, bisq́ in anno hirudines venis hæmorrhoidalibus applicarentur, non poſthabitis interim caput roborantibus, ac hepatis bilisq́ fervorem reſtinguentibus; ex quibus ſymptomata graviora deſierunt, & vertigo rariùs rediit. Denique verò An. Chr. 1671. ætatis anno ſexageſimo ſecundo, apoplexiâ forti ſuper prandium tactus, intra horæ ſpacium mortem obiit.* Sub praxi propr.

SCHOLION HELLWIGIANUM.

VErtigo Latinis à vertendo nomen habet, qui enim hoc malo corripiuntur, imaginantur ſibi omnia verti & in gyrum agi; indè & imaginatio falſa dicitur. Ab authoribus Græcis varias ſecundùm vehementiæ gradus & cauſarum eſſentias appellationes adepta eſt. Vertigo autem propriè eſt affectio, quâ omnia circumagi videntur, orta ex calido, tenui, & acri vapore, per arterias in cerebri ſinus vel ventriculos irrepente, qui in plexu choroide ſpiritus & humores exagitans & variè impellens, turbulentos ſenſus motusque cauſat. Sicuti ferè iisdem verbis Petrejus in Noſolog. ſuæ diſſert. 6. in append. affectum hunc delineavit. Vertigo porrò duplex eſt: Primaria, quæ primariò cerebrum afficit; vel per conſenſum, quæ ventriculi alia-

rumq;

rumq; partium conſortio fit. Hac noſtrum ægrum laborâſſe, manifeſtum eſt, & ut ſpecialiùs edicam, fuiſſe affectum per conſenſum à vaporibus hepatis calidi, & bilis in ſtomachum effuſæ originem habentem. Et cùm omnis humoris vapor calidus vel frigidus caput petere, & vertiginem excitare poſſit, docente Galeno lib. 3. de loc. affect. cap. 8. itemque lib. 3. aphoriſm. 23. vapor hic calidus è ventriculo bile infœdato, ut Heurnius loquitur in tract. de morb. capit. in ſing. part. cap. 20. ſpiritus viſorios inficit, & occurrit humori vaporiq; cerebri frigido, unde agitatio cum circumgyratione, ſinuumque vel ventriculorum cerebri repletio & occluſio cauſatur, ex qua caligo oritur, qualis in aëre puriſſimo cernitur, quando fumidâ aurâ nigrâq; ſuffunditur. Quâ viâ autem bilis in ventriculum feratur, à variis diſputatur, & multi putant, ex inteſtino jejuno in ventriculum bilem regurgitare. Sed P. Severinus vult bilem in ventriculum deferri per partem meatûs biliaris, quæ in fundo ventriculi inſeritur, de quo Bartholinus lib. 1. Anatom. reform. cap. 9. & 15. dubitat, ſcribens, non naturalem hunc ductum eſſe, ſed errorem ſaltem naturæ, & quidem perrarò inveniri, ac picrocholis plerumque contingere, qui idcirco bilis evomitioni obnoxii ſunt. Galenus, vel qui author eſt lib. 6. de adminiſtr. anatom. cap. 12. meminit canalis fellei exigui, qui ſupra pylorum in ventriculum feratur, & hujus canalis biliaris in ventriculum Riolanus lib. 2. anthropograph. cap. 22. adducit oculatos teſtes, Nicolaum Maſſam, Andream Veſalium, & Bartholomæum Cabrolium, cujus obſervationes cùm non ſub omnium manu verſentur, placuit ex iis ſextam de verbo ad verbum huc apponere: Secando, inquit, Comitem Auſumundianum, raritate commendabile quid offendimus, porum ſcilicet cholidochum, aliàs in ecphyſin ſe exonerantem, proximè pylorum expreſſum habuiſſe, ita ut non minùs ventriculo, quàm inteſtino bilem transmitteret. Quæ cauſa illi

illi fuit, cur ſæpius nauſearet, vomeretq;, & quod hinc ſequitur, alvo eſſet duriori. Natura enim nativo ſuo clyſmate ſeu rhabarbaro orba, cùm nihil expultricem irritaret, deſidebat, undè ſubitò cholerâ diem finiit. Signa vertiginis per conſenſum plerumque habentur inappetentia, nauſea, oris amaritudo, cardialgia: & quod maximè notandum, quòd, referente Galeno lib. 2. aphoriſm. 17. vertigo gravis & diuturna via quaſi ſit ad apoplexiam.

ADDITAMENTUM SCHRÖCKII.

INordinatum ſpirituum animalium in cerebro motum, cauſam eſſe vertiginis, in confeſſo eſt. Qua verò ratione is oriatur, bellè explicat Anton. Molinettus diſſert. anat. & pathol. de ſenſib. cap. 23. ſic ſcribens: *Quicquid pertinacius movetur, ſi ſpatii terminos breviores offenderit, in motus principium recurrere cogitur, idq; ſæpius, quare circulus fit. In circulum igitur acti ſpiritus, phantaſmata, quæ devehunt, ſub ſpecie circuli, principio objiciunt.* Quam perturbationem ac confuſionem à variis humoribus, ſpiritibus animalibus ſe immiſcentibus, produci, communior (prout etiam Auctoris noſtri,) fert opinio. Cui tamen contrarius eſt Clar. Thom. Willis exerc. 2. de anima brutor. cap. 7. & inprimis vapores ad caput elevatos vertiginis ſymptomaticæ cauſam haud eſſe, propugnat, ſpirituum animalium potiùs, ex viſcere, uti ventriculo, à materia acri, infeſta & irritativa laceſſito, inordinatum in cerebrum per nervorum ductus recurſum accuſans, qui dein alios ibi cerebri meditullium incolentes perturbent, inque pares ἀταξίας adigant. Quod licet negari omninò nequeat, ita ut vertigo illa, ſine communicatione materiæ alicujus pravæ vaporetenus in caput elevatæ quandoque producatur, omnis tamen humoris morbifici communicatio hinc ſemper non planè eſt excludenda. Si enim ſpirituum recurſus aliquis ſtatuendus erit, cur non ſimul infeſti vaporis ſubtiliores particulæ ſimul ad cerebrum

brum per nervos elevari queant, cauſam nullam video ; cùm ipſa ſpirituum iſtorum natura licet ſit ſubtiliſſima, immaterialis tamen neutiquam exſiſtat; ut taceam, quòd mediantibus venis &c. ex ventriculo &c. adſumti impuri,calidi, bilioſi &c. vapores ad cor, & ab hoc per arteriæ magnæ adſcendentis ramos & ſurculos minimos in cerebrum facili viâ penetrare, ibique ſpiritibus animalibus juncti,eosdem in confuſionem adigere queant. Quod ſanè paulò poſt ipſe Williſius fatetur, dum corpuſcula quædam heterogenea & ſpiritibus infeſta, eos usque in cerebri meditullium adſequi ſcribit, addens: *Quidni è ſanguine aliisq; humoribus plurimùm vitiatis, ejusmodi particulæ morbificæ & vertiginoſæ ſuggeri, inq; cerebri conclave penitius inſinuari poſſunt?* Quamvis itaque ſimplex vaporum ex ventriculo in caput exhalatio, ob ſpatii defectum, non admittatur, certis tamen vaſis & terminis circumſcriptam viam ipſa Natura, ut dixi, oſtendit. Ipſe etiam Galenus de ſcotodino ex ventriculi culpa, orificio ejus à mordacibus humoribus læſo, agens Comm. 4. aphor. 17. non vapores expreſsè inculpat, ſed nervis cauſam adſcribit: *Propter nervorum magnitudinem, qui ad ipſum* (ſtomachum) *à cerebro veniunt, hac ipſa parte patiente, animæ opera detrimentum capiunt.* Licet aliàs Comm. 3. aph. 17. & 4. de rat. vict. in acut. §. 42. inordinatam ſpiritus flatuoſi & craſſi, in capite generati, vel ex inferioribus partibus elevati, motionem incuſet; & inprimis 3. aphor. 31. vertigines ſenibus à ſpiritu vaporoſo accedere, ſæpeq; in ventriculo vitioſis ſuperfluitatibus coacervatis, ad cerebrum exhalationem vaporoſam ferri, ſcribat; nec non 3. de loc. adfect. cap. 3. per arterias vaporoſum calidumque ſpiritum in cerebrum ferri, illud implere, ſicque adfectum hunc quandoque producere adfirmet. Si verò hoſtilium iſtorum humorum magna in cerebrum irruat copia, ejusque porulos obſtruat, ac ſpiritus exſtinguat, ipſa tandem apoplexia ſuccedit, præſertim cùm

hi

hi ſimilesque cerebri adfectus magnam inter ſe cognationem habeant, ac ſæpe unum excipere alterum, comitari etiam quandoque, experientia confirmet. Qua verò ratione bilis in ventriculum deveniat, cùm non clarè determinet Auctor; paucis indicâſſe, ſufficiet, quòd illa, acrimoniâ inprimis ſi peccet, atque hinc inteſtinis inimica evadat, facilè ab iisdem, à motu, quo pollent, periſtaltico adjutis, ſurſum pelli, vel per latera duodeni in ſtomachum ferri atque adſcendere queat; qua ratione vel in vomitu, quæ ingrata inſunt ventriculo, ab eodem niſu ſummo ad ſuperiora protrudi, vel etiam in nauſea, illum præcedente, ſerum copioſum per œſophagi concavum quandoque ſurſum repere ac expelli obſervamus. Quin & juſtò tenuior ſi exſiſtat bilis, perque veſiculæ ſuæ poros transſudare, ac ventriculi membranas, quarum exteriorem ſæpe, ob viciniam, flavo luridove colore tingi videmus, penetrare valeat, motum iſtum vitioſum excitare fortè poterit. Imò illum ipſum humorem amaricantem, cujus in ventriculo præſentia tantas ſæpe eidem ac univerſo corpori turbas concitat, non ſemper bili, naturaliter in propriam veſiculam hepati connatam colligi, atque ab ea in duodeni finem expelli ſolitæ, ortum ducere, ſed in ipſo quoque ventriculo multoties progigni, credibile eſt, cibis ſcilicet in bilem verti aptis, taliſmodi corruptionem in eo ſubeuntibus, ut bilioſo ſucco æmulas proprietates referant, ſive jam ſtomachi fermentum præter naturam immutatum ſit, ſive adſcendentes ex inteſtinis à fermentatione aliqua vitioſa amaricantes halitus ſeſe immiſceant atque corrumpant. Hac ratione Helmontius tract. A ſede animæ ad morbos §. 10. amarum iſtud flavum liquamen cibum eſſe contendit in ejusmodi excrementum degeneratum, ſi nimirum acidum fermentum à ſplene inſpiratum, ut ipſe putat, moderatum affluat, & ſuperfluat cibi copia vel aſperitas; quod lib. de febb. cap. 17. §. 3. corruptum Oeconomi jus adpellat, quamvis

tract.

tract. Pylorus rector §. 13. & cap. 9. de febb. §. 14. ipſam etiam fellis miſcelam admittat, chylum contaminantis & in amarum ſuccum commutantis, ab indignante poſtea Archéo excutiendum. Cæterùm non negatur, ductûs fellei in ſtomachi fundum inſertionem, quam dari, licet rariùs, obſervationibus edocemur, crebris & incurabilibus vomitionibus anſam ſuppeditare; quamvis talismodi inſertionem neutiquam bilioſus vomitus ſemper præſupponat; imò, ubi hæc datur implantatio, non ſimul etiam vomitus neceſſariò eam concomitetur: quo modo Andr. Veſalius lib. 5. de humani corpor. fabr. cap. 5. duplicem ductum choledochum, ramo minore ad fundum ventriculi abeunte, in quodam triremium Pontificiorum remige deprehenderat, qui tamen vomitu nunquam vel nauſeâ detentus fuerat; id quod Exc. D D. Gothofr. Möbius Fundam. medic. phyſiol. cap. 15. à bile minùs acri accidiſſe, probabiliter determinat.

OBSERVATIO XLI.

Melancholia à ſpirituum cerebri nimia commotione.

P. P. F. natione Gallus, cùm aliquando in diſputando & opponendo ſe ſtrenuè geſſiſſet, & fervido nimis ac concitato animo argumentationes ſuas protuliſſet, actione iſtâ ſpiritus in cerebro ſenſitivos ita commoverat & perturbaverat, ut debilitatus brevi poſt inceperit ſibi imaginari, ſe caput ſuum amiſiſſe, aut amiſſurum, ideoq; noluit è lecto ſurgere, aut ſedere, aut deambulare, imò vix cibos ſumere, eaq; phantaſiâ ultra menſem laboravit. Intereà præmiſſis medicamentis univerſalibus, & bilis fervorem reſtinguentibus exhibitis, & cerebrum ac ſenſus internos roborantibus, ſed parùm fructuosè, ipſe demum, perſuaſu meo, ſub converſatione conſociorum & lætis atq; jocoſis colloquiis, remiſſis cunctis ſeriis, ſpiritus & ſenſus pedetentim

recolligebat, & ſedabat, quoindè hi munere ſuo naturali fungebantur, ac bonus Pater ſic mente ſanâ reſtitutâ, corpore aliàs ſatis ſano officia ſua, tum eccleſiaſtica, tum ſecularia, alacriter & dextrè rurſum ſubivit. Notabile etiam, quòd eo ipſo die, quo diſputatio habebatur, Præſidi ipſi inopinatò ſub exclamationem & altercationem una portio ſanguinis puri, pulchri, purpurei, ex ore trans cathedram proſilierit, diſruptâ fortaſſis præ nimio pulmonum motu venulâ aut arteriolâ quadam, ſed abſq; ulla ultra ſenſibili pulmonum affectione, vel læſione. Sub praxi propr.

SCHOLION SCHRöCKII.

TAnta melancholicorum eſt diverſitas, & tanta imaginationis eorum monſtroſitas, ut nec omnia eorum deliria animo facilè concipi, nec per ſomnium ferè ſtulta magis atque ridicula phantaſmata effingi queant. Proprium autem utplurimum ipſis eſt, timere non timenda, vanoque mœrore ac triſtitiâ mentem obnubilare. *Omnis homo melancholicus*, ſcribit D. Sebaſtianus Wirdig lib. 1. medic. ſpirit. cap. 11. §. 6. *ob ſpirituum ſuorum tenebricoſitatem tenebras amat, tenebricoſa quærit & ſolitaria, lucos inhabitat, in cryptas & ſepulchra ſe proripit: lucem autem fugit, timet, averſatur. Hæc autem antipathia eſt actio ſubſtantiarum, ſpirituum nimirum, lucis & tenebrarum.* Quæ ſanè optimè quadrare videntur in præſentem ægrotum, ſimilesve, quibus mens ſola laborat, ſine aliarum partium culpa. Curatio itaque ubi hìc inſtituenda occurrit, contraria tenebricoſitati ſpirituum ſerenitas modis omnibus ſuaviter eſt procuranda, ſive, ut Thom. Fienus libell. de virib. imagin. quæſt. 11. diſſerit, melancholia, quæ vitio animi, ex nimiis ſtudiis &c. contingit, per ſolam nempe pravam imaginationem in animo radicatam, iterum, inductâ aliâ imaginatione contrariâ, tolli poteſt. Quanta autem difficultas ſit, impreſſam menti ægrotanti abſurdam imaginationem tollere, omnium optimè Medici, quibus atros iſtos ſpiritus expel-

expellendi munus imponitur, norunt; adeo ut niſi vel ſuaviſſimis mediis, tempori & occaſioni adcommodatis utantur, morbus ſæpe incrementum potiùs adipiſcatur, quàm eradicetur. Qui enim moleſtis atque vehementioribus medelis ad ſanam mentem reducere melancholicos audent, ipſi quammaximè delirant, & atrociora ſæpe maniæ pericula accerſunt. Qua ratione, inſaniam inſaniendo curari poſſe, à nemine eſſe exiſtimandum, Magnus ille Medicus Cæſareus, Joh. Crato, Conſil. 174. à Laur. Scholzio collect. egregiè monuit; & magis, quàm ipſum ægrum, inſanire edixit, qui *cùm in auctoritate conſtituti videantur, intempeſtivè eâ utuntur, perterritum terrent, & à pertinacia ac protervia, quæ morbi initium eſt, pertinaciter ac protervè abducere ſtudent.* Id quod etiam Celſus lib. 3. de re med. cap. 18. de vario phreneticorum genere agens, his verbis perſuadet: *Quorundam vani metus levandi ſunt &c. Quorundam diſcutiendæ triſtes cogitationes, ad quod ſymphoniæ & cymbala, ſtrepitusq; proficiunt. Sæpius tamen aſſentiendum, quàm repugnandum eſt, paulatimq;, & non evidenter ab his, quæ ſtultè dicentur, ad meliora mens ejus abducenda eſt.* Et Dominic. Panarolus pent. 2. obſerv. med. 37. poſtquam Romæ homines utplurimum ob ſtudiorum frequentiam melancholicos reddi advertiſſet, præſtare judicavit, ita adfectos fovere verbis ſpe plenis, medicamentis odoratis, & corroborantibus, quæ ſcilicet ſpiritus diſſipatos reſarciant, membraque adfecta recreent, quàm aliis pharmacis. Mollior ſanè in Auctoris noſtri ægroto medela ſperatum obtinuit ſucceſſum; ita ut ſola jucundior converſatio deliros ſpiritus in ordinem redegerit; quos fortè in erudito Viro nec plumbei pili, gravitate ſuâ capitis præſentiam urgentis, impoſitio, [quali Philotimus Medicus apud Aëtium tetrabibl. 2. ſect. 2. cap. 9. vel ut Alex. Trallianus eum vocat lib. 1. cap. 16. Philodotus in quodam, caput ſibi amputatum imaginante, feliciter uſus fuerat, atque Æmilius Medicus, ut habet Petr. Fore-

ſtus lib. 10. obſervat. 12. in ſchol. alium, acephalum ſe credentem, reſtituerat,] nec fictitii capitis ſimulata connexio, qualem hiſtoriam Joh. Agricola Comm. in Poppii chym. part. 2. pag. 652. 653. exponit, corrigere valuiſſet. Magnam alioquin converſationi humanæ vim eſſe in animo variis adfectibus, virtutibus ac vitiis imbuendo, præter Sacrarum & prophanarum literarum documenta, quotidiana nos docet experientia, & à Comite Digbæo inprimis Orat. de pulv. ſympath. oſtenſum fuit, exemplum melancholicæ Nobilis adducente, à cujus convictu & conſpectu quatuor vel quinque Virgines in idem malum inciderant, (conferatur etiam hiſtoria ab Ill. D. Franc. Ignat. Thiermairio lib. 1. Conſil. medic. cap. 5. pag. 60. recenſita) ab eodem tamen, contubernio illius tantùm ſubductæ, facilè iterum liberatæ; ut ita ad jucunditatem totum compoſitum ſociorum animum & præſentiam, triſtes ægroti noſtri ſpiritus ad eandem etiam ſuavitatem efficaciter deduxiſſe, mirum haud videatur.

OBSER. XLII.

Noxa comeſtæ cicutæ.

G. Z. commenſalis meus in Academia Monſpelienſi, narraverat mihi, quòd ſuo tempore Pariſiis acciderit, cùm duo fratres Advocati in communi victu ſimul viventes, famulum, pro conditura cibi ad petroſelinum emendum in forum miſiſſent, hic de retinenda pecunia cogitans, & de herbæ tam vulgaris cognitione ſibi blandiens, abierit extra urbis pomœria, atq; ignarus cicutam pro petroſelino collegerit. Hac igitur inventâ, famulus domum lætus rediit, & cæteris cibis immiſtam & concoctam plantam heris ſuis appoſuit, ſed ambo illi non longo poſt tempore inceperunt delirare, ac ſomno graviſſimo obrui, & niſi Medici maturè remediis ſubveniiſſent, morte ita miſerabili periiſſent.

SCHO-

SCHOLION SCHRÖCKII.

CIcutam plantam eſſe venenatam, nemo non concedit, pluribusque id exemplis probari poteſt. Nec tantùm foliis ſuis, ſed & radicibus atque expreſſo ſucco magnum corpori humano minatur periculum. Herbam quod attinet, præter exemplum ab Auctore noſtro adductum, petroſelini loco, cum aliis herbis comeſta Nobili cuidam Patavino, apud Hieron. Cardanum lib. 1. de venen. cap. 2. mortem attulit; nec non Franciſco Trapolino, referente I. C. Scaligero de ſubtil. exerc. 152. §. 1. In magnum etiam diſcrimen conjecit Monachum Franciſcanum, cujus Petr. Andr. Matthiolus comm. in lib. 6. Diſcor. cap. 11. meminit. Pro chærefolio collecta multis pernicioſa exſtitit apud Exc. D. Thom. Bartholinum cent. 4. hiſt. anat. 46. Ideo Nobil. D. Georg. Sebaſt. Jungius, quòd Viennæ ab eſu acetariorum ex variis herbis concinnatorum, frequentes choleræ & diarrhœæ oriantur, huic potiſſimum herbæ, ab incautis collectoribus, chærephylli loco permiſtæ, adſcribendum judicat obſerv. 106. Anni V. Miſcell. Curioſor. Radices verò pro paſtinaca devoratas Comitiſſæ ab Hanau, ejusque Gynæcio nocivas refert Chriſtoph. Rœslerus obſ. 345. Anni III. dd. Miſc. Cui ſimiles obſervationes apud Excell. D. D. Joh. Matth. Fabrum Strychnoman. pag. 79. & 80. Cl. Joh. Bauhinum in Obſervat. medic. Schenckianis, Matthiolum loc. cit. Henric. Smetium lib. 10. miſcell. med. pag. 569. & Hieron. Tragum lib. 1. hiſt. ſtirp. cap. 159. offendimus. Pro petroſelini radicibus habitas duobus Religioſis mirè nocuiſſe, Magnus Athanas. Kircherus lib. 2. Scrutin. peſt. cap. 2. Oenopolam quendam graviter adflixiſſe, Bald. Timæus lib. 7. caſ. medic. 4. & part. 1. Conſil. diætet. cap. 2. alios amentiâ, vertigine & oblivione torſiſſe, Scaliger cit. loc. memorant. Aliquot etiam exempla improvidè & periculosè comeſtæ cicutæ habent Exc. D. Simon Paulli παρεκβ. de febb. malign. §. 2. &

Quadripart. botan. claſſ. 3. pag. 263. Jacob. Dalechampius adnotat. ad cap. 13. lib. 25. Plinii, nec non Amatus Luſitanus cent. 5. curat. medic. 98. Succum verò non minùs exitialem eſſe, vel Athenienſium conſuetudine notum eſt. Nam ut Æmilii Macri verbis lib. de herbar. virtut. cap. de cicuta utar:

Frigida letiferæ vis noſcitur eſſe cicutæ.
Unde necat gelidi potantes more veneni. &c.
Publica pœna reis hæc eſſe ſolebat Athenis.
Hac ſumtâ magnus Socrates fuit exanimatus.

Quo de maximi iſtius Philoſophi mortis genere inprimis Joh. Rhodius not. in Scribon. Larg. compoſit. 179. & Welſchius noſter Decad. 8. Curat. medic. 10. videri poſſunt. *Græci, ut & Maſſilienſes ex Senatûs conſulto venenum cicutâ temperatum publicè aſſervabant, quod mori volentibus dabatur, ſi cauſam, cur vitam vellent deſerere, probaſſent*, ut ſcribit Exc. D. Joh. Dan. Horſtius part. 2. Manuduct. ad Medicin. Quamvis externũ ejꝰ uſum ſi ſpectemus, tutò ſatis in Medicum forum deduci eam poſſe, multis in adfectibus Practici compertum habeant. Licet nec interdum ejusdem uſum, ſi cum prudentia quadam inſtituatur, i. e. ad certos adfectus dirigatur, nec in majori, quæ nocere queat, doſi planta ingeratur, non ſemper omnino, ut exitioſum, eſſe eliminandum, varia perſuadere videantur. Galenus ſanè Comm. 2. aph. 17. cicutã illa inter pharmaca refert, quæ licet exitialia ſint & corrumpant, non tamen ſine quantitate nocere queant. De brutis ut jam taceam, quæ cibo iſto absque vitæ detrimento veſci deprehendimus; quod de ſturnis Pergamenus aliique teſtantur, de capris etiam Lucretius lib. 5. canens:

Quippe videre licet pingueſcere ſæpe cicutâ
barbigeras pecudes.

Qua ratione fieri id queat, explicare nititur Hieron. Mercurialis lib. 2. Variar. Lect. cap. 10. Hominibus autem non nocivam per-

perpetuò eſſe, majorem meretur obſervationem. Sic Vetula illa apud Nicol. Fontanum lib. reſponſ. & curat. medicinal. exempl. 55. cùm à peſte liberata ſomnum capere non potuiſſet, poſtea etiam vigiliis nimiis, poſt ſynochum putridam, infeſtaretur, acetario cum pauxillo cicutæ adſperſo, ſuavem ſibi ſomnum conciliaverat. Vim ſanè ejus ſomniferam præſens etiam caſus Auctoris noſtri arguit; quam tanti olim æſtimaverant, ut vigilias contumaces fiſtulâ quoque paſtoriâ, ex cicutæ caulibus ſex artificioſè paratâ, referente D. Guern. Rolfincio Ord. & meth. Med. ſpec. comment. lib. 14. ſect. 3. cap. 19. Antiquitas ſanari crediderit; quamvis id vana potiùs perſuaſio fuerit, quàm ut talem effectum ſortiri potuerit; nullum ſanè futurum, niſi ipſa dulcior fiſtulæ modulatio ſpiritus quieti dediſſet. Innoxium etiam eſum alia Anus experta fuerat Athenis, narrante Galeno 3. de ſimplic. medicament. facult. cap. 18. Ad exſtinguendum calidioris hepatis ſeu potiùs ſanguinis fervorem, ac indè enatam faciei rubedinem, per octiduum omni mane, citutariæ ſucci ℥iij. circiter cum ſaccharo Literatum quendam delibâſſe, nullo alio ſymptomate, niſi virium debilitate, nec tamen deſiderato faciei pallore ſubſequente, prælaudatus Jungius refert. In ſcorbuto curando radices cicutariæ, ſive cibis incoctas, ſive crudas comeſtas magnoperè extolli, D. Henrici Cuſteri ex epiſtola, in Ciſta med. Hafniens. locul. 31. §. 2. adparet. In pollutionibus à ſeminis copia, vel nimio ejus fervore locum habere poſſe, Athenienſium Hierophantæ perſuadent, quos D. Hieronymus lib. 1. adverſ. Jovinianum, cicutæ ſorbitione caſtratos ſcribit; nec mirum id eſſe ſtatuit Rhodius l. c. cùm modico ipſius uſu id poſſe fieri, planum ſit ex Galeno lib. 5. de ſimpl. med. facult. cap. 14. Unde & Religioſis, quò caſtitatis votum eò faciliùs ſervare valeant, externum uſum Tragus commendat. Ipſe ſanè Dioſcorides herbam cum coma tritam, ſi teſtibus circumponatur, prodeſſe polluti-

lutionibus, ſive libidinum imaginationes in ſomno compeſcere, genitale membrum reſolvere, teſtibuſque puerorum atrophiam inducere teſtatur. Plinius caulem ejus viridem à pleriſque edi, auctor eſt lib. 25. Hiſtor. natural. cap. 13. Plurimis tamen aliis Plinianis relatis, parum fidei promeritis, accenſere ſi cui hoc luberet, cenſurâ D. Simonis Paulli Quadrip. botan. l.c. optimè juvaretur: *Quòd verò quidam objicere poſſunt: veſci nempe quosdam populos cicuta, neſcio quo ſub climate degentes; vel negligi hîc leges hiſtoriæ reſpondeo; vel errorem eſſe primi authoris, qui ut facilè in dignoſcendis umbelliferis herbis etiam à rei herbariæ perito committitur, ita ille chærefolii aut myrrhidis quandam eſculentam ſpeciem dubio procul cum cicuta vera confudit, primo nil penſi habens accuratam differentiam, unde poſtmodum Cicuta aliquibus in Regionibus innoxia, unde ea veſci nonnullos populos perhibitum eſt.* Idcirco *qui ſapiunt, ab hujus eſu, Socrateo exemplo moti abſtineant*, deciſione celeberrimi Botanicorum Caſp. Bauhini lib. 4. Pinacis, & ſect. 5. Phytopin. Plinio tamen ſæpe veridico patrocinium præſtat Scaligeri auctoritas, cui hac in parte fidem derogare neutiquam audeo, qui in Provincia, i. e. in Liguribus Taurinis vulgò ejus radices pro deliciis, elogio ſalubritatis, ob vim diureticam, etiam addito, in acetariis haberi, prodidit, ſubjungens: *Ego quoque ſæpe eſitavi, ſiſari ſapore.* Quod num transplantationi, quâ omnem malignitatem deponere, ex Petr. Joh. Fabro docet D. Jungius, debeamus, incertum, ſaltem non vero abſimile eſt; quâ nempe ſulphur illud ſilveſtre ac narcoticum [quo copiosè abundare, præter ſymptomata, graviſſimus illius fœtor ſæpe nominatum D. Jungium, ut crederet, permoverat,] miteſcere poſſe, aliorum etiam vegetabilium à transplantatione in meliorem ſtatum mutatio perſuadere poſſet, & quâ ſæpe factum eſſe novimus, ut

Exuerint ſilveſtrem animum, cultuq; frequenti,
in quaſcunque voces artes, haud tarda ſequantur,

ut

ut Maronianis verbis lib. 1. Georg. utar: vel an ipſius plantæ naturali proprietati adſcribendum? cùm ratione loci natalis venenum ejus majus minusve obſervari, ex Dioſcoride & Plinio notum ſit. Ipſam etiam cicutam, quam Italia producit, minùs exitialem eſſe, P. A. Matthiolus Comm. in lib. 4. Dioſc. cap. 74. & cum ipſo Rhodius adſtruunt; quod tamen de omni minimè eſſe dicendum, contraria quæ proſtant exempla evincunt, & eapropter Amatus Luſit. venenoſam in Italia reperiri, ex pueri letali obſervatione, quam dederat, ſatis conſtare, in addito ſcholio pronunciaverat. Quanquam aliàs diverſas quoque cicutæ vel cicutariæ ſpecies, venenatæ ſimul qualitatis, majoris minorisve, diverſitatem inferre, nemo facilè negaverit. Commodè tandem hîc tangere licet inſanum illum ad vinum nefariè conſumendum, excogitatum cicutæ uſum, quem idem Plinius lib. 14. cap. 22. cùm de vitanda ebrietate diſſereret, his verbis eleganter expreſſit: *Bibendi causâ etiam venena conficiuntur, aliis cicutam præſumentibus, ut bibere mors cogat.* Scilicet: *Sicut cicuta homini venenum eſt, ſic cicutæ vinum*; ceu Idem cap. 5. Androcydem ſapientiâ clarum, ad Alexandrum M. ſcribentem producit; qua ratione etiam vini meraci potionem Dioſcorides, Galenus, Paulus Ægineta, Scribonius Largus, Æmilius Macer &c. dilaudant. Hæc licet ita ſe habeant, cùm tamen longè meliora & tutiora remedia nobis ſuppetant, haud video, cur Vegetabili illo, cujus de venenoſitate, ſi non ſemper, utplurimum tamen conjunctâ, tot tragica exempla teſtantur, ad interiora vitæ penetralia admiſſo, mortem, mortisve cauſas, morbos, profligare magnum nos tenere debeat deſiderium? Quo nimirum in tanta ſecuriorum copia jure meritoque abſtinebimus; ne vel Naturæ ubertati maculam paupertatis inuramus, vel corpori humano exitium nimiâ curioſitate noſtrâ & audaciâ pariamus.

OBSERV. XLIII.

Veternus ex laudano opiato.

M*Edicus quidam peregrè veniens Ratisbonam, duobus hic ægrotantibus, quorum alter plebejus doloribus arthriticis magnis infeſtabatur, alter Nobilis Ungarus juvenis febre ardente & vigiliis nimiis afflictus, opium vel laudanum opiatum in inuſitata doſi porrexerat, indè ambo veterno obruti, & ſimul lethi poculo obierunt.* Ex obſerv. propr.

SCHOLION SCHRÖCKII.

QUàm ſalutare pharmacum eſt Opium cum prudentia uſurpatum: tam noxium & inſtar gladii in manu furibundi periculoſum evadit, ab imperito propinatum, tragicis hoc exemplis plurimis adteſtantibus; quæ inter orthopnœam letalem, ab exhibito opio in quartana à Circumforaneo, nullâ præviâ evacuatione, deſcribit Frider. Loſſius lib. 2. obſerv. 12. Qua occaſione in Pſeudomedicos, oppidatim & per pagos oberrantes, unam omnium morborum medelam, veluti Panacéam venundantes, ac vulgo credulo obtrudentes unà invehitur. Rationalis ſanè Medicus abunde habet, quod proſpiciat, ſi ſalutarem opii effectum obtinere velit: quàm periculoſa itaque evadet ipſius exhibitio, Empirici (ſi epitheto hoc ad noſtri ævi Medicaſtros, omni ἐμπειρία deſtitutos, abuti liceat, cùm ab antiquis illis, multis paraſangis ſcientiâ & dignitate differant; de quo, præ aliis, videndus Joh. Freitagius Noct. medic. cap. 4.) in manus ſi incidat, qui neque morborum naturam cauſasque ritè dignoſcere, multò minùs ex fundamento curare didicit? Talem Panacéam, Solaris epitheto ſuperbientem, ab aliis etiam jam memoratam, Pilularum ſub ſchemate vidit non ita dudum Urbs noſtra, quæ muliebri diſpenſatæ manu, quid commodi damnive ubique attulerint, equidem me latet; hoc tamen compertum habeo, puellæ

in pleuritidis initio, liberali ſatis manu, neceſſariis aliis neglectis, exhibitas, mortem acceleráſſe. Non quidem is ſum, qui cuncta Empiricorum remedia velim rejicere, cùm ſæpe Olitor quoque fuerit opportuna locutus; nec à plebejis, ſi quid ad curandi opportunitatem conferre videatur, ſciſcitari, ex Hippocratis præcepto lib. de Præcept. quenquam pigere debeat. Aſt Panacéas illa proclamare velle, alia verò neceſſaria negligere, aut etiam Medicaſtris magnam propterea in cæteris etiam quibuscunque partibus, ad Medicinam quæ pertinent, & neſcio quàm infuſam ſcientiam tribuere, eosdemque genuinis Medicis præferre, nemo prudens facilè præſumet. Omnes equidem, medendi artem qui profitentur, nomen ipſum facit Medicos, aſt illi demum veri dicendi ſunt, qui phyſica, anatomica & cætera Artis fundamenta edocti, [non incertis ac cæcis quibusdam experimentis, aut merâ temeritate ducti,] cum ratione medentur; quo intuitu, ut in Lege Hippocrates loquitur, *Medici nomine quidem multi, reipsâ perpauci.* Sed hæc jam tranſeant. Quòd verò Laudanum duos Obſervationis hujus ægrotantes letali veterno obruerit, in doſin inuſitatam, Auctori noſtro libuit, cauſam referre. Nec immeritò. Opium enim validum eſt medicamentum, parva in mole magnas exſerens vires, adeoque, debito ejus ſi excedatur in præbio, periculi plenum. Somnum aliàs provocando, ſpirituum orgaſmum demulcendo, ichorum acrimoniam temperando, eorumque efferveſcentiam coërcendo, Nectar eſt & Ambroſia, ſicque ipſis in febribus ardentibus, doloribusque arthriticis auxiliares præſtare valet manus; nimium tamen ſi ingeratur, æternum ſomnum atque inevitabilem ἀναισθησίαν accelerat. Sed plura de hoc proferre ſuperſedeo, cùm, quidquid adduci in medium queat, omne à Collega & Amico meo honoratiſſimo, D. D. Georg. Wolfg. Wedelio, in elegantiſſima ſua Opiologia curiosè propoſitum ac ſufficienter enucleatum fuerit.

OBSERV. XLIV.

Inſomnia pericoloſa ex Tabaci fumo.

Memini Commenſalium meorum Monſpelii in Galliis quendam, & ipſum Gallum, Tabaci potui nimis indulgentem, ſæpius ſe in tantum inebriaſſe, ut noctu ſomnians è lecto ſurgens, atque evaginato gladio in conclavi diſcurrens, aliis verbera & vulnera minaretur. Ex obſerv. propr.

SCHOLION SCHRöCKII.

Tandem igitur, ô Cives, ſi quis pudor, rem inſanam abjicite, ortam ex ignominia, receptam errore, frequentatam ſtultitiâ, unde & ira Numinis accenditur, corporis ſanitas atteritur, res familiaris arroditur, dignitas gentis ſeneſcit domi, vileſcit foris; rem viſu turpem, olfactu inſuavem, cerebro noxiam, pulmonibus damnoſam, & ſi dicere liceat, atri fumi nebulis Tartareos vapores proximè repræſentantem. Licebit verba hæc, quibus Miſocapni ſub nomine Sereniſſimus Britanniæ Rex, Jacobus VI. Luſum ſuum regium de abuſu tabaci concluſit, Obſervationi huic adnectere; cùm & ipſa, præter cætera mala, cerebri noxam abunde teſtetur, tartareosque vaporum impetus furioſa Tabacophili inſomnia loquantur. Non moderatus hic & ad ſanitatem directus perſtringitur uſus, quo ſeroſorum inprimis humorum colluvies expurgatur, Blennochoidis idcirco nomine à Paulo Renealmo pag. 38. Specim. hiſtor. plant. vegetabili huic conceſſo; ſed qui exceſſu delinquit, præterque neceſſitatem frequentatur. Ut enim omne nimium, ſic & hoc vertitur in vitium. Copioſæ ſcilicet ſulphureo-ſalinæ atomi ex accenſa nicotiana denſo agmine evolantes, oreque attractæ, vel potiùs ab aëris elaterio, laxiori fiſtulæ orificio incumbentis, (vid. Clar. Joh. Chriſtoph. Sturmii Colleg. experim. curioſ. Tentam. 6.conſect. 6.) ipſi intruſæ, non palati tantùm obnubilant cameram, ſed ſubtiliſſimis ſuis ac penetran-

netrantiſſimis corpuſculis minimos quoque poros ſubintrant, ſanguini ſeſe adſociant, humores obvios reſolvunt, inque cerebrum copioſæ irruunt, ac ſpiritibus animalibus ibi confuſi, variam ipſis labem imprimunt, mox inſueto ſuo narcotico ſulphure obruentes, mox & acredine, bilioſæ præſertim conſtitutionis in corpore, in furorem concitantes. Quamvis itaque lubens adſentiar Primeroſio lib. 4. de vulgi in medicin. errorib. cap. 33. fumum tabaci ad cerebrum non pervadere, ſcribenti, nubiloſum ſcilicet illum, craſſum, & tetræ fuliginis facie è fiſtula expulſum; nihil tamen omnino eò usque penetrare, aut ſolum ſpirituũ & humorum à calore ejus concitatiorem motum inſequi, argumentis, quæ adducit, neutiquam evincit; cum poruli ubiq; in corpore patentes, ſanguinis in univerſo præſentia, corpuſculorum in fumo latentium ſubtilitas, vis penetrans & activitas, ipſaque ſymptomatum ſoli calori neutiquam imputandorum ſeries, longè aliud perſuadeant. Ut majorem ideo mereatur adplauſum Joh. Chriſoſt. Magnenus exercitat. 6. de tabaco §. 14. fumum tabaci intimos cerebri receſſus, temulentiâ & ſomnolentiâ id adteſtantibus, adire concludens, cruſtæ tamen in eo nigræ, quia fuligo hæc craſſioribus ſuis partibus jam ſit expurgata, productionem pernegans. Licet enim Pavium in juvene cerebrum atris fuliginibus ex hac cauſa obſitum deprehendiſſe, ex Juſti Raphelingii relatione, Jo. Neander in Tabacolog. memoret; Falckenburgius etiam in epiſt. ad Neandrum ſimiles ſe obſervâſſe cruſtas, referat; & Romæ hominis plebeii cerebrum ex eadem cauſa condenſatum, nigricans, atque ad exiguum grumum redactum, membranaceis involucris coagmentatum Franc. Joſeph. Burrhus epiſt. 2. de cerebro ſcribat: in omnibus tamen id neutiquam deprehendi, frequenti aliorum fide & experimento conſtat. Prout nec mihi olim in capitibus eorum, qui vivi fumo tabaci delectati fuerant, tale quid deprehendere contigit. Id quod

de pluribus aliis fumiſugis nō minùs teſtatur Guil. van derMeer. Noxa ulla nigrorisve veſtigium in cerebro viri, qui nimiâ tabaci ſuctione apud plurimos innotuerat, haud adparuit, apud Th. Bartholinum cent. 1. hiſtor. anatom. 5. In Cl. illo Medico Bavarico cerebrum ſine noxa inventum fuiſſe, Ill. D. Thiermairius lib. 1. Conſil. Medic. cap. 5. teſtem ſe præbet; quod etiam Excell. D. D. Joh. Jacobi Wepferi Diſſertatiuncula obſ. 129. Ann. III. Eph. Germ. Cur. addita, pag. 222. confirmat. Kerckringius denique in homine fumoſis hiſce deliciis ſupra modum addicto, & cultro anatomico à ſe ſubjecto, Plutoniam quidem intrare ſe domum, viſum ſibi fuiſſe refert, linguâ, tracheâ fuligine nigrâ obductis, inteſtinis quoque nigricante materiâ repletis, nullam tamen pariter denigrati cerebri mentionem facit. Nihil tale itaque in ſano ſtatu eſt metuendum. Contrariis verò, quæ producuntur, rarioribus exemplis Bartholianum judicium, quod Volum. 1. Act. medic. Hafniens. obſ. 21. de Pavii caſu format, commodè adplicabimus, morbi potiùs, non fumi vitium id exſtitiſſe.

OBSERV. XLV.

Apoplexia ex tabaci fumo.

M*Emini, quòd meo tempore Anno Chriſti* 1633. *in Galliis Maſſiliæ duo fratres, Mercatores Hollandi, voluptatis gratiâ certârint, quis eorum plures fiſtulas tabaci exſugeret, ſed dum unus ad ſeptendecim, alter ad octodecim aſſumſiſſet, ambo ſubitò apoplecticorum inſtar deciderunt. Unus eorum eo momento demortuus, in cujus cranio aperto nihil penitus cerebri vel ſeri inventum eſt, atq; meninges denigratæ fuerunt; in alterius per bihorium, vel trihorium miſerè ſpirantis, poſt mortem aperta calvaria cerebelli portio juglandis magnitudine tantùm, & flaccida, & quaſi telâ araneæ ſubcæruleâ obducta reſtabat.* Ex obſerv. propr.

SCHO-

SCHOLION SCHROCKII.

SI apoplexiæ naturam conſideremus, in qua libera ſpiritibus animalibus in cerebri meditullio via præcludi, inque ſpinalem medullam influxus prohiberi ſolet, à fumi tabacini inordinato uſu apoplexiam poſſe generari, nemini dubium videri poteſt. Ut autem non una à cauſa liber ille ſpirituum commeatus impeditur, docente id, præter ſanam rationem, ipsâ inprimis Anatomicâ in defunctis apoplecticis inquiſitione; (qua arte im̃ortalem præ aliis laudem ſibi comparavit nemini non laudatiſſimus D. D. Joh. Jacob. Wepferus in egregio ſuo Obſervationum libello, ex cadaveribus eorum, quos ſuſtulit apoplexia; quarum aliarumque ampliſſimam meſſem nuper etiam Excell. D. D. Theophil. Bonetus aurei ſui Anatomiæ practicæ Voluminis libro 1. ſect. 2. exhibuit, ſimilia verò pro more ſuo ingeniosè explicuit Cl. Thom. Willis lib. 2. de anim. brut. cap. 8.) ita omnes cauſas iſtas huc congerere nil attinet, paucis ſaltem earum ad noſtrum ſcopum jam deducendis. Fumus itaque ille cùm naturâ ſuâ abundet ſale volatili, propptereaque acris & penetrans exſiſtat; 1. ſanguinem in efferveſcentiam naturali multò majorem concitare, copioſum ejus in cerebri meditullium impetum hoc modo promovere, & coacervato ſic ibi ſãguine, minutiſſimos in molli ac facilè cedente ipſius ſubſtantia porulos, ſpirituum vitalium ex arteriis influxui, eorumque in animales mutatorum effluxui dicatos, comprimere, vel etiam ſi extravaſetur, obſtruere, atque ita, quidquid exin ſpirituum animalium generari debuerat, ſupprimere, generatosve ſuffocare potis eſt. 2. Ob id ipſum ſal volatile humores ſeroſi craſſiores liquantur & reſolvuntur, qui dein copioſi cerebrum incurrentes, illud inundant, atq; exiguos ejusdem meatus occupant obſtruuntq;. Quod ut tantò faciliùs intelligatur, Ill. Thiermairii verbis uti liceat, dum lib. 2. Conſil. medicor. cap. 2. pag. 24. apoplexiæ cauſas efficientes enu-

enumeraturus, craſſum humorem non ſine diſcrimine explodendum demonſtrat : *Poſitâ ſanguinis in cerebro circulatione, quid facilius, quàm in cerebro & cavitatibus illius ſuccum craſſum ſubfrigidum cumulari? in cerebro, inquam, ubi videtur ſanguinis ab arteriis in venas non adeò prompta transumptio? ubi extrema vaſorum minutiſſima, major arteriarum quàm venarum copia, ipſum partis parenchyma reſpectivè frigidum, ne dicam pituitoſum, ſit?* 3. Cùm in tabaco non minùs ſulphur aliquod narcoticum lateat, ſpiritibus animalibus infeſtum, torporem & ſtuporem ipſis inducens, non mirum, ſi nimius ejus influxus eosdem ſupprimat, vel omnino exſtinguat. Qua ratione verò in hac Auctoris noſtri Obſervatione apoplexia Capnophilis acciderit, me ignorare lubens fateor, nec conjecturas adducere ullas audeo; quas inprimis facta in priori cerebri tantùm, nulla cerebelli; in poſteriori autem cerebelli ſolùm, non verò cerebri mentio incertas admodum redderet; quæ tamen aliaq; noſſe utique intererat: Cæterùm num à peritis in arte anatomica viris horum ſubjectorum exploratio, præſente etiam Auctore, peracta fuerit, incertum eſt. Præſtat ſanè, teſtem in ſimilibus eſſe oculatum, dum multa ſæpe perſuadere nobis fama laborat, quæ Natura ut fictitia ridet atq; explodit.

OBSERV. XLVI.

Apoplexia fortis in paralyſin dextri lateris degenerans.

Reverendiſſima Abbatiſſa, naturâ plethorica, corpore obeſa, cibis gaudens crudis & obſoniis, ſæpiusq; eryſipelate infeſtata, demum A. 1652. obruitur apoplexiâ forti, adhibito ſtatim clyſmate & aliis medicinalibus, itemq; venæſectione, accedente quintâ die febre ſynocha, morbus in paralyſin lateris dextri mutatur,

ſed

ſed diligenter obſervatâ diætâ, & medicinis præſcriptis, poſt paucos dies incipiebat balbutire, preces rurſus ſuas & alia verba ſucceſſivè articulatiùs proloqui, (licet opus habuerit, omnia de novo, puerorum more, addiſcere, & memoriæ tradere,) ſatisq́; membra movere, ac ſuffulta incedere. Quod & in D. I. W. C. & duobus civibus aliis obtigerat, qui ſoli iterum & ſine ſuffulcris incedebant. Poſt anni verò decurſum, cùm Abbatiſſæ hujus curam alii accelerandam vellent, & præter conſueta nolenti aliena & peregrina medicamenta inculcarent, itemq́; ſudando nimis defatigarent, en! malum vetus recruduit, & apoplexiâ denuo tacta, intra paucos dies ad plures abiit. Sub praxi propr.

SCHOLION SCHRöCKII.

MAgna paralyſi cum apoplexia eſt adfinitas, & tanta, ut hæc illius quoque ſub nomine quandoque veniat. Qua ratione Corn. Celſus lib. 3. cap. 27. *Reſolutio nervorum*, inquit, *frequens ubique morbus eſt, ſed interdum tota corpora, interdum partes infeſtat. Veteres auctores illud ἀποπληξίαν, hoc παράλυσιν nominaverunt. Nunc utrumque Paralyſin appellari video.* Quod rectè ſcriptum Exc. D. Thiermairius lib. 2. Conſil. medic. cap. 2. judicat, *cùm non ſolùm una alterave pars corporis, ſed etiam interni magis animæ receſſus & mentis penetralia reſolvantur* in apoplexia. Hinc fit, ut non tam eſſentiâ, quàm loco & cauſarum gravitate differre inter ſe videantur, & facilè unius, præſertim apoplexiæ, in alteram, paralyſin nempe, tranſitus fiat; quod ſanè tam frequens eſt, ut major apoplecticorum pars, ſi ad ſalutem morbus terminetur, paralyſin incurrat, translatâ nimirum materiâ morbificâ ex corporis calloſi poris, ut ad Cl. Williſii mentem loquar, ad corpora ſtriata, ſive nervos hujus vel illius lateris. Quo ſenſu ſi Aretæi verba lib. 1. chronic. cap. 7. *Apoplexia, paraplexia, pareſis, paralyſis, omnia genere eadem ſunt*, accipiamus, fortè non errabimus: Unde & mox apoplexiam totius corporis, & ſensûs, & men-

mentis, & motionis παράλυσιν ſive reſolutionem adpellat. Quàm frequens autem paralyſeos ex apoplexia eſt generatio, tam rara econtra eſt illius in hanc transmutatio. Ut ideo Nicolaus Fontanus Comment. in Sebaſt. Auſtrium cap. 11. de morb. pueror. miraculum propemodum eſſe hoc cenſeat; id tamen ſibi viſum in puello undecim annorum, addens, qui hieme ſub pluvio cœlo verſatus ſubitò velut congelatus ſine ſenſu & motu remanſerat, accedentibus ſtertore & difficili reſpiratione, atque curatus quidem ad mentem redierat, toto tamen corpore reſolutus paulò poſt graviſſimam iterum apoplexiam inciderat, quæ curata denuo in paralyſin terminata fuerat. Nec mirum id eſſe autumat, cùm ſicut à cerebro in nervos frequenter humor detrudatur, ſic à nervis in cerebrum pellente naturâ transmigrare poſſit: Quamvis Sennerto lib. 1. Medic. pract. part. 2. cap. 27. veriſimilius, & rectè, viſum fuerit, non tam recurſui, quàm conſimilis materiæ ad cerebrum aliunde facto concurſui, vel in cerebro adcumulationi hoc eſſe adſcribendum; ſi nempe recurſus ille per ipſos nervos immediatè fieri credatur, cùm aliàs impoſſibile planè non ſit, materiam, quæ nervorum corpora prius occupaverat & obſtruxerat, denuo ad caput deferri; ſi in venas & lymphatica vaſa reſumta, beneficio circulationis, ad cor, & dein mediantibus arteriis, iterum ad caput redeat. Cæterùm Sennertus etiam apoplexiæ paralyſin ſuccedentem non adeo raram, ſed in eandem *ſæpe* recidere notat; quod verum inprimis redderetur, ſi particularis linguæ paralyſis, ſive potiùs, ut quidam vocant, ſemiparalyſis, i. e. loquelæ hæſitantia apoplexiæ prodromus eſſet, ut vult Galenus 4. de loc. adfect. cap. 2. quod tamen non eſſe perpetuum, Ill. Rolfincius lib. 1. Epitom. meth. cognoſc. & curand. partic. corp. adfect. part. 2. cap. 5. & quos ipſe adducit, Foreſtus, idemque Sennertus monent. Cur verò motus tantùm in paralyſi, & non ſimul ſenſus (id quod etiam in præſenti

Caſu

Caſu accidiſſe, ſola motûs deſignatio perſuadet,) ſæpius deperdatur, multorum exercuit ingenium. Quosdam binas nervorum ſpecies feciſſe, molliorum ſcilicet ſenſui, duriorum motui dicatorum; aſt unum eundemque nervum utrique officio utplurimum præeſſe, jam notum eſt: Intra ἐγκέφαλον quidem molliores exſiſtunt, extra illud tamen omnes æqualiter majorem duritiem præ ſe ferunt, licet & ſenſui & motui impertiendo inſerviant. Alii cum Galeno lib. 1. de loc. adfect. cap. 6. ad motum valentiori vi opus eſſe judicant, quàm ad ſenſum, unde à læſione minori motum tantùm amitti contingat; quod tamen diſplicuiſſe jam olim Marcello Donato, ex lib. 2. de med. hiſt. mirab. cap. 5. adparet; dum ſenſum adimi nonnunquam ſalvo motu, obſervat, ideoque nervos quosdam ſenſum alicui parti tantùm ſubminiſtrantes dari, potiùs concludit, ut qui [confer. Galenus l. c.] ad ſummam cutem deveniant; non quidem ac ſi illis potentia motum impertiendi deeſſet, ſed eo ſolùm reſpectu, quo hæc vel illa pars à natura non eſt apta & conformáta ut moveatur. Illud tamen pro more ſuo egregiè explicatum dedit Williſius lib. 2. de anima brutor. cap. 9. pag. 393. & 394. edit. Amſtel. adeoque theſin ſuam pag. 381. poſitam confirmavit, quâ ſpiritus paucos & ligatos pro ſenſu ſufficere, ad motum plures, & quoad expanſiones ſuas liberos & expeditos requiri edixerat. Sed quòd parte unâ laborante, oppoſita ſæpe illæſa perſiſtere queat, in meningem duram plerunque cauſam conjiciunt, cùm illa ſpinalem medullam in caudices duos æquales diſtinguat, nervos unius lateris hac ratione diſcernens ab oppoſitis. Molinettus tamen Diſſert. anatom. pathol. de ſenſib. cap. 22. idem admittens diſcrimen, rectiùs tamen dubium illud his verbis determinat: *Quamvis nulla hujusmodi foret membranarum interpoſitio, inter caudices duos medullares dictos; quia tamen nervorum origines primæ, ex Ponte cerebri ita diſtinctæ prodeunt, ut dextræ nun-*

 quam

quam communes ſint ſiniſtris, neceſſario videtur ſequi, ut lateris unius noxa nervos oppoſitos non attingant, niſi communis utriq; lateri noxa fuerit. Scilicet medulla ſpinalis non aliud quid eſt, quàm colligatus & coactus plurimorum nervorum faſciculus, ponè corpora ſtriata exortus, à Cl. Williſio cap. 13. Anatom. cerebr. præclarè oſtenſus, qui dein, ſenſim ſenſimq; ſeparatis in progreſſu, & ad partes, quas vigorare debent, abſcedentibus nerveis iſtis funiculis, ſolvitur & explicatur. Hîc autem alia quæſtio oboritur: An nempe ſiniſtra potiùs, quàm dextra pars paralyſin ab apoplexia incurrat? Ubi cumprimis Exc. D. Juſt. Cortnummius lib. de morbo atton. cap. 56. illam frequentiùs malo iſti expoſitam eſſe propugnat, eò quòd ſiniſtra magis paſſiva & imbecilliora exſiſtant, adeoque fluxionibus magis pateant; dextra verò majora eſſe, & ideo majores arterias habere atque has etiam majores dein permanere, cùm jam nomen cum officio ferè amiſerunt & nervi adpellantur; ut ita plus quoque ſpiritûs animalis contineant, nec tam facilè, ut ſiniſtræ minores, obſtructionibus ſint obnoxiæ. Verùm abſque diſcrimine modò hanc, modò illam partem hîc adfici crediderim, qualem nempe copioſior materiæ morbificæ in cerebro hîc vel illîc contingens adfluxus occupaverit. Eadem ſanè ubique totius corporis eſt conſtitutio, & æqualis, pro exigentia, ſanguinis ac nervoſorum ſpirituum diſtributio; à qua cùm partium non poſtremum robur dependeat, dextræ præ ſiniſtris nullam prærogativam habere poſſunt: Eſſe autem illas majores, ideoque arterias etiam ampliores poſſidere, ſi ſenſuum fidem & Anatomen, quibus ſolis hîc judicibus eſſe licet, ſequamur, neutiquam comparet. Imò ſiniſtras quandoq; dextris magnitudine præſtare, vel teſtes poſſunt conteſtari, quorum ſiniſter perpetuâ quaſi naturæ lege, dextro major & turgentior eſſe ſolet, arteriaque majori gaudet: Ren ſiniſter dextro ſemper ſecundùm naturam major reperitur: Sic arteriæ cœlia-

cæ ramus dexter ad hepar &c. abiens, ſiniſtro, quem ſpleneticum vocant, minor eſt. Nec, ut hoc etiam addam, vaſtior magnitudo ſemper majus etiam robur evincit: Annon dexter cordis ventriculus ſiniſtrum mole ſuperat? hunc tamen longè robuſtiorem eſſe, vel ſolus ille validus in expellendo ſanguine motus demonſtrat. Ut adeo Nymanno non omnis derogari debeat fides, tam cerebrò dextrum, quàm ſiniſtrum latus poſt apoplexiam adfectum ſe deprehendiſſe, ſcribenti. Et quamvis Foreſtus in ſiniſtra magis fieri obſervaverit, illud tamen fortuitum quid non immeritò reputabimus. Petrus Aponenſis etiam crebriùs dextrum latus, quàm ſiniſtrum fieri paralyticum, in Conciliatore ſuo edixit, [vid. Gregor. Horſtii Concil. enucl. diff. 183.] quamvis nec cauſam, nec quem ei ſuperſtruxerat de curatione diſcurſum propterea adprobaverim; de quibus tamen prolixiùs hîc agere ſuperſedeo.

OBSERVATIO XLVII.

Paralyſis linguæ & malæ ſiniſtræ ſetaceo curata.

D. *S. D. Epiſcopus Alm. &c. temperamenti calidi & humidi, corporis raræ texturæ, catarrhis multis obnoxius, poſt multas atque graves defatigationes in migrationibus & negotiis officii ſui, aliquando paralyſi linguæ & malæ ſiniſtræ afflictus fuit, præmiſſis igitur univerſalibus, poſtq; uſum diſcutientium, & revellentium, ac corroborantium, demum ex conſilio meo, ſetaceum in cervice à chirurgo poni curaverat, dehinc optimè reſtitutus, ſetaceo per biennium ſuſtentato, malo hoc nec unquam in poſterum revertente, & usq; ad grande ſenium ſupervixit.* Sub praxi propr.

SCHOLION SCHRÖCKII.

PLura hîc de ſetaceis, eorum natura, uſu, & adplicatione recen-

cenſeri poſſent, quæ proferre tamen ſuperſedeo, cùm ſufficientiſſimè materiam illam tractaverit indefeſſo ſtudio Eruditos ſibi magnoperè devinciens D. D. Georg. Wolfg. Wedelius in Exercit. de Setaceis A. 1673. in Academia Salana habitâ. Id unicum notâſſe hîc ſufficiat, quòd, uti divertere & evacuare à capite & vicinis partibus vitioſos humores, in genere dicitur, ſic & in hoc Auctoris Caſu ſeroſos humores, ſi non à nervis linguæ & malæ ſiniſtræ, quos occupando reſolverant, revellere, ſaltem reliquum ſerum ſuperfluum, cujus præſentiam frequentiores catarrhi utique arguebant, ſenſim ſenſimque imminuere, evacuare, & ne in majori, quàm decet, copia ad partem adfectam conflueret, præcavere, ideoque occupantis jam reſolutos nervos humoris expulſionem dein facilitare potuerint. Niſi enim continuus materiæ adfluxus contingat, non usque adeo difficulter, modò tamen alia etiã correſpondeant, hujusmodi paralyſes curari poſſe, credibile eſt: Sicut viciſſim minimè mirum, incurabilem exſtitiſſe illam, cujus in Anonymi obſervationib. Riverio communic. obſ. 7. mentio facta, quæ nempe à ſacculo, è robuſta membrana contexto, ſeroſi humoris, per exiguum in fundo foramen ſemper in nervos linguales exſtillantis, pleno fovebatur. Hinc Ampliſſima Medica Lipſienſis Facultas in Excell. D. D. Paul. Ammanni Medicin. crit. caſ. 35. fonticulum quidem non penitus paralyſin tollere poſſe, determinat, impedire tamen, ne cauſa dehinc eam excitans tam confertim ad partes debilitatas fluat, ſed per fonticulum derivetur, & ſic per conſequens evacuetur. Aliàs etiam in paralyſi linguæ incipiente, ut remedium præcipuum commendatum legimus in egregio Scholiorum & Conſiliorum Medic. Thiermairianorum Opere, lib. 2. cap. 13. & 14. videlicet itidem ad fluxiones evocandas, ad exteriora derivandas, humiditates abſumendas, & partes corroborandas. Nicolaus quoque Fontanus lib. 1. reſponſ. & curat. medicinal. in reſponſo

ſponſo ad Tulpium, ægro, cujus paralyſin cum linguæ impedito motu is propoſuerat, maximum à fonticulis juvamentum pollicitus fuerat, addens : *quibus fonticulis, cæteris tamen non neglectis, vidi paralyticos ſanitati reſtitutos.*

OBSER. XLVIII.

Paralyſis ex frigore nocturno.

STudioſus quidam pauper Ratisbonæ in hoſpitio ſuo, tempore hyberno, non occluſâ cubiculi feneſtrâ, aliquoties noctu decumbens dormiverat, indè ob impetuoſos ventorum transeuntium flatus ac gelu intenſum, linguæ paralyſi affligebatur, & ſtupore ſeu immobilitate muſculorum cervicis & colli moleſtabatur, cum gurgulionis ſimul, vel uvulæ lapſu ex fluxione catarrhoſa, uſus tamen, ex mea præſcriptione, oris collutionibus ac gargariſmis calidis, itemq; fomentis & linimentis externis, in paucis diebus feliciter curatus, ad conſueta ſua ſtudia rediit. Sub praxi propr.

SCHOLION SCHRÖCKII.

FRigus externum reſolutionem partium corporis humani inducendi vi pollere, in confeſſo eſt, plurimisque exemplis probari poſſet ; quod non tantùm poros conſtipando, ſicq; vaporibus per illos meatus aliàs naturaliter exterminandis, viam præcludendo, & hinc illos condenſando, ad fluxionesque morboſas diſponendo efficit, ſed & in ipſos intimiores corporis receſſus penetrat, particulis ſuis frigorificis, calori noſtro infeſtis, ſpiritus peſſundans, ſanguinis motum retardans, ſerum incraſſans, ideoque partes debilitans, & ad reſiſtendum copioſioris lymphæ incurſui ineptas reddens ; unde nervorum, præſertim ob exiguum à ſanguinis adfluentis paucitate calorem, aliarum partium reſpectu frigidorum & naturâ debilium, facilè tonum laxari, nemo non videt. Hinc frigus nervis inimicum ipſe Magnus Cous

ſect.

ſect. 5. aphor. 18. edixerat. Hanc frigoris tyrannidem, vi canonis: contraria contrariis curari docentis, excitata ab adhibitis medicamentis internis & externis acrioribus & calidioribus, tollere poſſe febris videtur, cujus nempe excedente calore humor craſſus diſſolveretur, exſiccaretur & abſumeretur. Non quidem repono hîc cum Seneca lib. 2. de ira, cap. 2. abominandum remedii genus eſſe, ſanitatem debere morbo: Hoc tamen notare neceſſe eſt, quòd, cùm calor iſte præternaturalis non craſſiores tantùm in humores agat, ſed & ipſum nativum calorem invadat atque depauperet, ac violenta illa caloris concitatio variorum incommodorum cauſa exſiſtere queat, minùs conducere videatur medela iſta. Unde Dan. Sennertus lib. 1. Medic. pract. part. 2. cap. 27. relicto præſidio hoc minùs tuto, alia tutiora eligenda, benè judicat, cùm accendere febrem facilius ſit, quàm accenſam exſtinguere. Favere tamē credi poſſet Hippocrates 6. aphor. 51. de apoplexia, congenere adfectu, ſcribens: *Qui valentes capitis repentè doloribus corripiuntur, & protinus muti fiunt & ſtertunt, intra ſeptem dies intereunt, niſi febris eos prehenderit.* Id quod calefaciendo, extenuando, atque ſpiritum flatuoſum & pituitoſos humores reſolvendo febrem præſtare, Galenus commentatur. Aſt rectè Heurnius febrem hanc apoplexiæ analogam eſſe debere, notat, non validam, quæ corpus nativo calore exuat, viresque ſolvat: nec tenuiſſimam, cùm materia morbifica ſit contumax. Quis autem Medicus convenientem gradum iſtum arte ſuâ ſe impetraturum, ſpondere ſibi poteſt? Nec duo cùm faciunt idem, ſemper eſt idem. Sanguinem ad efferveſcentiam febrilem diſpoſitum Natura in orgaſmum faciliùs, & blandiori imperio ſuſcitat, atq; hinc major etiam ſalutis ſpes adfulget: Medicus vi quadam id peragens Naturam cogit, cujus tamen miniſter tantùm ipſe eſſe debebat; hinc violenta ſanguinis exagitatio & inflammatio vix in ſalutem ægri vergere poterit.

OBSERV.

OBSERV. XLIX.

Paralyſis gutturis ex potu frigido.

A G. *Pharmacopœus, temperamenti calidi & humidi, corporis obeſi, cùm A. 1671. tempore æſtivo, hauſtum cereviſiæ triticeæ, gelidæ ex hypogæo, ſeu cella ſubterranea modò allatæ, avidus bibiſſet, ſtatim raucedine moleſtatus, vocis languore infeſtatus, gutturis anguſtiam, & deglutitionis impotentiam ſentiit, ut vix unum & alterum cochleare liquoris aut juſculi aſſumere potuerit, adhibitis quidem multis & variis remediis, internis & externis, per novem ferè ſeptimanas, ſed omnibus in caſſum, ſuperveniente demum catarrho ſuffocativo, in paucis horis naturæ debitum reddidit.* Sub praxi propr.

SCHOLION SCHRÖCKII.

QUamvis reſolutionem aliquam ſive paralyſin hîc adfuiſſe, minimè negare velim, ſimplex tamen illa haud fuit, ſed cum angina copulata, tali nempe, quæ latiori ſignificatu omnem faucium adfectionem denotat, quæ deglutitionem impediat. Videlicet largior illæ gelidæ cerviſiæ hauſt⁹, corpori æſtuanti infuſus, non tantùm in adapertos calore poros facilè admiſſus, atque ab æſtuantibus membris avidè ſuſceptus, frigiditate ſuâ ſanguinis, & præſertim obvii primò gutturis calorem obtundere, ac conſequenter robur partium proſternere, lympham item incraſſare, vaſa ejusdem exilia obſtruere, ſicque adfluentis ſubinde ſeri ſtagnationem efficere, ſive, juxta Hippocratis aphoriſmum 24. ſect. 5. catarrhum producere; ſed & nervorum tonum reſolvere potuit, naturalem eorum κρᾶσιν debilitando, ſpiritus jam antea à calore æſtivo attritos ſuffocando, contentum ſuccum inſpiſſando, & hinc aliis à cerebro transmiſſis ſpiritibus aditum præcludendo. Periculoſum ſanè in corpore æſtuante potum frigidæ conſiderans Dioſcorides, ipſis eum venenis accenſet in

fine præfat. lib. 6. ubi varia, quæ exitioſa ſunt, enumerans, è liquoribus domeſticis, vinum abunde poſt Balnea potum, & Paſſum, & Aquam frigidam nominat. Et Celſus lib. 1. cap. 3. *Illud quoque*, ait, *noſſe oportet, quòd ex labore ſudanti frigida potio pernitioſiſſima eſt.* Veram aliàs gulæ paralyſin deſcripſit Nicol. Tulpius lib. 1. obſerv. med. cap. 42. muſculis deglutitioni dicatis tam pertinaciter reſolutis, ut gulâ flacceſcente, ægra ne guttulam potuerit transmittere, licet nec dolor nec tumor, nedum ulla ipſam urgeret anguſtia. Talem quoque paralyſin, quâ omnis deglutiendi & ſentiendi vis, nullo alio infeſtante aut præſente morbo, amittitur, in praxi vidit Petr. Salius Diverſus, Adnotat. in Avicenn. lib. 3. fen. 13. tract. 1. cap. 1. quam ipſi œſophago adſcribit, ortam ab obſtructione villorum nervoſorum, à ſexto pari in œſophagi carnoſum corpus implantatorum; prout etiam hanc carnoſæ ſive muſculoſæ iſtius tunicæ paralyſin cum magna deglutitionis difficultate, quinimo ob fibras penitus reſolutas, cum fame exitioſa obſervavit Thom. Willis, part. 1. pharmaceut. rational. ſect. 1. cap. 2.

OBSERVATIO L.

Paralyſis lateris dextri ex caſu.

Sutoris cujusdam Ratisbonenſis ſervus cùm ex compotatione temulentus, lectum petiturus ſuperioris contignationis ſcalam ſcanderet, retrò & in latus dextrum ceciderat, ac ſtatim linguæ, brachii, femoris, imò totius lateris dextri motu atque uſu deſtitutus, nec ſine contuſione quadam occipitis, & profundè attritâ cute corporis in latere dextro, ſicque tanquam hemiplexiâ tactus, immotus jacuit. Balneator quidem initiò vocatus, exhibito priùs uno alterove cochleari aquæ analepticæ, extemplò oblinivit humerum & membra læſa unguentis anodynis, & emplaſticis, ac impoſitis emplaſtris catagmaticis, metu-

metuens ex caſu oſſium fracturas vel contuſionem, ſicq́; curam ultra octiduum continuavit, ſed ſemper permanente loquelæ defectu, & membrorum lateris dextri immobilitate. Hinc in conſilium accerſitus ego, præſcripto prius clyſmate, ac datis prophylacticis internis, deraſis capillis, juſſi occipitium, cervicem, collum, ac totum latus dextrum cum membris, oleis nervinis & arthriticis calidè inungi, atque occipiti, cervici, & collo emplaſtrum nervinum Vigonis imponi. Triduo abinde incepit æger balbutire, ac corpus & membra rurſus movere. Sed cùm ob paupertatem, & calamitoſum corporis ſtatum, victum & impenſas lucrari nequiverit, non expectatâ curâ plenâ, balbus, ac cum ſuffulcro claudicans, brevi poſt ad lares patrios abivit. Sub praxi propr.

SCHOLION SCHRÖCKII.

Miſera eorum utplurimum eſt conditio, quos caſus ex alto prehendit, & omnium penè morborum expoſiti ſunt periculo. Nervoſum inprimis qui genus infeſtant, crebrò accidere conſtat, apoplexias, epilepſias, convulſiones, vertigines, cœcitates, obmuteſcentias, ſtultitiam &c. Frequentes præſertim ſunt paralyſes. Cùm enim hæ motûs voluntarii impotentiæ à ſpirituum animalium prohibito influxu dependeant, infauſtos autem ejusmodi caſus, corpore naturâ gravi alteri duriori impingente, ejusdem contuſio, & quæcunque alia evidens læſio inſequatur, facilè unà nervi adfici poſſunt. In præſenti Auctoris noſtri Caſu compreſſionem principii ſpinalis medullæ in latere dextro, à ſanguine extravaſato in cauſa fuiſſe, veroſimile videtur; unde inprimis Emplaſtrum nervinum Vigonis occipiti adplicitum, conferentibus tamen aliis ſimul medicamentis ſymbolum ſuum, ſalutarem opem attulit; cùm emolliendi, digerendi, & reſolvendi virtute polleat. Mirum autem videri alicui poſſet, quòd, dum læſio capitis in dextra parte exſtitit, paralyſis in eodem latere ſubſecuta fuerit; cùm aliàs in oppoſito eandem

con-

contingere à multis credatur. Id quod inprimis Aretæus docuit lib. 1. de cauſ. diuturn. cap. 7. cauſamque addidit : *Neque enim dextri nervi in dextras partes ſecundùm rectum usque ad extremum progrediuntur : ſed ab initio enati protinus ad oppoſitas transeunt, ſe invicem in figuram hujus literæ X. quam Græci Chiaſmon vocant, permutantes.* Quam tamen nervorum decuſſationem cùm ocularis fides non admittat, eo ipſo etiam illa paralyſeos in parte læſæ oppoſitæ productio ſponte enervatur, ita ut ſi contingere quandoque hanc daretur, longè alia cauſa inveſtiganda fuerit.

OBSERV. LI.

Paralyſis brachii dextri vicennalis curatio.

A*NNo Chr. 1656. Rev. P. I. H. cùm ultra viginti annos depravato motu brachii dextri laboraverat, ut, quando ſcribebat, aut quicquid aliud agebat, manus cum brachio ſemper extrorſum ac deorſum vergeret, nec ſurſum liberè levaretur, præmiſſis univerſalibus, poſt legitimum thermarum Abacenſium in vicinia uſum, è conſilio meo, in tantum reſtitutus fuit, ut nervis & tendinibus brachii & manus roboratis, omnia munia in ſcribendo & agendo iterum dextrè & aptè ſatis, ſine adjumento extraneo perageret. Quinquennio verò poſt, dum recidivam metuebat, neſcio cujus è conſilio, ad thermas Piperinas profectus, ex earum uſu, omnia in pejus verſa, atq; in veterem brachii affectionem denuo recidit.* Sub praxi propr.

SCHOLION SCHRÖCKII.

THermas Curienſes ſive Piperinas paralyticis non poſſe inutiles eſſe, vel indè conſtat, quòd, experientiâ ſuffragante, ad cerebri & nervorum obſtructiones reſerandas, paſſim ab Auctoribus commendentur. Sunt autem, notante Guilelmo Fabricio Hildano in Epiſtola de illis ſcripta, temperatè calidæ, ſu-

amq;

ámq; virtutem ſpirituosâ quadam ſubſtantiâ, quam meritò thermarum animam vocat, exſerunt. Quo ipſo ſanè torpentes & à viſcidiori vel craſſiori nervoſo ſucco in libera actione ſua impeditos animales ſpiritus refocillare, ac emendato peccante humore, ſui iterum juris facere utique poterunt. Quâ dubio procul virtute Piſcina quoq; illa probatica Judæorum fuit prædita; unde Paralyticus, cujus apud S. Johannem cap. 5. mentio fit, medelam ſibi ab Aquis iſtis medicatis pollicitus fuerat; quas nempe pro naturalibus Thermis habendas eruditè demonſtrare conatur incomparabilis Bartholinus in hiſt. de paralyticis Novi Teſtamenti. Quàm egregiam cæteroquin ritè in uſum ductæ Aquæ iſtæ minerales præſtant operam: tam malè viciſſim cedunt, ſi quid in earum adminiſtratione delinquatur; quod cùm non uno modo obtingere, & difficulter absque Medici præſentia, cuncta exactiùs perpendentis, præcaveri queat, ſiniſtri eventûs cauſam in præſenti Caſu determinare, difficile eſſet. Sacræ ſanè olim Thermæ adpellatæ; prophanâ mente & inconſideratè adhiberi idcirco neutiquam debent. Res enim ſacræ ſacris hominibus communicantur, prophanis id fas non eſt, priùs quàm ſcientiæ orgiis initientur, ut illud Hippocratis in Lege, de Medicina in genere dictum, hîc adplicare liceat.

OBSERV. LII.

Paralyſis inferiorum ſaltem corporis partium.

PAter quidam Capucinus Anno 1668. eâdem diei veſpera, quo manè purgans autumnale, pro conſueto more, ſumſerat, absque omni moleſtatione & incommodo, ſub cælo nebuloſo, in horto Conventus udo deambularat, brevi poſt horâ inferioris ventris & membrorum paralyſin ſenſit, ut nec ſponte incedere, nec pedes tollere,

aut ſcalas aſcendere ſeu deſcendere potis fuerit, neque urinam nec excrementa liberè reddere, (quo affectu etiam bis vel ter antea in alio Conventu per multos annos laboravit) igitur laxantibus, tunc me dirigente, per epicraſin, nec non roborantibus, fomentis, & inunctionibus uſurpatis, intra bimeſtre ferè liberè rurſum incedere quivit, & veſica & anus officiis ſuis facilè functi ſunt, nec bonus Pater in poſterum ullam recidivam paſſus, optimè ſe habuit. Sub praxi propr.

SCHOLION SCHRöCKII.

QUanta & qualis in nervos ſit frigoris energia, in Scholio Obſ. XLIIX. dictum fuit; hîc potentiores exſerere potuit vires in reſolvendis, è lumbaribus vertebris ac oſſe ſacro ad pedes, & reliquas in Hiſtoria memoratas partes abeuntibus nervis; cùm cœlum nebuloſum, & hortus udus impreſſiones ſuas humidas pedibus, ex vitæ genere nudis, unà communicaverit; acceſſit etiam, quòd à purgante adſumto non potuerit non ſuccorum in corpore latentium exagitatio, ſive, ut alii vocant, fermentatio aliqua oriri, deſideratâ eorum, inprimis ſeroſorum ſeparatione, & partim è corpore ſegregatione ſubſequente; unde etiam facilior eorum in partes nerveas impetus ſubſequi deinde potuit. Nec ipſa temporis auctumnalis conditio ſymbolum conferre prætermiſit, quo pauciſſimum ſanguinem in homine gigni, Hippocrates lib. de nat. homin. monet; adeoque natura hominis, cujus præcipuum robur & virtus in ſanguine conſiſtit, frigidior tunc & debilior exſiſtit. Hinc ſanguinem in auctumno à prægreſſæ ætatis calore, ejusq; vi atque effectibus ad pauperiem redactum, ac ſpiritus magis decoctos atque conſumtos in cauſa eſſe judicat Thom. Sydenham meth. curand. febb. ſect. 1. quòd evacuationes tunc temporis damnoſæ exſiſtant, vel non, uti verno, adeo prodeſſe ſoleant. Haud multùm diſſimilem cæteroquin paralyſeos hiſtoriam exhibuit Nobil. D. Alard. Hermann. Cummius Anno I. Ephem. Germ. Curioſ. obſ. 84. duorum

rum ſcilicet, qui adulto jam auctumno puteum exhauſturi, diutius in frigido morârant, inferiorum partium omnium paralyſi tentati. Et Galenus lib. 1. de loc. adfect. cap. 6. frigoris potentiam diverſis exemplis declarat, vocem vitiatam atque penè ablatam memorans, infrigidatis vehementer in collo per hiemem nervis recurrentibus; nec non puerum veſicâ & alvo reſolutum, cùm in fluvio piſces venaretur; nonnullis etiam in frigida natantibus idem accidiſſe, teſtatus; non minùs lib. 4. cap. 4. piſcatoris mentionem facit, cui nominata illa duo corporis emunctoria adeo reſoluta fuerant à nimia refrigeratione, ut, ipſo invito, excrementa ſua emitterent.

OBSERV. LIII.

Paralyſis totius corporis ex hypercatharſi.

ANno Chriſti 1657. Monachus quidam Franciſcanus conſilium meum expetiit, quòd medicinam quandam purgantem vere præterito, ex Medici præſcripto ſumſerit, tantæ vehementiæ, ut indè hypercatharſin per triduum paſſus, brevi poſt in paralyſin totius corporis inciderit, ut nullo modo manus & pedes, nec totum corpus munia ſua obirent. E conſilio igitur meo, aſſumto primò laxativo, ad thermas Abacenſes delatus, obſervatâ ſedulò regulâ balneandi & diætandi, intra tres quatuorve ſeptimanas feliciter reſtitutus, ut ſolus iterum deambularet, miſſam celebraret, & liberum motum corporis, manuum ac pedum haberet, ſicq; lætus ad Conventum ſuum rediit. Sub praxi propr.

SCHOLION SCHRÖCKII.

SI in ullo Hygeiæ remedio, in purgantium ſanè exhibitione magnâ opus eſt cautelâ & prudentiâ, quibus nempe in actum deductis, non leves in corpore turbæ cientur. *Et quî non eſſet res*

res hæc magna molis? [ut Cl. Bernar. Svvalvii verba ex diſquiſit. therapeut. general. ſect. 2. mutuem] *ipſa pharmaci eſſentia alienus in corpore eſt hoſpes: humor vitioſus ſibi redditus nullibi quieſcit: cor ſtimulum & acrimoniæ moleſtiam à pertranſeuntibus perſentiſcit: Regia corporis invaditur: ipſa Majeſtas læditur.* Quas turbas ſi circumſpectè propinatum pharmacum excitet, quantas vehementiori vi, quàm decebat, præditum concitabit? Dolendum itaque, tam frequenter & impunè ubique Circumforaneorum temeritate, & quorumvis aliorum, medicas quibus habere manus libido eſt inſcitiâ, arduum adeo negotium tractari & exerceri. Hinc tot lachrymæ; hinc Urbes civibus ſpoliantur; hinc ſubditorum vires enervantur; hinc ſaluberrima auxilia infamantur. Utinam, quæ Divinæ illas auræ particulas exſecrandis poculis, pilulis, pulviſculis &c. exturbare ex adamato corpore nefariè audet, Supremâ tandem Auctoritate, Orbe expurgaretur Medicaſtrorũ colluvies! Exempla nolo congerere, cùm frequentiſſima ubique locorum plus ſatis occurrant. Si ullum unquam, illud certè Heslingianum Azoth obſervationem meretur. Ut enim, quid in noſtra Civitate (ad quam ut Panacearum hujusmodi penè omnium fit confluxus, ita & hæc benedicta (ſcil.) Hermetis avicula olim advolaverat,) præſtiterit, taceam; quàm periculoſas, doloroſas & letales hypercatharſes δραστικὸν hoc medicamentum induxerit, Exc. D. Valent. Andr. Möllenbroccius Anno I. Miſcell. Germ. Cur. obſ. 54. recenſuit; cujus etiam examen tract. de Varis cap. 13. dederat; & Nobil. D. D. Laurent. Strauſſius pag. 204. Reſolut. Caſ Muſſipont. tale ipſi erexit Epitaphium: *Multi ante biennium plenis buccis extulerunt Heslingianum Azoth, nunc ab eo penitus laſſi & ſatis debiles.* Quorum infauſtorum magni auxilii effectuum ſi attentiùs & ipſi Medentiũ nonnulli recordarentur, cautiores in catharticorum exhibitione fierent; ſiquidem & ipſos hac in parte quandoque errare, diffiteri

fiteri nemo poteſt; & in præſenti Caſu Monachus ſuo id damno expertus fuerat, hypercatharſin, naturam vehementis medicamenti acrimoniâ ſtimulante & nimiam humorum fuſionem excitante, perpeſſus. Qui turbulentus corporis ſtatus, humoribus liquatis & turgeſcentibus in debilitatos nervos decumbentibus, paralyſin progignere facilè potuit. Hinc eſt, quòd paralyticis fortiora purgantia neutiquam convenire ſtatuantur; ne iſtâ humorum commotione major in partem adfectam decubitus excitetur, obſtructioq; adaugeatur. Quare Cl. Welſchius noſter in not. ad obſ. 30. Hier. Martii, de paralyſi ex apoplexia agens, fortioribus purgantibus plerunque aut parum promoveri, aut exagitatis humoribus ſpinæ impactis, novos ac periculoſos paroxyſmos cieri, animadvertit; atque Ill. Thiermairius lib. 2. Conſil. medic. cap. 4. paralyticos ex uno latere reſolutos, tentatâ per acre medicamentum materiæ eductione, ex altera etiam parte paralyſi correptos, vel omnimodâ apoplexiâ concidiſſe, ſuâ & Solenandri experientiâ teſtatur.

OBSERV. LIV.

Paralyſis totius corporis flatulenta.

C*Apucinus quidam, frater laicus, A.* 1671. *in paralyſin corporis totius flatulentam ex cruditate & frigore incidens, peregrè Ratisbonam ad Ordinis ſui Conventum ſub magna cæli inclementia, & frigore udo deportatus, ſub mea cura, lenientibus, ſudoriferis, & decenti diætâ, intra ſex ſeptimanas ſublevatus ad munia ſua rurſus peregrè pedes diſceſſit.* Sub praxi propr.

SCHOLION SCHRÖCKII.

FLatulentas hujusmodi paralyſes Hippocratem etiam agnoviſſe, ejusdem de flatibus libellus monſtrat: *At verò & apoplexiæ* (quo ſub nomine ipſi non morbum attonitum ſaltem ſi-

ve apoplexiam noſtro jam tempore ita vocatam, ſed paralyſin ſæpius venire, ex ipſo textu patet, atque ab aliis jam demonſtratum fuit,) *ex flatibus oriuntur, nimirum quando flatus frigidi & copioſi carnes ſubierint & inflarint. Hæ enim corporis partes ſtupidæ redduntur. Et ſiquidem multi flatus totum corpus permeant, totus homo apoplecticus redditur, ſi verò partem aliquam, pars illa. Atque ubi quidem flatus illi diſceſſerint, morbus ceſſat.* Diſcedunt autem, non neglectis, ubi opus eſt, univerſalioribus, uſu carminativorum; quorum uti magna cum diaphoreticis & ſudoriferis eſt convenientia, quod egregiè docuit Exc. noſter Wedelius lib. 2. de Medicament. facult. ſect. 2. cap. 3. ita hoc ipſo ſudorifera in paralyſi non eſſe prorſus rejicienda, eluceſcit. Nec tantùm in flatuoſo ejusmodi morbo, ſed & ab alia cauſa ſi foveatur, prodeſſe poſſunt, ſive lympha craſſior, aut etiam juſtò copioſior nervoſa corpora inundet, relaxet & obſtruat, ſive unà quædam grumeſcentis ſanguinis particulæ, quas accuſat Cortnummius libr. de morbo atton. cap. 56. §. 19. in ſpinalem medullam deſcendant; utrobique enim diaphoretica, ſi nihil aliud obſtet, locum inveniunt, cùm non tantùm ſerum craſſum & viſcidum, tum ipſis nervis impactum, tum reliquis è corporis partibus adventurum, incidendi, rarefaciendi, & per cutaneos poros expellendi, ſed & ſanguinis grumos diſſolvendi poteſtate polleant. Hinc non immeritò Septalio lib. 6. animadverſ. medic. num. 74. in ſudorifera juſtò iniquiori, multi Medicorum ſeſe oppoſuerunt; qui tamen Hippocrateâ auctoritate ſeſe munire laboraverat, cùm in Coac. prænotionib. morbum hunc urinis repentè multis, & abunde prorumpentibus ſolvi, ſudoribus autem confertim manantibus in deterius ruere, ſcribatur. Nec diffitendum, Hippocratem Coac. prænot. §. 359. Cod. Foëſ. ἀναυδίην, i. e. loquendi impotentiam (quam multùm perſeverantem, malam; parùm autem durantem, linguæ, brachii &c. paralyſin denunciare, adſtruit,)

ſtruit,)

ſtruit,) magnâ urinæ excretione ſolvi, adſerere; & ſeq. §. 360. ſudores ἀϑρόως effuſos noxios adpellare: Aſt ſi illud Hippocratis effatum, quod de anaudia in convulſionibus conſpicua agit, ad reliquas etiam paralyſeos ſpecies trahere liceat, Ipſe ſanè de immoderata ſaltem ſudoris evacuatione ibidem tractat, ac quòd noceat, edicit; Et rectè, nam, ut ſect. 2. aphor. 51. habet, *plurimùm & repentè vacuare, periculoſum; omne ſiquidem nimium naturæ inimicum*. Hinc tantùm abeſt, ut magnus ille Medicinæ princeps omnes indiſcriminatim ſudores rejiciat, quin potiùs eodem §. 360. *ſenſim prodeuntem juvare*, expreſsè moneat. Uti Medicus in omni curatione virium ſedulò habere rationem tenetur: ita & in ſudore proliciendo cavere ſemper ſtudiosè debet, ne jacturam earum promoveat. Sed partem tantùm humoris peccantis tenuiorem exhalare, Septalius infert, craſſiore relictâ, quæ ſic magis condenſetur, obſtruat, & curam difficiliorem reddat: Aſt metum hunc eſſe fruſtraneum, Sennertus lib. 1. Medic. pract. part. 2. cap. 27. quæſt. 3. innuere voluit, dum illa ipſa ſudorifera vim habere attenuandi, ádmonet. Quamvis itaque ſudorifera non æquè omnibus promiſcuè prodeſſe ſoleant paralyticis, nunquam tamen convenire, neutiquam eſt dicendum. Ut enim de externo hydroticorum uſu nihil dicam, cùm ſalutarem Thermarum & Laconicorum opem, creberrimâ experientiâ confirmatam, nemo negare valeat; internum etiam uſum ſæpe ſanitatem reſtituiſſe, conſtat. Quo intuitu inprimis Sirupum è ſemine milii, S. Ambroſii dictum, Laurent. Schulzius Conſil. medicin. 50. & Auguſtin. Thonerus append. epiſt. med. 14. commendant; & paralyticum 40. annorum Decocto ligni ſancti curatum, ex Nicol. Benzoni Sched. Pract. in Volumine 4. Actor. Med. Hafniens. obs. 24. productis, conſtat.

OBSER. LV.

Epilepſia annua dentitionis tempore.

Puella ſemeſtris ab ortu dentitionis ſemper circa Lunæ mutationes epilepſiâ affligebatur, ſed perbrevi; exacto verò paroxyſmo, ſe mox recolligens, ridebat, ludebat, hilarisq; iterum in cubiculo diſcurrebat. Juſſi tamen præſervandi & curandi gratiâ qualibet veſperâ ante Lunæ mutationem infanti porrigi, & præcipuè in principio acceſſionis epilepticæ (ſæpius etenim & ex leviſſima cauſa ad iram commota, paroxyſmo ſtatim ejusmodi infeſtabatur) doſin certam de pulvere quodam antepileptico cum aqua hirundinum ſimplici, & ceraſorum nigrorum. Aſſiduo demum uſu pulveris hujus, & iteratâ ſpinæ dorſi atq; cervicis inunctione ex oleo rutaceo, ſemper paroxyſmus mitior & tardior revertebatur, usq; poſt annum, dentitione penitus peractâ, acceſſiones epilepticæ ſponte ceſſarunt, ac infans in univerſum ſublevata permanſit. Sub praxi propr.

SCHOLION SCHRÖCKII.

Hippocrates ſect. 3. aphoriſm. de morbis ſecundùm ætates evenientibus agens, dentitionis tempore, præter gingivarum pruritus, febres & alvi profluvia, convulſiones etiam puerulis metuendas, aphor. 25. edixerat. Quamvis enim facilè multis prodeant, plerisque tamen non ſine inſigni moleſtia & doloribus erumpere obſervantur, à quibus ſæpe ſæpius periculoſi epilepſiæ inſultus ſuſcitantur. Qua ratione convulſiones has, tum propter crudum alimentum, & nervoſarum partium nativam adhuc debilitatem, tum propter *dolores*, vigilias & inflammationes accidere, in Comment. dixerat Galenus. In quo autem veræ epilepſiæ cauſa exſiſtat, prolixiùs disquirere ſupervacaneum eſſet, cùm id plures alii ſufficienter jam præſtiterint. Sufficit, eandem à materia, qualitate aliquâ pravâ ſpiritibus animalibus infeſtâ, eorumque organa, membranoſas & nervoſas cerebri

bri partes pungente & irritante, oriri, ſive ea bilioſam, acidam, ſive ſalſuginoſam & muriaticam, aut malignam venenatam indolem referat. Id quod etiam ſpeciatim in epilepſia à dentitione inducta locum invenit. Unde halitibus acidiuſculis, ad nervorum principium penetrantibus, Celeb. Franciſc. de le Boë Sylvius lib. 4. Prax. med. tract. 1. cap. 7. §. 10. cauſam adſcribit, quos præſertim ex gingivis, à ſanguine reſtagnante inflammatis, elevari judicat. Quo ipſo non diſſentit ab aliorum Chimicorum, Quercetani &c. ſententia, quæ vaporem vitriolatum pro cauſa epilepſiæ efficiente agnoſcit. Si enim omne acidum, quod vult Helmontius, extra ſtomachum corpori inimicum, non mirum, ſi ad cerebri ſubſtantiam delatum, illud pungat, rodat, & ad expellendum hoſtem irritet. Quin & ab agitatis conturbatisque in iſta ſymptomatum moleſtia, univerſi corporis humoribus, aliunde etiam halitus acres in cerebrum irrumpere poſſe, §. 11. ſtatuit. Hinc ſanè Hippocrates lib. de dentitione, minùs convulſione tantari, ſcribit, quibus alvus dentitionis tempore crebriùs ſolvitur; evacuatis nimirum humoribus, acredine ſuâ motus iſtos concitaturis. Clar. etiam Williſius lib. de morb. convulſ. cap. 4. nervorum quinti paris unam & alteram inſignem propaginem ad dentis cujusque radicem pertingentem, à ſuffuſis à ſanguine in circuitu præpedito, acrioris ſeri particulis vellicari, ſicque corrugationibus & ſpaſmis dolorificis torqueri adſerit, qui ſenſus moleſtus ac irritativus dein ipſi τῷ πρώτῳ αἰσθητηρίῳ communicetur, vel etiam ſanguinem effervescentem particulas heterogeneas, ſpiritibus adverſas, regimini animali ſuffundere. Idque tantò faciliùs evenire poteſt, ubi ira ſanguinem in fervorem concitaverit; quâ ſanè ſpiritus non parùm turbari, nemo eſt, qui ignorare queat.

OBSERVATIO LVI.

Epilepſia ex utero mirabilis.

ANno Chr. 1659. puella pia, pulchra, modeſta, ætatis anno tredecimo inceperat queritari anguſtias circa præcordia, evaporationes fuliginoſas, anhelitus graves, poſt aliquot dies epilepſiâ correpta ad quinque ferè ſeptimanas, ſingulis diebus ſemel vel bis inſultus graves, interdum ad trihorium durantes, interdum breviores ſuſtinuit, ab initio cum jactatione capitis & brachiorum ingente, inferioris verò corporis motu vix ſenſibili, ſub interſtitio paroxyſmi unius ad alterum ſe benè habebat. Hæc quando ſentiebat, veluti matri aſſiſtenti atq; mihi ipſa indicaverat, vaporem è lumbis per dorſi ſpinam ſurſum nucham usque repentem, tunc oculi caligare inceperunt, caput poſtmodum & brachia jactabantur, ac ſubſequenter quaſi cataleptica apertis oculis, ſine omni corporis motu & ſenſu ultroneo, ſervatâ tamen naturali reſpiratione, cumbebat; aſt ſub hoc temporis ſpacio plenâ ac abſonâ voce clamitavit, paulò poſt gallum cantantem ſæpius imitata eſt, aut arguto & ſuaviſſimo ſono melodias variorum hymnorum in templo uſitatorum edidit, atq; demum fatigata aliquantulùm adhuc immota, tanquam dormiens decubuit, evigilans dein è ſomno quaſi profundo, mirabatur circumſtantes, nec ullius, quicquid ſub paroxyſmo egerit, vel paſſa ſit, commemor, nihil mali præter obtuſum & exiguum dolorem capitis querebatur, ac munia ſua rurſus, tanquam mente & corpore ſana, ſubivit. Hoc autem malo, auxiliante DEO, præter plurimorum ſpem devicto, adhibitis clyſteribus vapores diſcutientibus & revellentibus, aſſumtis pilulis melanogogicis, aliisq; remediis hyſtericis, quibus cardiaca & antiepileptica permiſta, nec non ſanguinis miſſione, itemq; frictionibus, ac ventoſis ſine ſcarificatione in femorum interiori parte deorſum ſæpius tractis, menſtrua prodire inceperunt, tuncq; tam acerbus morbus & enumerata ſymptomata omnia ceſſarunt, & ejusmodi malo ultrò, præter unam alteramve vicem

cem

cem in ſubſequente ſolummodo bimeſtri, ac breviſſimo quidem inſultu puella infeſtata, deinceps optimè ſemper valuit.

SCHOLION SCHRöCKII.

QUàm verè in Epiſt. de nat. human. Democritus ad Hippocratem ſcripſerit: *Gravis calamitas, ſexcentarum ærumnarum mulieri auctor uterus*, indies miſellæ experiuntur, inprimis ſi abundans in corpore ſanguis, conſuetâ per uterum viâ à natura expurgandus, vel juſtò parcior effluat, vel planè ſubſiſtat. Quas enim non malorum turbas excitat? quæ corporis pars immunis ab eo eſſe poteſt? Ipſam cordis invadit regiam, & nobiliſſimi uſûs cerebrum miris modis infeſtat atque perturbat. Hinc cachexiæ infauſtæ, cordis crebræ palpitationes, periculoſæ lipothymiæ, & præſertim horrendæ ſæpius epilepſiæ. Quamvis enim menſtruus ille cruor omni qualitate nocivâ careat, diuturniori tamen in corpore morâ atque retentione vitioſus evadit, & acres in eo emergunt exaltanturq; particulæ, quæ ad cerebrum delatæ, pungendo & irritando epilepticos inſultus ſuſcitant. Unde etiam reſeratis naturâ & arte viis iſtis muliebribus, hos ſponte ceſſare, faciliusve expugnari, obſervatur. Sic Virgo illa, cujus mentio fit in Anno I. Miſcell. German. Cur. obſerv. 86. ex menſium retentione epileptica, cùm nupſiſſet, & puerpera facta, à partu optimè purgata fuiſſet, libera ab iſto morbo evaſit. Puellam eodem malo adflictam, cui menſes inordinatè & parciùs fluxerant, Pilulis fini huic datis curatam memorat Henricus ab Heer obſerv. med. 24. Puellæ itidem Aretinæ apud Benivenium cap. 97. de abdit. morbor. cauſ. prorumpentia catamenia ſalutifuerunt. Quod & in Auctoris noſtri Obſervatione deprehendimus. Tam varii autem & rari ſunt quandoque epileptici iſti paroxyſmi, ut ſummam meritò pariant admirationem, atque incautioribus de immundi Spiritûs præſentia ſuſpicionem moveant; hosq; priſcis jam temporibus non paucos feſelliſſe novimus;

mus ; unde etiam Aretæus lib. 1. de cauſ. diuturn. cap. 4. de nomine, quo ἱερὸ νόσ⊙, *ſacer morbus* vocatur, agens, alias inter cauſas, ob quas impoſitum id ipſi fuerit, etiam addit : *Quoniam Dæmone correptus eſſe homo videatur.* Speciatim verò de talibus agunt: Thom. Bartholinus cent. 2. hiſt. anatom. 72. nec non tract. de Morb. Bibl. cap. 18. & 19. D. Paulus Ammannus Medicin. critic. caſ. 96. Joh. Nicol. Binningerus cent. 2. obſerv. medic. 21. Achilles P. Gaſſerus Chronic. Auguſt. Ann. 1563. Paulus Zacchias Quæſt. medico-legal. lib. 2. tit. 1. quæſt. 14. & Rodericus à Caſtro lib. 2. de morb. mulier. cap. 2.

OBSERVATIO LVII.

Opiſthotonus brevi curatus.

ILL. Comes de S. redux in itinere è Bohemia Ratisbonam verſus, tantâ dorſi & vertebrarum convulſione afficiebatur, ut nec erectus ſtare, nec ſedere, nec ſponte ſe flectere, vixq́; in lecto quietus cumbere potuerit, & ſæpiſſimè viciſſim dorſo & collo incurvatis atque retrò reflexis ſe levare cum magno dolore, neceſſe habuerit. Convocatis ſtatim Ratisbonæ Medicis duobus, auxilium imploravit ; unus eorum morbum pro planè deſperato judicaverat, alter morbi curam perdifficilem fore, atque ad ſemeſtre protrahendam prædixerat ; horum præſagiorum impatiens æger, meum conſilium expetiit, atque clyſmate, ſudoriferis, & inunctionibus præſcriptis ſedulò uſurpatis, intra octiduum malum hoc moleſtum ac periculoſum prorſus evanuit, & priſtinæ ſanitati reſtitutus fuit. Sub prax. propr.

SCHOLION SCHRÖCKII.

SPaſmus quilibet variis à cauſis ut oriri poteſt : ita hæc etiam ſpecies, quæ Opiſthotonus dicitur, & cervicis ſpinæq; verſus poſteriora violentam denotat à morbo flexionem. Scilicet quæcunque cauſa nervoſarum partium irritationem excitat, conten-

tosq;

toſq; in illis ſpiritus inordinatum in motum rapit, muſculorum ſimul, ad quos nervi feruntur, verſus principium ſuum, & conſequenter partium, quarum motui aliàs per naturam inſerviunt, contractionem efficit. Sic in tendine illo pedis peramplo & craſſo, qui chorda Hippocratis dicitur, vulneratum juvenem miſerrimè ex hoc morbo interiiſſe, Dominic. Panarolus pentecoſt. 2. obſerv. 15. refert; & alium clavo pedis digiti infixo, cùm vulnus neglectim haberetur, maximâ violentiâ opiſthotono convulſum memorat apud Joh. Schenckium in obſervation. Medic. ſenior olim noſter Tobias Cneulinus. A vermibus pueros tam malè adfectos, ut retrorſum convellerentur, capite calcaneos penè attingentes vidit Vict. Trincavellius lib. 9. de rat. cur. partic. corp. adfect. cap. 11. Non minùs vehementem dorſalis ſpinæ ab effuſa è veſica, quam calculi duo attriverant, urina, incurvationem, ut univerſum corpus inſtar alicujus globi retrorſum conglobari videretur, Nic. Tulpius deſcribit lib. 3. obſerv. medic. cap. 2. Tria aquæ cochlearia craſſam meningem inter & cerebelli poſteram ſedem comperit Neretus Nerutius apud Joh. Schenckium lib. 1. obſ. med. in puero, ex opiſthotono defuncto; quam quidem acri qualitate præditam unà fuiſſe, neceſſe eſt, ſi ſpaſmi iſtius cauſa exſtiterit, cùm aliàs paralyſin potiùs cauſata tantùm fuiſſet. Spaſmum, tam emproſthotonum quàm opiſthotonum in India orientali endemium & crudelem Jacob Bontius cap. 2. Meth.med.Ind.Orient.delineat; & obſerv. ſelect. 1. Militem eodem intra quatriduum jugulatum, cerebri ventriculos materiâ quadam viſcidâ ac glutinosâ, colore luteo, vitello ovorum perquam ſimili, & admodum fœtidâ repletos exhibuiſſe recenſet; quàm eo ipſo non ſimplex aliquod inſipidum ſerum, ſed acutioribus præditum ſpiculis fuiſſe, innuere is videtur; & cùm craſſitie unà peccaverit, eò magis nervorum ſubſtantiæ & tendinibus infigi potuit; ſiquidem convulſiones à

craſſiori ſeroſo humore, convulſivos autem motus à tenuiori facilè diſſipabili halitu provenire, veroſimile exſiſtit.

OBSERV. LIIX.

Pulvis rheumaticus:

ANno circiter Chriſti nati 1658. vir quidam militaris, nomine Jacobus Weidenfeld/*patriâ Colonienſis, Ratisbonam venerat, medicinam vendens quandam ad purgandum caput ab omni humore excrementitio, ſub forma pulveris griſei cum albido mixti, pretio ſatis ingenti, conſiderato ſexu & ætate, in varia doſi. Imponebatur autem pulvis hic parùm madefactus extremis oris utrinque narium, ea tamen cum cautela, ut ne cerebri meninges convellerentur, ore patulo patiens ſemper & corpore & capite inclinato ſederet, aut ſtaret, quo usque humores profluebant, compreſſis interim per vices paulùm & leniter, aſt non emunctis, naribus, tunc è momento incepe-runt mucor & humores excrementitii, non ſine riſu & demiratione adſtantium, continuato fluxu & connexu, ad quadrantem horæ per nares ac palatum profluere, imò etiam ex oculis deſtillare, & cùm humoris craſſi & viſcoſi defluxiones ſponte deſiſtebant, ſignum fuit evacuationis completæ, ac deinceps patiens corpus & caput reflectens erigere ſe, & circa tempora, ſinciput & verticem expanſis manibus retrorſum fricari jubebatur. Vix dictu credibile, quàm hilares & leves in capite ſe ſenſerunt patientes poſt hujus pulveris uſum. Si major copia humorum in ſincipite, major fluxus per nares; ſi major in occipite, per palatum major fluor fiebat: tardior vel lentior operatio, micâ panis toſti ad nares calidè admotâ ſtimulabatur. Ajebat medicaſter, ſe biennio vel triennio ab hoc tempore, è Terra Sancta in Germaniam reducem, medicinam hanc per Medicum Arabicum in ſecreto obtinuiſſe, ac de trunco ſeu ſtipite certæ cujusdam arboris eſſe in Arabia creſcentis; defectum ſive penuriam ſibi ſuppleri curâ & familiaritate Patriarchæ Damaſceni. Arborem hanc, præterea referebat, eſſe craſſitie & pro-*

& proceritate malò noſtrati non diſſimilem, patulis ſed paucis ramis, corticem habere non valdè rugoſam coloris ſpadicei, medullam ligneam coloris ſubalbidi, duriorem quàm in arbore malo, frondeſcere cum foliis ſalicis, germinare cum flore magno, rotundo, patulo, in diametro propè pedali, qui intus colore varius, viridi, cæruleo, rubro, nigro, artificioſè intertexto, exteriùs, vel in extremitate ac laciniis flavo; floribus ſuccedere fructus, baccas ſcilicet vel pomula parva, rotunda, ſubnigra, ſed nullius uſus, quæ & ſponte decidunt. Arborem hanc in lingua Arabica [illegible] *(Eſtiopata) vocari. Truncum, qui odore & ſapore aromatico, inſigniter acri, ſolus hactenus ab octodecim annis apud Arabes in uſum medicinalem venerat, in particulas parvas & minutim diſſectum, atque ſubtiliſsimè pulveriſatum calcinari, in vaſe æneo ſuper carbone ignito, usque dum fumus acris, ſubcæruleus de pulvere devolaverit, cui ob acrimoniam inter calcinandum propè adſtare nemo audeat. Experimentum hujus pulveris cum effectu bono in perſonis illuſtribus, mediocris ac inferioris ordinis, tam religioſis, quàm ſecularibus utriusq; ſexus, & diverſæ ætatis in urbe Ratisbonâ factum fuit.* Ex obſerv. propr.

SCHOLION HELLWIGIANUM.

DE hoc pulvere rheumatico legatur in Tomo, ſeu Anno I. Ephemeridum medico-phyſicar. Academiæ Naturæ Curioſorum in Germania, obſervatio 34. ubi ex epiſtola Nob. D. Johann. Michaëlis Fehr, Phyſici Suinfurtenſis, perhibetur, eundem medicaſtrum anno 1661. Suinfurti fuiſſe, ac eundem pulverem cum magno applauſu vendidiſſe, & ex radice rheumatica Caroli Cluſii præparatum eſſe. Meminit etiam P. Schottus, S. I. lib. 12. Phyſicæ curioſ. hujus pulveris; nec non & D. Philipp. Jacob. Sachs, Phyſicus Uratislavienſis, in ſcholio ad obſerv. prædictam refert, quòd idem, vel talis homo cum pulvere ſuo Uratislaviæ A. 1664. in nundinis fuerit, & applauſum magnum habuerit; vid. etiam Annus II. dd. Ephem. append. Placet his ad-

 jun-

jungere literas, quæ Româ Ratisbonam, & viciſſim Ratisbonâ Romam de hac materia miſſæ fuerunt, ex quibus reverendi & excelſi nominis P. Athanaſii Kircheri, S. J. ſententiam, ſenſumq; meum quis percipere poteſt:

Sebaſtiano Denichio, Præſuli Almirenſi, Suffraganeo Ratisbonenſi. Reverendiſſime & Illuſtriſſime Præſul.

Mirabitur forſan meam in reſpondendo tarditatem, ſed cauſas ejus paucis expono. Jam à menſe ingenti auriculari catarrho ita divexatus fui, ut me ferè ad omnia inhabilem reddiderit; obſurduiſſe videbar omnibus, nec quicquam medico proficiente ſuis paſſim dari ſolitis alexiteriis, DEI gratiâ tandem convalui â ſurditate, remedio mihi à DEO inſpirato, & fuit ſulphuris accenſi vapor intra aures immiſſus. Atque hic fuit rerum mearum hucusque ſtatus. Literas interim Illuſtr. D. V. penitus excutiens, circa mirum illud neſcio à quo empirico propoſitum medicamentum, tria ſtatim in eo impoſturæ veſtigia ſubolfeci. Primum fuit, quòd pulveris nomen Arabicis literis exhibere voluerit, quæ literæ non arabicæ fuerunt, ſed cabaliſticæ & amuletariæ, ex planetarum ſignorumq; characteribus confictæ, verum quivis facilè advertere poterit. Secundum fuit vox Estiopata; quæ vox Arabica non eſt, ſed per anagrammatiſmum id ſignificat, quod est opiata. Eſt autem opiata confectio ex opio, helleboro, ſimilibusque mirificè caput expurgantibus medicamentis confecta, Mahumetanis valdè uſurpata, utpote quæ mirificam vim ad capitis humores trahendos obtineat, ſpiritus corporis ad inſaniam usque excitet, opportunum proinde remedium, quo ad hoſtes furioſè invadendos utuntur. Tertium eſt, quòd Archiepiſcopus, ſeu Patriarcha Damaſcenus illud diſpenſare ſoleat. Ego ſanè alium Patriarcham Damaſcenum neſcio, quàm Patriarcham Maronitarum, qui habitat in monte Libano in Monaſterio Cenubin, mihi literis notiſſimum; ſed neque à Maroni-

ronitis hìc Romæ meis amicis, neque ab ipſo Patriarcha, de hoc mirifico pulvere quicquam innotuit; utique hîc, ſicuti multa alia peregrina à Maronitis mihi communicantur, ita & hoc tanti momenti non prætermiſiſſent. Addo quartum, nullum hìc mercatorum Arabum de hujusmodi Arabiæ felicis arbore ejusq; virtute quid noſſe. Indè concludo, nullam ſimili medicamento fidem adhiberi poſſe & debere, cùm & periculoſiſſimum ſit, & à ſuperſtitioſis lucris profectum, quibus in more poſitum, ſine magico amuleto nullum ferè ſimile medicamentum exhibere, uti in Magia & Cabala Saracenica fusè oſtendi tom. 2. Oedipi part. 1. ſyntagm. 4. Et de virtute quidem iſtiusmodi pulveris non dubito, cùm innumera in Oeconomia botanica reperiuntur, quæ ſimiles effectus præſtent, ut ſunt helleborus, ſolanum, peplion hyporrabicum, opium omne certâ arte præparatum; & ſimilia reperiuntur in Proſp. Alpino de plantis Ægypt. De virtute itaque talis, uti dixi, pulveris non dubito, ſed ut tales ſtatim aſſumtum effectus præſtet, quos Ill. D. V. deſcripſit, illud dico eſſe ſuſpectum; & ponamus non eſſe ſuſpectum, dico tamen nullâ ratione adhibendum eſſe, ob ſummam, quam naturæ infert violentiam, & damna vitalis œconomiæ irreparabilia. Atque hoc eſt meum de pulvere dicto judicium, ſalvâ doctiorum Medicorum opinione. Nil igitur reſtat, niſi ut me gratiæ ſuæ commendatum habeat. Vale, Decus Præſulum, meque, ut ſoles, ama. Romæ 20. Julij, 1658. Athanaſius Kircherus.

Reverendo admodum Patri, Dn. Athanaſio Kirchero, S. J. Feliciter agere! Reverende admodum Domine Pater.

Quantùm contriſtatus fuerã de percepta ægritudine tua, tantùm iterum lætatus ſum, cùm literas manu tuâ ad Rev. Dn. Præſulem Almirenſem videbam exaratas. Et quid ni? dignus etenim omni benevolentiæ & amoris affectu, quem omni honore dignum cenſet, & cui ſceptra ſubmittit literarius Orbis. Aver-

runcet, precor, Altiſſimus, ne priùs Cœlum laboris præmium capias, antequam nobis Mundum ſubterraneum ſagaci operâ tuâ recluſeris & publicâris, quem omnes anhelantes expectamus. Sententiam tuam, Vir reverende, de pulvere ſeu medicamine empirico in præmemoratis literis tuis ex benevola Reverendiſſimi Præſulis communicatione, jucundam ſanè perlegi; ſagaciter omnia & eruditè. Litterulæ ipſe enim, quarum figuras ego in ullo Orientalium ſcriptore unquam invenire, aut pro Arabicis agnoſcere non potueram, ſcrupulum mihi impoſturæ movevrunt. Nec diſplicet anagrammatiſmi enodatio, ſi latiori ſumitur ſignificatione Opiatæ vocabulum. Sub hoc ſiquidem Veteres illa magna medicamenta, quæ opium admittunt, vel ſtuporem inducunt, intellexerunt; moderni verò etiam multas confectiones cardiacas, alterantes, purgantes, vocabulo hoc denominant, [ut Renodæus lib. 3. Inſtitut. pharmaceut. tempeſtivè annotavit,] credo, ob ſubitas earum operationes. Linquamus interim Empirico ſecretum ſuum, quo hactenus multorum loculos emunxit, & eſt inventum illud non ita modernum; octavo etenim abhinc anno, & quod ultra, eodem cum medicamine idem homo Bavariam peragraverat, uti incolæ quidam mihi narraverunt, qui eo non absque effectu bono, iſto tempore quoque uſi ſunt. Imò ante ſedecim annos in Helvetia Lucernæ & Tiguri quendam Doctorem medicum pro uſu communi ægrotorum ſuorum, ejusmodi pulverem in eadem ſubſtantia, colore, odore, ſapore, inque eundem finem, in publico præparari pharmacopolio curaſſe, fide dignus noſter Pharmacopœus, qui Societatis Collegio hac in urbe pro tempore inſervit, retulit. Placuit quoque diſcurſus R. T. de conficiendo ejusmodi pulvere valdè elegans; ſed ſecreti hujus pulveris præparationem legitimam ex Agyrta illo audire, poſito quocunque pretio, hactenus non licuit; licuit verò ex operoſa inveſtigatione, & variarum

rum compoſitionum experimento demum ſubolfacere, pulverem hunc certè ex nihilo alio, quàm ex euphorbio fore compoſitum. Obſervârunt hîc quidem aliqui, ſub hujus manibus ſæpius tractari radices pyrethri & morſus diaboli, indè in experimentum conficiebant ex dictis radicibus tritis, & cum pauco Zingibere ac cornu cervi præparato miſtis pulverem ferè ejusdem coloris cum priore, ſed ſaporis acidioris, dum iſte ſit acris & aromatici, phlegma etiam ac humores ſeroſos è naribus atque palato trahebat, aſt non tam citò & potenter veluti dictus. Quocircò ſagaciori proceſſu alii procedentes, præparârunt ex euphorbio & calce tritâ, qui quidem potentiùs humores, ac majore cum impetu trahebat, interim verò ob vim ſuam cauſticam, inſignem & acerrimum capitis dolorem aut moleſtiam cauſavit. Usque dum ad formam & proceſſum illius ſupramemorati Medici Helvetii, præparari mihi portionem curaveram, quem pulverem ex una parte euphorbii & dimidia parte amyli confectũ, comperi unum & eundem eſſe in ſubſtantia, colore, odore, ſapore, & effectu cum empirico iſto. Euphorbium autem baſin genuinam eſſe hujus medicaminis, acrimonia ſub lingua, & odor accenſi ſuper carbone aromaticus oſtendunt, atque cauſticam ejus vim infringi amylo, uſus docebat. Et cùm euphorbio ritè præparato & correcto, cujus præparationis quinque diverſi habentur modi, in catapotiis & aliis utimur, etiamſi à quibusdam pro veneno habetur, non dubito cum fructu & citra periculum quoque ſub forma prædicti pulveris, ſternutatorii vel errhini inſtar, illud uſurpari poſſe, ſi modò inconſulto Medico id non fiat; quod ſanè in utroque tum empirico iſto, tum illo curâ meâ præparato pulvere expertus ſum, quibus igitur laudem omnem derogare non potero. Et dum Dioſcorides cæterique veteres & moderni Botanici frigidè ſatis Euphorbii hiſtoriam dederunt, imò num ex arbore, vel frutice, conciſis ſuccus manet, diſcrepant,

pant, deſcriptionem magis genuinam ejus aveo, præſertim arboris, vel fruticis ipſiuſmet, atque magna mihi & bono publico gratia fiat, ſi hujuſmodi hiſtoria à modernis Arabibus, aut iis, qui in Lybiæ oris negotiantur, peteretur: in quo te V. R. multum poſſe non dubito, modò te exorare liceat. Hæcque ſunt, quæ tibi tum ex juſſu & voluntate reverendiſſimi Præſulis, tum proprio motu ac confidentiâ veteri in itinere quodam noſtro contractâ, notificare debui, ſimulque ulteriori tuo favori, cujus non parvam favillam è literis tuis ante biennium ad me perquam humaniſſimè datis ceperam, me meaque ſimul commendare volui. Vale, & fœtum tuum, Mundum ſubterraneum, demum feliciter enitere. Ratisbonæ, d. 5. Id. Septembr. A. C. 1658:

Johannes Hellvvigius.

Pulverem rheumaticum, quem D. Joach. Georg. Elſnerus Jenæ apud Circulatorem quendam agreſtem obſervaverat, ſicut D. Sachſius enarrat in Schol. ſupra cit. nec ego dubito, aliud quid, præter pulverem iſtum medicaſtri Colonienſis ex euphorbio fuiſſe, aſſidua ejus abundantia quoque & experientia ipſa perſuadent. Alioquin poſterioribus annis celeberrimus D. Guernerus Rolfincius in tract. ſuo de purgantib. vegetab. ſect. 4. art. 3. euphorbii hiſtoriam accuratiſſimè conſcriptam, & præparationem pulveris hujus rheumatici genuinam tradidit.

SCHOLION SCHRöCKII.

Alias etiam Errhinorum ex euphorbio formulas Idem Vir excellentiſſimus in Ord. & meth. medic. ſpec. comment. lib. 6. ſect. 4. cap. 1. conſignavit. Sed uti cautum ſemper in quovis adhibendo errhino Medicum eſſe decet: ita inprimis in illis, quæ ciendo ſternutationem, levis cujusdam epilepſiæ ideam referentem, vehementioris operationis exſiſtunt. Quale utique euphorbium eſſe, ſi ſibi relinquatur, nec additis idoneis aliis, acrimonia ejus infringatur, nemo non novit, cujus nempe

acre

acre & adurens quaſi ſal volatile variorum incomodorum cauſa eſſe valet. Quod ſanè regius in Dania Capitaneus peſſimo eventu expertus fuerat, inflammationem capitis funeſtam ſibi cauſatus, ceu teſtantur magna Regni illius Sidera medica, Simon Pauli Claſs. 3. Quadripart. botan. cap. de tithymal. nec non præfat. tract. de doſib. vomitorior. ac purg. & Thom. Bartholinus Volum. 2. Act. medic. Hafniens. obſ. 102. item Diſſertat. 9. de Medic. Danor. domeſt. Quamvis ſi debitè contemperatum, & à prudentis Medici provida manu porrectum fuerit, innoxium evadere, optimosq; præſtare poſſe effectus, experientiâ ſuâ confirmet Nobiliſs. D. D. Franc. Ignat. Thiermairius Conſilior. medic. lib. 2. cap. 2. ubi etiam Pulveris hujus rheumatici, cujus hiſtoria in præſenti Obſervatione traditur, præparationem edocuit; quem utique, ob disgregatas & obtuſas à coraliis & amylo potentioris ſucci iſtius Lybici particulas, blandiorem agendi vim ſortiri credibile eſt. Aliàs quoque oleoſis distemperatum miteſcere, ex Meſue conſtat, quem Auguſtani noſtri in Diſpenſatorii ſui Claſſe 20. ſequuti fuerunt, à me pag. 432. Pharmac. Auguſt. reſtit. defenſi; videlicet ab olei hamoſitate ſalis volatilis ſpicula (quæ etiam acidus citriorum pomorum ſuccus frangit atq; obtundit,) illaqueari, Celeb. Joh. Nicol. Pechlinus exercit. de purg. medic. facult. cap. 21. oſtendit. Qua ratione non ineptè Agyrta ille pulverem catarrhalem, quem Matri Excell. D. D. Joh. Ludov. Hannemanni dederat, oleo olivarum infuſum, naribus attrahi juſſerat; quem utpote ejusdem cum euphorbio farinæ fuiſſe, Ill. Bartholinus l. c. Act. med. Hafn. non abs re ſuſpicatur; quamvis idem potentiſſimè quidem tenaciſſimi humoris pluviam ex oculis, naribus & palato concitaverit, absque tamen ſperato levamine; non tam pulveris ipſius culpâ, quàm, ut ipſe D. Hannemannus judicat, quòd corpus non antea debitè præparatum vel evacuatum fuerit. Quos verò euphorbii vehemen-

tia nimiùm terret, alia tutiora, quæ ſubſtituant, habent, nec tamen minoris virtutis errhina; quæ inter inprimis Aqua majoranæ laudem meretur, magnoperè à D. Simone Paulli claſſ. 3. Quadripart. botan. tit. majoran. commendata; nec non Vitriolum album à Nobiliſs. noſtro Wedelio in Ephemerid. Curioſ. Ann. III. obſ. 14. debito cum encomio communicatum. Cæterùm quæ circa actionem, uſum & virtutem Errhinorum notanda, optimè expreſſit idem Wedelius lib. 2. de medicament. facult. ſect. 2. cap. 11. Vias etiam, per quas ſeroſitates arte iſtâ evacuantur, eleganter monſtrarunt Magnif. Guern. Rolfincius lib. de purg. vegetabil. ſect. 4. art. 3. cap. 10. & Cl. Nicol. Steno obſervat. anat. de glandulis oris §. 23. ac obſervat. de vaſis nariũ.

OBSERVATIO LIX.

Morbus attonitus ex plethora.

Fœminam habui Ratisbonæ ſub cura mea, militi poſtea deſponſatam, temperamenti calidi & humidi, quæ tum in cœlebi, tum maritali ſtatu, ſæpius in anno, præcedente ſemper hepatis dolore quodam, ſubitaneâ narium hæmorrhagiâ, ſeu floridi ſanguinis fluxu per nares affligebatur, hoc peracto ſtatim attonita, tanquam cataleptica, ſeu catoche laborans per bihorium & ultra jacuit, ſine ſenſu & motu, ut vix reſpiratio ſentiretur, facie tamen benè coloratâ; cui dum analepticis, venæſectione, & brachiorum atque crurum fricatione ſubventum fuit, protinus ſe recolligebat, ac reſpiratio liberior fiebat. Sub praxi propr.

SCHOLION SCHRÖCKII.

Cùm Catalepſis rarus adeo ſit adfectus, ut inter centum, imò ſexcentos vix unus Medicus reperiatur, qui catalepticum aliquem viderit, hiſtorias eorum, ſi occurrant, diligenter adnotandas, celeberr. D. Daniel Sennertus paralipom. ad lib. 1. Pract. medic.

medic. part. 2. cap. 3. monuit, additâ tali ex Henrici ab Heer obſervationibus mutuatâ hiſtoriâ; aliis etiam lib. 2. Inſtitut. medic. part. 3. ſect. 1. cap. 9. ex Galeno, Ægineta, Aëtio, Fernelio, & Jacotio prolatis. Quibus jungendæ, quas inſuper ex Hippocrate, Benivenio, Alex. Benedicto, Amato Luſitano, Wiero, Salio, Foreſto, Gabelchovero, Joh. Schenckius lib. 1. obſervat. medic. & Marcellus Donatus lib. 2. de medic. hiſtor. mirab. cap. 7. recenſuerunt; nec non ab Ill. Thom. Bartholino Obſerv. de nivis uſu med. cap. 12. & Volum. 3. Act. med. Hafn. obſ. 52. Nobil. Theophilo Boneto lib. 1. Anatom. pract. ſect. 4. Nicol. Tulpio lib. 1. obſerv. med. cap. 22. Joh. Rhodio cent. 1. obſerv. 37. Phil. Höchſtettero decad. 4. obſ. med. caſ. 1. Auguſt. Thonero lib. 2. obſ. med. cap. de convulſ. obſerv. 4. Fel. Platero lib. 1. obſervat. Roder. à Fonſeca Conſult. med. tom. 2. conſ. 92. aliisque deſcriptæ. Noſtro quidem Auctori memoratæ ægrotæ morbus licet hoc ſub titulo non proponatur, tanquam catalepticam tamen eam ſeſe habuiſſe dicitur. Ut jam non dicam, confundi ſæpe invicem morbos; hoc ſaltem verum habeatur, nec unam ſemper morbi iſtius eſſe faciem, nec exquiſitas omnes, ſimplices, & propriè ſic dictas eſſe catalepticas invaſiones. Uti enim plurimæ cerebri adfectiones magnam inter ſe cognationem habent, quâ non tantùm una facilè ſuccedit alteri, ſed & invicem variè complicantur, quod præ aliis Paulus Barbette lib. 1. praxeos cap. 3. oſtendere conatur: ita & apoplexia cum catalepſi in plurimis convenit; ſic in utraque ſensûs & motûs privationem. Practici inprimis notant, ſolâ reſpiratione & membrorum rigore differentiam inter utramque, ſtrictiori ſenſu acceptam, parientе; cùm ibi ſpirandi difficultas cum ſtertore, & membrorum laxitas: hîc eorundem immobilitas & rigor, reſpiratione ſalvâ vel parùm ſaltem læſâ, in cognitionem utriusque deducat: Si itaq; ſignum pathognomonicum apoplexiæ, præter animalium fun-

 ctio-

ctionum repentinam interceptionem, ſtertor admittendus erit, num in præſenti Caſu feminæ iſtius adfectus ad morbum attonitum, quem apoplexiam eſſe, tum aliunde, tum inprimis ex C. Celſo lib. 3. cap. 26. eluceſcit, ſit referendus, unicuique judicatu erit perfacile, cùm non ſtertorem in reſpirando, (ſine quo, ſi inſomnis & repentinus irruat, morbum attonitum proponere, eſſe, corpus in Sole ſine umbra noſtris in regionibus ſtatuere, Juſti Cortnummii lib. de morb. atton. cap. 37. §. 5. fert ſententia,) ſed vix perceptibilem reſpirationem adfuiſſe, dicatur. Licet & illa ipſa morbi attoniti nuncupatio ſtrictis adeo limitibus non ſemper coërceatur; quod vel Platerus l. c. perſuadere poteſt, dum Candidatum in promotione publica, cùm peroraret, ſubitò *totum attonitum*, ſine ſenſu & motu corruiſſe, refert, cùmq; de eſſentia morbi dubitaretur, ipſe catalepſeos ſpeciem eſſe judicaverat: Catalepſin etiam pronunciavit, cùm alius ex vini generoſi potatione *totus attonitus* ſtupidusque factus fuiſſet. Quidquid fuerit, tam apoplexia, quàm catalepſis à ſanguine ortum ducere poſſunt. De illa quidem res tam certa eſt, ut nemo dubitare ampliùs queat, ſive jam ſanguinis per arterias carotides & vertebrales prohibitus ad cerebrum commeatus, ſive ejusdem in vaſis cerebri reſtagnatio vel extravaſatio contingat. De hac verò Jacotius Comm. ad aph. 7. lib. 2. Coac. audiendus, qui in anatomia catocho ſublatorum venas in capite craſſo ſanguine plenas vidiſſe ſe, teſtatur; quem ſupra laudatus D. Bonetus lib. 1. Anatom. pract. ſect. 4. obſ. 1. ſcholio illuſtrans, copioſum ſanguinem venas & arterias diſtendendo, tenſasque retinendo, partium rigiditatem parere exiſtimat, addens: *quòd ſi apoplexia circulari ſanguinis motui inhibito plerumque ortum debet, cur ad eandem cauſam finitimus affectus non referetur?*

OBSERV. LX.

Oedema phlegmonodes in collo.

Puellæ annorum circiter ætatis undecim, œdemate phlegmonode caput ferè puerile adæquante, in colli latere dextro per triennium oneratæ, præmiſſo cathartico univerſali, ex conſilio meo Chirurgus tumorem illum ſcalpello, ſed ſuſpensâ manu, aperuerat, ac per vices materiam latentem, quæ nihil aliud, quàm aqua craſſa, ſanguinolenta, loturæ carnium ſimilis fuit, effluere curaverat. Exin tumor paulatim ſubſedit, & impoſito emplaſtro epulotico tumor omnis evanuit, puellaq́; ſanitati reſtituta, nec hactenus malum recruduit. Sub praxi propr.

SCHOLION SCHRÖCKII.

OEdematis vocem in genere tumorem ſignificare; ab Hippocrate etiam, aliisque Medicis antiquioribus pro quavis præternaturali corporis intumeſcentia accipi; Galeno tamen, cæterisque poſtmodum, ſtrictiori ſenſu tumorem ſaltem à pituita productum denotare, plus quàm notum eſt. Cui ſi ſanguis admiſceatur, Oedema phlegmonodes ſive inflammatorium exſurgit: Quo ſub titulo etiam tumorem in hoc Caſu deſcriptum, Auctor noſter propoſuit; quem ab illa parte ſanguinis, quæ ſeri ſub nomine naturaliter ipſi conjuncta ſemper eſſe ſolet, craſſam ac fibroſam ejusdem ſubſtantiam interfluente, diluente, atq; ad motum aptitudinem largiente, procreatum fuiſſe, veriſimile videtur; cui tamen aliquæ ſanguinis particulæ confuſæ fuerint. Illud itaque continuo ad collum adfluxu cumulatum, cùm extravaſatum reſtagnaret, tumorem hunc excitaverat; ſive jam à naturâ, ob copiam ejusdem gravatâ, illuc depulſum & amandatum fuerit, ſive in ipſo loco adfecto, ob vaſis alicujus lymphatici à ſero craſſiore obſtructionem, aut fortè etiam rupturam, & hinc impeditam lymphæ in proprium illum canalem readſumtionem

atque reductionem contigerit. Cumq; ob copiam inprimis, reſolvi ac diſſipari per medicamenta localia, quæ adhibita fuiſſe ſupponitur, haud potuerit, omnium optimè vitioſæ materiæ ad exitum via ſcalpellus paraverat.

OBSERV. LXI.

Hirudines in faucibus.

Cùm piſtor quidam & civis Ratisbonenſis in negotio ſuo ex urbe diſcedens, per devia, ſecuritatis gratiâ, pedes profectus fuiſſet, & ſitibundus è rivulo quodam, forſan limoſo, in ſylvis bibiſſet, non longè poſt dolores ſenſit acres in faucibus, cum inſequenti inflammatione & intumeſcentia earum, ut ſimulac deglutitio impediretur, atq; cum ſputo ſanguine tincto: adhibitis emollientibus & diſcutientibus, internis & externis, deniq; gargariſmis variis uſurpatis, faucium inflammatio & tumor paulatim deſederunt, atque in collutione faucium hirudinum inſectum parvum inventum fuit. Ex communic. D. Henr. Magn. Heugelii.

SCHOLION SCHRöCKII.

QUicunque ſiti ardentiore preſſi obvias quaſcunque invadunt lacunas, paludes, rivuloſq;, multis ſeſe periculis, quæ viſceribus impurior aqua minatur, exponunt, nec rarò, variorum inſectorum ipſis innutritorum ovula, vel ipſas beſtiolas dum unà deglutiunt, ſævos ventri ingenerant hoſpites. Sic hirudo in hoc Caſu faucibus piſtoris illapſa, magnum ipſi peperit diſcrimen: Sic aliis quacunque ex occaſione mala alia, quin & mortem adduxiſſe inviſum id animalculum, legimus. Cardialgiam à morſu hirudinum, quæ naribus adhibitæ, Chirurgi negligentiâ, in gulam irrepſerant, ſed aquæ ſalſæ potu confeſtim ab Hercule Saxonia ſedatam vidit Prevotius, ut refert Joh. Rhodius cent. 2. obſerv. med. 72. Hæmoptyſin magnam ab adhærente guttu-

gutturi hirudine, fruſtuli quaſi carnei ſenſum præbente, expertus quidam apud Petr. Borellum cent. 1. obſerv. 24. Sanguinis ſputum ab hauſta in venatione hirudine occurrit in Th. Bartholini cent. 2. hiſt. anat. 23. Fauces etiam frequenter, & noctu & interdiu, absque capitis, pectoris vel dorſi dolore, tuſſi, vomitu ac febri, ſanguine repletas, ulcus eo in loco, aut hirudinem latentem indicare, prædixit Hippocrates lib. 2. Prorrhetic. Vomitum ſanguineum ab hauſta in potu hirudine deſcribunt Galenus lib. 4. de loc. adfect. cap. 6. & Laz. Riverius cent. 4. obſ. med. 26. Puer quinquennis apud Bald. Timæum lib. 7. Caſ. medic. 19. à deglutitis vivis hiſce inſectis, multum ſanguinis per os excrevit, de dolore etiam ventriculi & inteſtinorum querulus, ſuperveniente epilepſiâ atque convulſionibus vehementiſſimis, fatis conceſſit. Curam horum inprimis tradunt Timæus loc. cit. & Bartholinus obſervat. de nivis uſu med. cap. 27.

OBSERV. LXII.

Nummorum deglutitio & aliarum rerum innocua.

Puellus triennis cùm nummis argenteis vel diobulis novis luderet, & patre eos repoſcente, quosdam, infantili more, in ore occultaret, en! duos tresve improvidè deglutivit, poſt triduum demum ſine omni faucium, œſophagi, ſtomachi, & inteſtinorum noxa ac dolore, juſculis interim pinguibus & butyro multo comeſtis, ſponte per alvi ſeceſſum, nummos nec colore nec formâ immutatos rurſum egeſſit. Quod & memini aliis parvulis cum clave parva, & globulis vitreis oblongis, atq; aciculis deglutitis accidiſſe. Sub praxi propr.

SCHOLION SCHRÖCKII.

QUamvis feliciter interdum ſuccedat nummorum deglutitio, ita ut absque magno incommodo detineantur in corpore,

pore, vel rurſus excernantur, ſæpe tamen gravia concitat ſymptomata, ipſamq; mortem advocat. Facilem ejusmodi nummi devorati, absque ullo ſuperveniente ſymptomate, excluſionem memorat Galenus lib. 3. de facult. natur. Trium thalerorum, cum cerviſia unico hauſtu per gulam demiſſorum, & tertio die per alvum redditorum Petr. Foreſtus lib. 15. obſervat. in ſchol. ad obſ. 28. meminit. Æneum numiſma à puero octenni abſorptum, nullâ perceptâ noxâ, poſt annum cum excrementis egeſtum ſcribit Amatus Luſitanus cent. 2. curat. 69. Sæviſſimum econtra dolorem colicum à centum devoratis nummis aureis, magnâ tamen enematum copiâ paulatim evacuatis curatum exhibet Petr. Borellus cent.4. hiſt. 25. & aureum volvulum Illuſtr. Dn. Præſes noſter, Joh. Mich. Fehrius in centur. 3. epiſt. medic. Bartholin. 69. Doloroſum non tantùm, ſed etiam fatalem caſum recenſet Fel. Platerus lib. 2. obſervat. cùm aureus florenus deglutitus in œſophago ſubſiſtens nullâ ratione avelli aut propelli potuiſſet. Nummulum puellæ quinquennis pylorum letaliter occludentem deſcribit ac depingit Cl. Theodorus Kerckringius obſervat. anatom. 1. Diverſitatem horum ſucceſſuum non ſitus tantùm diverſus cauſatur, quem in ipſo deglutiendi actu, & poſtquam ventriculo vel inteſtinis illapſi fuerunt nummi, ſubeunt; nec ſaltem major minorve metalli amplitudo, aut ſubjectorum diverſa natura, quæ ab adveniente ejusmodi duriori corpore magis vel minùs irritatur, aut irruenti eidem faciliùs difficiliusve cedit, ac extenditur: ſed & ſtomachi natura, metallicas iſtas laminas corrodere interdum atque diſſolvere valens; nec minùs metalli ipſius diſcrimen, promtiorem vel refractariam magis ſolutionem inferens: ſic aceto deſtillato propinato, plumbeam laminam ſatis craſſam in ventriculo ſolutam; & ſpiritus ſalis rectificati, juxta cum pinguium ac lubrificantium uſu, ſtomachi à deglutito groſſo dolorem gravativum, cuperoſo ſapore, ſigno

ſigno diſcerptarum metallicarum atomorum, in ore ſe exſerente, curatum memorat D. Wedelius noſter Ann. III. Miſcell. German. Curioſ. obſ. 141. Æneum numiſma pueri aqud Amatum Luſitanum, exiguum & ita conſumtum, cum excrementis prodiit, ut omnibus admirationi fuerit; quod licet ipſe calido naturali adſcribat, noſtro tamen tempore ipſius potiùs ſtomachi fermenti vigori acceptum fertur; id quod etiam alio in nummo cupreo ſucceſſit, quem toto ferè menſis ſpatio detentum, purgationibus tandem puerum per inferiora dejeciſſe notat præfatus Kerckringius, ita tamen attritum, ut vix moneta ejus adpareret. Quamvis enim avium exemplo, quorum ſtomachi craſſi & carnoſi lapillos utplurimum continent, colliſione ſuá ciborum contritioni & faciliori digeſtioni dentium loco magis, quàm acidi fermentalis potentioris contemperationi inſervientes, monetas iſtas in ventriculo potiùs attritas, paulatimque particulas quasdam abraſas fuiſſe, credere quis poſſet, præcipuè cùm illam ipſam attritionem in alimenti concoctione concedendam Celeberr. D. D. Joh. Dan. Major cap. 3. ingenioſi tract. de ærumnis gigant. egregiè oſtendat, eandem contractoriis tunicæ mediæ fibris carnoſis, plicas internas agitantibus, adſerens; hîc tamen minùs locum invenire, credibile eſt, niſi unà duriora alimenta, præter monetam, ingeſta fuerint; ſi enim particularum metallicarum à ſimplici motu abraſio exſpectanda, non à fluidiori & molliori ingeſto alimento hæc continget, ſed durius aliud corpus requiritur, quod metallico colliſum reſiſtere, ſicque illud diſcerpere valeat. An verò mereatur fidem, quod de Helvetio quodam Borellus l. c. retulit, nummos ſcilicet in ſtomacho ejus fuſos & conglobatos fuiſſe repertos; item quòd cent. 3. obſ. 95. moneta aurea à quodam devorata, poſt mortem ejus, in globulum redacta in ventriculo comparuerit, alii judicent. Non quidem temerè omnibus credendum, ſcio: nec tamen etiam abs-

que ſufficienti cauſa fides deneganda eſt. Licet enim calor ille corporis humani tanti roboris non ſit, ut fortiſſimi ignis inſtar metalla, præſertim ſtrictioris quæ ſunt compagis, liquare poſſit, quòd tamen blandioris alicujus ſpiritûs acceſſu, quos diverſos vel ſola alimenti quotidiani aſſumti diverſitas ſtomacho inſpirat, id præſtare valeat, non videtur impoſſibile; modò verum ſit, ſolius cujusdam liquoris beneficio aurum ab Americanis, quod de Sinis alii produnt, emolliri, ut inſtar ceræ tractari queat. Aliàs etiam Ornamentum aliquod muliebre à gallina devoratum molliuſculum comparuiſſe, Zacharias à Puteo in Clav. med. ration. ſpag. & chir. ſect. 20. pag. 236. teſtatur. Liceat hîc, coronidis loco, ad Margaritas exiguam digreſſionem facere, è quibus conflatam maſſulam A. 1666. Nobil. D. D. Joh. Theodor. Schenckius, Præceptor olim meus venerandus, in Collegio privato pharmaceutico, meis cæterorumq; frequentes qui aderant, Candidatorum & Studioſorum oculis expoſuit, quas, Chemnitii in Miſnia, Ancilla, turbulento illo Germaniæ in ſtatu tricennali bellico, deprædationis militaris periculo ſubtractura, dolio, cui cerviſia inerat ſecundaria, injecerat, & aliquo elapſo tempore, perlas ſuas repetens, in unam compactas maſſam invenerat.

OBSERV. LXIII.

Vulnus gutturis lethale.

Cùm Noribergæ praxin medicam exercebam, quidam ætatis virilis & ſtatus cælibis, mercaturæ quondam, inſtitoris ſeu procuratoris nomine, inſerviens, tunc temporis verò omni officio dimotus & privatus, cùm aliquando Urbe excedens, intra vallum externum nimis ſollicitus ac ſolus deambularet, ſubitò ex mærore & vitæ tædio, gutturi transverſim cultro inflicto necem ſibi inferre tentavit, ac chirurgo ab aliis in tempore accerſito, mundatoq́; vulnere à ſan-

à ſanguinis grumis, larynx ſimul cum gula vel œſophago læſi inventi ſunt. Indè vox abſona & rauca ſaltem audiebatur, potusq; portio vel liquoris aſſumti, per vulneris rimam transibat, ſicq; deligato vulnere, novem aut decem dies æger tantùm ſupervixit. Ex obſerv. propr.

SCHOLION SCHRÖCKII.

SImile gutturis graviter læſi exemplum aliquot abhinc annis à Parente meo chariſs. obſervatum; dum Sutoris cujusdam uxor febre continuâ cum deliriis laborans, & in hac ſanæ mentis obtenebratione, amandatâ in culinam, ut pro virium refectione juſculum accerſeret, quæ curam ejus agere debebat, clinicâ, è lecto ſurrexerat, novaculam, quam adeſſe ſciebat, ſumtura; cujus tamen loco forficem juxta poſitum arripuerat, eoque, præter minora aliqua vulnuſcula, majus aliud in collo, cum aſperæ arteriæ diſciſſione, id quod in exſpiratione emiſſus è vulnere ſpiritus innuebat, ſibimetipſa inflixerat, ſubſequente inſigni hæmorrhagiâ, ſponte tamen iterum ceſſante, quod vulnus dein, attractis per emplaſtrum glutinatorium ejusdem labiis, cæterisq; ritè adminiſtratis, intra trium ſeptimanarum ſpatium feliciter à Chirurgo noſtrate, M. P. perſanatum fuit, ipsâ ægrâ, quæ, ceſſante delirio, omnium quæ peregerat, gnara erat, vitalem adhuc auram incolumi hauriente. Alia vulneratæ, ex melancholia, deſperatione &c. aſperæ arteriæ exempla habentur in cent. 5. hiſt. anat. 89. Bartholini, Georg. Hier. Welſchii Sylloge obſervat. & curat. medicinal. Jo. Udalr. Rumler. obſ. 80. Dominici de Marchettis Anatom. cap. 11. Baldaſſ. Timæi Reſponſ. medic. 14. Nicol. Tulpii lib. 1. obſ. med. cap. 50. Laz. Riverii obſerv. ab Ozia Aimar communic. 5. Marc. Donati lib. 3. de med. hiſt. mirab. cap. 6. &c. Quæ tamen obſervationes de feliciori, quàm in Auctoris noſtri Caſu, eventu loquuntur, eoque ipſo aſperæ arteriæ vulnera non eſſe letalia, ſed denuo per artem uniri atque ſanari poſſe, teſtantur. Unde etiam Laryngotomiam, quæ artificio-

ficioſum aſperæ arteriæ vulnus dici poteſt, absque periculo vitæ inſtitui poſſe, ex hoc ſequitur; quam dubiam equidem reddere nonnulli laborarunt; quibus tamen abunde ab aliis jam reſponſum fuit; inprimis, ut Recentiorum ſaltem uno alteroq; confirmetur teſtimonio ejusdem innocentia, magni nominis Medicus, D. D. Joh. Dan. Horſtius epiſt. 10 obſervationibus anatom. addit. aliquot felices operationis hujus ſucceſſus à fratre notatos fuiſſe, refert; quamvis Anatomicus & Chirurgus olim Leidenſis celeberrimus, Dn. Johannes Van Horne, ceu Nobil. D. Joh. Henr. Brechtfeld Volum. 2. Act. med. Hafn. obſ. 15. recenſet, in homine eam fuiſſe adminiſtratam, nullum exemplum noverit, licet eam ipſam in canibus ſæpe feliciter expedierit. Bis quoque Renatus Moræus, doctrinâ & medendi peritiâ celeberrimus Chirurgiæ Profeſſor, ut eum commendat Cl. Rhodius diſſ. de acia cap. 10. Pariſiis eandem celebravit, quod cent. 1. epiſt. med. Th. Barthol. epiſt. 81. legitur. Et Ill. D. Guido Patinus ter eam in Urbe iſta, in Monacho, Aulico, & Mercatore, cum ſucceſſu inſtitutam vidit, referente hoc Exc. D. Gerard. Blaſio Comm. in Syntagm. anatom. Vesling. cap. 11. Hinc Medicorum indecentem, ut vocat, miratur timorem Marc. Donatus, qui in ægro anginâ deſperatè correpto, ad hoc præſidii genus ultimum admovere manus renuunt; magnanimos econtra adpellat illos Chirurgos exercitatos, qui anginoſos vulnere iſto ſalutari, ab imminente ſuffocatione vendicant, liberam utpote aëri ſic aperientes viam. *Terremur*, inquit Moræus l. c. *rebus inexpertis, quæ in uſum ſemel revocatæ câdem ſecuritate admittuntur, qua peraguntur facilitate.* Idque tantò magis faciendum videtur, cùm in deſperatis morbis vel quidvis, quod ſpem aliquam ſuſtentare queat, experiri, quàm ſoli prognoſtico ægrum relinquere deceat. *Satius eſt*, inquit Celſus lib. 2. cap. 10. *anceps auxilium experiri, quàm nullum*; Si anceps, multò magis & tale, quod tutò adhiberi à pe-

à perita manu poteſt. *Rariſſimè* tamen *in uſum revocatur hæc operatio*, ut verbis Laz. Riverii tom. 2. Prax. med. ſect. 5. cap. 7. loquar, *propter metum infamiæ, quæ Medicis & Chirurgis impendet, dum æger poſt operationem occumbit. Quod utplurimum contingit, & mors operationi potiùs, quàm morbo tribuitur, quantumvis Medicus præmiſſo prognoſtico ſeſe adversùm calumniam munierit.* Nec fortè Medicus, ſi ad Bronchotomiam perſuadendam timidus exſiſtat, magnoperè reprehendendus erit, non enim tam prodigus famæ propriæ eſſe debet, iſtis cumprimis in regionibus, ubi major ferri ſalutaris animos occupat metus, & expeditior ad medica præſidia judicanda ac diffamanda, vulgi, & qui vulgi more ſapiunt, dominatur lingua, innocenti vulneri facilè culpam mortis [præſertim ubi, quod ſæpe contingit, malignitas morbo juncta, atque in ægro, viribus jam exhauſto, mortisque in faucibus conſtituto, vulneris iſtius inflictio demum admittitur. Et quis, quæſo, ſi per alia incruenta remedia de vitæ conſervatione ſpes ſuperſit, doloroſam iſtam medelam perferet?] imputatura. Unde etiam exercitatiſſimi aliqui Chirurgi eandem nunquam celebrare auſi fuerunt; quos inter meritò nominandus eſt Hieron. Fabricius ab Aquapendente, ipſe id de ſe in Operationib. chirurg. ſcribens. Memini quoq;, ſupra nominatum Excellentiſs. D. Dominicum de Marchettis, cùm A. 1669. in Noſocomio ad D. Franciſcum Patavii, in gratiam Inclytæ Nationis Germanicæ, chirurgicas in cadaveribus cum adplauſu oſtenderet operationes, de Laryngotomia differentem, utilitatemque ejus commendantem, quamvis aliàs Vir in iſto, manibus quæ fit, medendi genere perquam ſit peritus, audax & ſtrenuus, hanc tamen operationem nunquam tentâſſe ſe, publicè fateri haud dubitâſſe. Alias inter, quæ auxilium hoc, ceu inutile prohibent, circumſtantias, meritò etiam à Scriptoribus adducitur pulmonum, quos in angina vehementiori plerunque ſimul adfici Riverius

ſcribit, inflammatio, vel multis humoribus repletio. Quare Paul. Barbette Anatom. pract. part. 3. lib. 3. cap. 2. hanc conſignavit admonitionem: *Circumſpectione hîc ſummâ opus eſt, ne ſi aliæ quoque partes, pulmo ſcilicet, pleura, gula &c. inflammatæ, aut jam pure repletæ, irritus ſit tuus labor, & calumniandi anſam præbeat.* Sed ut in viam redeam, aſperæ arteriæ vulnera per ſe quidem, ſive ubi ſola fiſtula illa aërea, absque aliarum partium connexarum præſtantiorum gravi læſione, vulnerata eſt, ſi debitè tractentur, minimè ſunt letalia; profundiora tamen ſi exſiſtant, ſummè periculoſa evadunt, quia utplurimum venæ jugulares & arteriæ carotides unà diſſecantur, magnâ ſubſequente ſanguinis profuſione, ſpirituumque vitalium diſſipatione, vix arte ullâ ſiſtendis; extravaſatoque ſanguine in pulmones per vulneris hiatum copiosè deſcendente, atque ita ob reſpirationis indè exortum impedimentum, ſuffocationem inducente. Quo intuitu vulnus, quod Nobili cuidam anteriore colli parte in aſpera arteria inflictum fuerat, Timæus d.l. pro ſimpliciter letali habendum eſſe, cenſuerat; & Magnific. D. D. Gothofr. Welſchius in tr. de ration. vulner. letal. judicio cap. 4. majorum vaſorum, & in ſpecie jugularium venarum internarum ac carotidum vulnera pro ſimpliciter & abſolutè letalibus habet. Quanquam ab Ill. D. D. Antonio de Pozzis Ann. IV. Ephem. Germ. Curioſ. obſ. 39. notata obſervatio (cui magni Hippocratis eſtatum lib. 2. Prædictor. pag. 96. Cod. Foëſ. favet: *Vulnera ferè quidem mortem afferunt, quæ magnas venas, quæ ſunt in collo & inguinibus, læſerunt, deinde quæ cerebrum & hepar, deinceps quæ in inteſtina & veſicam pertingunt. Quæ ſanè omnia magnam perniciem afferunt, non eam tamen, ut (quod quidam exiſtimant) nemo ex his ſervari poſſit. &c.*) exceptionem hîc eſſe admittendam, evincat, dum vulnus colli profundum Capitaneo cuidam ſiniſtro in latere inflictum memorat, quo præter muſculos & nervos recurrentes, venæ etiam jugulares,

res, arteriæq; carotides exciſæ fuerint, ipſo ægro ſanitati poſtea reddito. Qui tamen caſus meritò miraculis medicis adnumerari debet; præter enim conjecturas, quas prælaudatus Vir ibidem adnectit, fortè ſanguis effuſus in grumos circa patentia oſtiola coactus, plenarium ſanguinis effluxum inhibuit, idque eò magis, cùm diſſectis per transverſum, ideoque à naturali ſua tenſione remittentibus vaſis, eorum extrema ſive capita ex utraque parte retracta & quaſi corrugata, ſimulque à circumjacentibus partibus oſcula illa compreſſa fuerint; quem modum, à Galeno etiam 13. meth. med. propoſitum, in hæmorrhagiis à vaſorum ſanguiferorum vulnere incoërcibilibus, ſæpe Chirurgos, non ſine ſucceſſu optato, amplecti, notiſſimum eſt. Et paucis abhinc annis in quodam cive Auguſtano, cui arteria, quæ in carpo pulſui contrectando deſtinatur, graviter vitro vulnerata fuerat, cùm ſanguinis fluxus remediis nullis inhiberi potuiſſet, optimè ſucceſſiſſe, memini. Idem in hoc quoque Auctoris noſtri Caſu dubio procul contigit; ubi tamen, cùm œſophagus unâ læſus fuerit, mortem eò magis ſubſequi neceſſe fuit.

OBSERVATIO LXIV.

Ptyaliſmus in ſene lethalis.

Generoſus D. I. V. Baro de R. ſeptuagenario major, ptyaliſmo per menſes aliquot tanto continuè moleſtabatur, ut cibum & potum liberè aſſumere nequiret. Tandem adveniente ſtomachi anorexiâ, crurum ſphacelo, & vitæ tædio, præ ſenio ac negotiorum multitudine proſtratis viribus, ac remediis parùm proficientibus, poſt paucas ſeptimanas placidâ morte ad plures emigravit. Sub praxi propr.

SCHOLION SCHRÖCKII.

EX quo fonte ſaliva proveniat, poſtquam ſalivalia vaſa Stenonia-

noniana & Whartoniana innotuerunt, haud ampliùs videtur eſſe ambigendum, cùm eorundem ex glandulis maxillaribus ortum ἀυτοψία confirmet; quæ ipſæ ab arteriis in eas derivatis, non excluſis planè nervis, laticem iſtum hauriunt. Ut adeo ipſe Galenus, cui ductus iſtos ſalivales non ignotos fuiſſe, demonſtrare conatur Auctor libelli inſcripti: Metamorphoſis Æſculapii & Apollinis pancratici, ficto nomine ſe Janum Leonicenum vocans, non ineptè lib. 3. de aliment. facult. cap. 6. Naturam glandulas, quæ circa linguam ſituantur, ad ſalivam generandam comparâſſe, ſcripſerit. Si itaque magnus ſeri in corpore ſit proventus, cum ſanguine præſertim arterioſo ad glandulas iſtas, quibus etiam ipſam faucium glanduloſam tunicam, infinitis poris in palato inſtructam, adjungit Franc. Sylvius Prax. med. lib. 4. tract. 6. §. 195. delatum, vi eârum ſecretrice ibidem ſeparari, perq; naturales ductus copioſè in os deponi poterit. Cujus immoderati ſeri generationem inprimis in ventriculi, à naturali temperie ad frigidam & humidam declinantis, receſſum conjicere ſolent; quam etiam in ſe ipſo Exc. D. Joh. Nicol. Binningerus cent. 1. obſerv. 10. agnovit, cùm ſputatione ferè continuâ correptus fuiſſet, noctu ita invaleſcente, ut decumbenti ex ore reclinato ſtillaret, & inabrupto fluxu quaſi è gutturnio indeſinenter decideret aqua limpidiſſima & inſipida. An autem, quæ nonnullorum eſt ſententia, ventriculus immediatè per œſophagum lympham iſtam ſuggerere queat, majus eſt dubium? Mihi ſanè non videtur incredibile, cumprimis dum ventriculo ad vomitum ſtimulato, ſubitam & copioſam ſeri in ore præſentiam conſidero. Sic hypochondriacorum ſputationem maximâ ſui parte quidem à ductibus iſtis ſtomaticis oriri, D. Joh. Theodor. Schenckius hiſt. ſeri ſanguin. cap. 4. §. 70. ſecund. edit. concedit, irregulariter tamen quandoque ex ipſo ventriculo quid transmitti arbitratur, ſymbolum adſcenſui ejus reſpirationem conferre ratus, in qua erigen-

erigente ſe attollenteque aſperâ arteriâ, qui eidem validè adnectitur, œſophagus unà commoveatur, motu periſtaltico quaſi humidum illud elevans atq; elidens. Dum verò Auctor noſter ptyeliſmum iſtum letalem vocat, non id intellectum voluiſſe exiſtimo, ac ſi excretio talis cauſa exſtiterit mortis ipſius, ſed potiùs, quòd diutiùs perſeverans, accedentibus aliis gravioribus morbis, tandem demum ipſa cum vita ceſſaverit. Quamvis enim non levem corporis à naturali ſtatu receſſum denotare queat diuturnus ille ſalivæ in Sene fluxus, adeoque graviorum ex pravo iſto ſtatu malorum metum incutiat, ipſe tamen per ſe mortis minari periculum, aut adferre non admodum valet.

OBSERV. LXV.

Materia tophacea per tuſsim rejecta in phthiſico.

R*Ecordor, Ratisbonæ quendam Juris Licentiatum, juvenem, aliquot per annos, diurnâ & vehemente tuſſi laboráſſe, qui denique in atrophiam incidens, poſt multos & viſcoſos ſcreatus materiam tophaceam ejecit, & mortuus eſt.* Ex obſerv. propr.

SCHOLION SCHRÖCKII.

P*Rofectò ſaxa qui ſpuunt, ad ſaxea clauſtra ſepulchri pennigeris currunt plantis*, verba ſunt beati noſtri D. Phil. Jac. Sachſii in epiſt. ad D. Joh. Dan. Majorem de miranda lapid. nat. pag. 99. Quam metam eos utplurimum attingere, tragici tot caſus teſtantur. Licet quandoque, rariùs tamen, mortis è faucibus ipſa calculoſa tuſſis & exſcreatio eripiat; quale exemplum in ancilla adnotavit amiciſſimus Wedelius Ann. III. Ephem. German. Curios. obſ. 16. Excell. D. Joh. Brechtfeld in Vol. 1. Act. med. Hafn. obſ. 110. nec non ipſe Sachſius in ſchol. ad obſ. 191. Ann. II. dd. Eph. Alia verò calculorum in pulmonibus repertorum

 vel

vel tuſſi ejectorum exempla plurima ſuggerunt Obſervationes medicæ, adeo ut raritate vix ampliùs ſe commendent; qualia inprimis ex Antiquioribus ac Recentioribus Medicis indigitarunt Sachſius locis cit. & Nob. D. Matth. Tilingius in ſchol. ad obſ. 132. Anni VI. Eph. Cur. Quibus meritò jungentur, quæ ex Hippocrate & EbnSina Decad. 4. Curat. medicin. 4. Welſchius noſter adduxerat, ut & quæ Viri Clariſſimi, D. Jo. Frid. Huldenreichius Ann. VII. dict. Eph. obſ. 221. D. Thom. Bartholinus cent. 3. epiſt. med. 80. & ſect. 2. pag. 35. Diatrib. de pulmon. ſubſt. & motu, D. Franc. Ign. Thiermairius Conſil. medic. lib. 1. cap. 11. in ſchol. Theod. Kerckringius obſerv. anat. 27. Henr. Smetius lib. 10. Miſcell. medic. Ann. 1582. Joh. Bapt. Helmontius tr. aſthma & tuſſ. §. 42. 43. Frider. Loſſius lib. 2. obſ. med. 3. & Dominic. Panarolus pentec. 2. obſ. 22. recenſuerunt. Ipſe etiam, cùm 1667. ſtudiorum causâ, in Academia Salana degerem, magnâ præſente Studioſorum coronâ, in diſſecto publicè à Nob. D. D. Joh. Arnold. Friderici, Anatom. Prof. Publ. Infanticidæ, corpore ſano & quadrato præditæ, pulmone tracheaq; aſpera plurimas non exiguas calculoſas concretiones, & inprimis circa divaricationem fiſtulæ hujus pneumaticæ initium, grandiorem calculum fuiſſe conſpectum, recordor; cùm tamen, quantum ex aliorum relatione conſtitit, nunquam reſpiratione difficili, nec tuſſi notabili laboraverit; non ſecus ac in illo ſubjecto Illuſtriſſimo, ex ulcere colli veſicæ defuncto, præter opinionem pulmones plurimis calculis, milii magnitudinem æquantibus, refertos fuiſſe inventos, à Nobiliſſ. D. D. Joh. Jacob. Wenceſl. Dobrzensky à Negroponte obſ. 181. ſæpius cit. Eph. Ann. II. relatum fuit, cùm tamen illorum præſentia nullum notabile accidens induxerit. Id quod accidere poſſe, autumo, ſi calculi iſti talem ſitum occupent, qui neque ductus tracheæ annulares, neque vaſa ſanguiflua multùm comprimat, ideoque aëri & ſangui-

ni liberum commeatum haud denegando, nihil aſthmatici ſuſcitet; aut ſi exteriùs tantùm bronchiis adcumbentes, vel ubi internam eorum ſuperficiem tangunt, inæqualibus tamen & aſperis angulis carentes, vel etiam humore viſcoſo involuti, acutiſſimi ſensûs interiorem aſperæ arteriæ tunicam offendere, pungere, ſicque motum iſtum convulſivum, quem tuſſem vocamus, excitare nequeant.

OBSERV. LXVI.

Hæmoptoici varii.

I. *S. cùm juvenis aliquando ex ſaltatione adhuc æſtuans properè & affluenter bibiſſet, mox hepatis dolores ſentiit, ac hæmorrhagiam narium inſignem, ſed poſthabitâ Medicorum & amicorum adhortatione, ut diætam ſervaret certam, ultrò bibacitati indulgens, poſt paucos annos in peripneumoniam incidens & tabidus factus, ſanguinem copioſum eructans, quo ſæpius ante affligebatur, Anno* 1658. *animam demum ſimul efflavit.* Sub praxi propr.

Capucinus quidam, frater laicus, cùm ex Ordinis ſui conſuetudine & ſtatuto, in autumno ſub æſtu Solis hoc tempore inſolito, pagos circumiviſſet ad colligendum butyrum in uſum Cœnobii *ſui, laſſusq; de via & ſitibundus lac ſincerum pro lubitu bibiſſet, cardialgiam non paulò poſt, cum anhelitu gravi & languore ſtomachi ſenſit, atq; ad* Cœnobi*um rediens incepit ſanguinem ſubnigrum, calidum, grumoſum per vices copioſè ſatis, interdum ad libram unam alteramve, eructare, ſed factâ & reiteratâ diverſimodè venæſectione, appoſitis ventoſis, & aſſumtis ſanguinem ſiſtentibus ac refrigerantibus, nil magis proficuum illi fuerat, quàm pulvis de pilâ ſtomachi Rupicapræ tempore legitimo collectâ, per ſe, vel cum aliis rebus permiſtus, ex cujus uſu & alibi ſe, dixit, in eodem affectu magnum levamen habuiſſe.* Sub praxi propr.

V. H. *cùm A.* 1658. *ex compotatione continua vini generoſi, ventriculi debilitatem & tuſſim adſciviſſet, poſtmodum viduam u-*

 xorem

xorem duxit quoinde labore & negotiis publicis concatenatis defatigatus, peripneumoniâ & ſcreatu ſanguineo vehementi infeſtatus eſt, ſicq; A. 1667. ex vita hac ærumnoſa placidè emigravit. Sub praxi propr.

SCHOLION SCHRÖCKII.

Cernis ut è molli ſanguis pulmone remiſſus
ad ſtygias certo limite ducit aquas.

QUod Ovidianum (lib. 1. de Ponto, Eleg. 4.) prognoſticum licet utplurimum triſti eventu verum reddatur, ita ut plerunque, inprimis ſi effervefcens ſanguis ἀθρόως, copioſus & cum impetu exeat, purpurea unà evomatur anima, vel lentâ morte tabefactum corpus ad ſepulchrum deducatur: Dantur tamen quandoque hæmoptoici, absque noxa ſanguineam illam deplètionem non tantùm perferentes, ſed & ſanitatis absque diſpendio qui eâdem carere nequeant. Illius exemplum ſuggerit Exc. D. Joh. Henr. Brechtfeld Vol. 1. Act. med. Hafn. obſ. 116. hæmoptyſios nempe bis utplurimum in anno enormiter contingentis, innoxiæ tamen & minimè in phthiſin deſinentis: Hujus verò Cl. Joh. Rhodius cent. 2. obſ. med. 30. in muliere, ſingulis aut alternis menſibus impunè ſanguinem exſpuentis, atque ceſſante hac vacuatione, graviter ſe habentis. Prognoſtica aliàs adfectûs hujus adcuratiùs dederunt Ill. D. Thom. Bartholinus Act. med. Hafniens. Volum. 2. obſerv. 7. Nobiliſs. D. Franc. Ignat. Thiermairius lib. 2. Conſil. medic. cap. 6. in ſchol. nec non Jodoc. Lommius obſervat. medic. lib. 2. pag. 108. & ſeqq.

OBSERV. LXVII.

Hæmoptyſis ex acidularum potu lethalis.

E. *S. temperamenti calidi & ſicci, qui tuſſi ſiccâ, aſthmate levi, ac dolore flatulento in dorſo & hypochondriis ſæpius infeſtabatur, ſine*

ſine dubio ex crudo, frigido, Weſtphalorum more, convictu, & inordinatâ diætâ, ob laborum ac negotiorum aſſiduam multitudinem, lentamque ventriculi coctionem, ea de cauſa, aliorum ſuaſu, acidularum Egrenſium potum appetivit, medicoq́ alieno directore in hiſce uſus eſt. Ideoq́ patiens curam A. 1660. incipiens, præmiſſis quidem univerſalibus, non ſolitum ſaltem potandi tempus trium quatuorve hebdomadum peregerat, ſed dum quid levaminis indè ſentire ſe putabat, ex conſilio & nutu prædicti Medici, adhuc in plures ſeptimanas acidularum potum continuavit, ſicq́ ultra ducentas & quadraginta libras earum, per vices exhauſerat; quoinde vires unà exhauſtæ, corpus planè exſuccum, capitis debilitas, ſtomachi anorexia, hæmoptyſis, ac demum corroſo, absq́ dubio, pulmonum vaſe quodam magno, inter ſomnum de improviſo inſigne ſanguinis floridi per os ſeu palatum profluvium, & ſubitanea mors ſubſecuta ſunt; Medico querelam patientis, de ſputo ſanguineo ſub acidularum uſu, parvipendente, atq́ caput ſe tantummodo purgare, ſemper dicente, nihilq́ periculi indè metuendum fore. Ex obſerv. propr.

SCHOLION SCHRÖCKII.

Temporibus Medicina valet: data tempore, proſunt;
& data non opto tempore, Vina nocent.

QUod diſtichon Ovidianum ex lib. 1. de remedio amor. eò lubentiùs huc traho, cùm acidularum uſui aptè ſatis adcommodari queat. Minerales etenim aquæ iſtæ ritè debitoque tempore epotæ quantùm in vacillante humana ſanitate fulcienda valeant, tot feliciſſimi usûs exempla abunde teſtantur. Abuſus tamen viciſſim exoſas aquas iſtas plurimis reddit; qui ſanè in cauſa eſt, ut inſani quicunque decantentur, qui lymphas haſce potant, ſpe medelæ fallentes, nullam ſalutem adferentes, calorem econtra vitalem extinguentes, viſcera corrumpentes, ipſumq; vitæ filum corrodentes. Sed ne Medicorum judicia hiſce opponam; huc adſis, ô Naſo, & altùm ingemines: *Temporibus*

poribus Medicina valet! Hæc tamen tempora nemo aptiùs, niſi Medicus determinaverit, non tempus tantùm, quo acidi fontes vigent, aëriſq; clementiorem ſtatum obſervans, ſed & corpus ad tanti remedii uſum priùs ex arte præparans, ſubjecti naturam & morbi idéam ponderans, menſuram proportionatam dimetiens, ſymptomatibus occurrentibus obvians, & regulis medicis adſtrictam diætam inſtruens, ſicq; tempori & occaſioni ubique inſerviens. Quibus poſthabitis, ſi quis propriâ temeritate, quovis in morbo, corpore non diſpoſito, gulæ ſtudioſior, congios aquarum uno quaſi hauſtu abliguriat, aliove modo medicatas lymphas medicè bibere negligat, non mirum, & ſalutares Hygéæ aquas in Lethæa mutari pocula, quæſitamque ſalutis ſpem prorſus evaneſcere. Sic ipſi Bacchi latices, noſtro quoque Naſone teſte, apto tempore hauſti proſunt, non apto nocent. Et quis, non minùs ſimilia pericula ab hauſto præter modum & rationem vino impendere, neſciat? quod inſanos reddere, ſuavitatis ſpe fallere, calorem hoſtilem accendere, vitalem exſtinguere, viſcera peſſumdare, imò vitam ipſam abrumpere valet. Quis verò propterea vinum adeo exoſum habeat, quis nullam ſalutem ei ineſſe dicat? Uſum itaque liquoris utriusque, aciduli, vitigeniq;, laudemus, abuſum deteſtemur. Digniſſima ſunt, quæ huc trahantur, verba à Joh. Cluverio in Epitom. hiſtor. totius mundi, de Hornhuſanis fontibus, quos multis temperato uſu remedium, immoderato exitium attuliſſe ſcripſerat, cùm ageret, prolata: *Adeo non in medicamento ipſo, ſed in modo ejus atq; uſu vis ſanitatis conſiſtit.* Prout ergo non omnibus Acidulæ conducunt: ita nec hæmoptoicos impunè eas potare, cumprimis in quantitate excedente, Auctor noſter Obſervatione hac demonſtrat. Velut nec alios percelebres Medicos uſum earundem probâſſe, è Melchior. Sebizii tract. de acidul. ſect. 2. diſſ. 2. poſit. 3. & Ludov. Hörnigk quæſt. 52. de acidul. Schwalbac. eluceſcit; dum ſanguinis exſpu-

exſpuitionem cohibere, copiam ejus minuere, fluiditatem incraſſare, & vaſorum aperturas conſolidare poſſe negant, cùm attenuandi & aperiendi vi potiùs polleant.

OBSERVATIO LXIIX.

Vulnus cordis lethale.

Colonellus quidam in Comitiis Imperii A. 1653. *Ratisbonæ habitis, tam vinolentiæ, quàm iracundiæ œſtro percitus ob denegatam rem, de qua ſupplicans in Aula Cæſarea repulſam paſſus, in hoſpitium ſuum redierat, ac hoſpiti ſuo innocenti in ſcalis ædium occurrens, gladiumq́; ſtringens, ictu unico pectus illius transverberaverat, ex quo hoſpes in momento cecidit ac mortuus eſt, cum perpauca ſanguinis è vulnere profuſione. Vulnere dein à Medicis & Chirurgis ſtylo pertentato, atque cadavere aperto, videbatur gladius inter coſtas ſpurias lateris dextri ſurſum, ſine pulmonum læſione, per ambos cordis ventriculos ac muſculum trapeſium vel cucullarem in humero ſiniſtro usq́; tranſiiſſe, nec in ambobus cordis ventriculis ullus ſanguinis grumus, aut gutta inventa fuit.* Ex obſerv. propr.

SCHOLION SCHRÖCKII.

NOn prolixiorem de cordis vulneribus diſcurſum hîc formare animus eſt, cùm fruſtra id agerem, à tot aliis (quos inter jam nominare tantùm lubet Viros in Arte noſtra famigeratiſſimos, D. D. Joh. Laurent. Bauſchium, primum Acad. S. R. I. Naturæ Curios. Præſidem, procem. traumatolog. Schediaſmat. de lap. hæmat. D. D. Phil. Jacob. Sachſium Ocean. microcoſm. D. D. Simon. Scholzium Ephem. Germ. Cur. Ann. III. obſ. 263. & D. D. Georg. Segerum de triumph. cord.) materiâ illâ adcuratè jam diſceptatâ atque decisâ. Vulnera autem magna & in ipſos cordis ventriculos penetrantia certam inferre mortem, apud omnes in confeſſo eſſe, hîc ſufficiat. Siquidem nectaris illius vivifici,

vifici, ſanguinis, è fonte ſuo in pectoris cavitatem, per violenter inflictam rimam effuſio, ſpirituumq; conjunctorum diſſipatio, reliquas una partes irrigatione hac perneceſſariâ privat, quâ deſtitutas reſolvi ac emori neceſſe eſt. Quare præſenti in Caſu celerem à vulnere facto irruiſſe mortem, haud mirum videri poteſt, non tantùm in dextrum, ſed & nobiliorem illum ſiniſtrum cordis thalamum furioſo ferro profundè adacto, & hinc ob ampliores vias vi patefactas, ſanguinem omnem exiiſſe, nullamque ejus guttulam in ipſis ſuperſtitem fuiſſe, contigit; Id quod diligens poſtmodum inſtituta cadaveris apertio confirmavit; cui cùm & Medicos interfuiſſe, Auctor noſter expreſsè innuat, ullius absque injuria, in morem illum, qui nonnullis in locis, à vulnere pereuntium inſpectionem ſolis Chirurgis, Medicos prætereundo, defert, obiter animadvertere lubet. Quem ſanè jamdudum dolendos inter abuſus, optimè alioquin conſtitutis in Rebuspublicis, à ſummis interdum Viris mordicùs defenſos, & ab omni ratione alienos, nec niſi magno cum detrimento tolerandos, retulit Balduinus Ronſſeus Epiſt. medic. 12. Et Bernhard. Suevus præfat. lib. de inſpect. vul. Relationibus Chirurgorum non eſſe fidendum pronunciat, admonens, *ne Proceres benè conſtitutarum Rerumpublicarum, quibus ſalus ſubditorum à DEO concredita atq; commiſſa eſt, in dubiis quandoque caſibus, ubi vulnerato & vulneranti jus decernendum, arduam hanc inſpiciendi & curandi vulnera provinciam ſolis Barbitonſoribus & Balneatoribus committant, cum quibus utplurimum ob craſſam ſuam inſcitiam & imperitiam in Anatome præſertim, baſi chirurgicæ ἐυπραξίας, ita comparatum eſt, ut vulnus vel alium quemvis morbum lethalem dicant, qui tamen nil minùs quàm talis eſt, & utrum ex vulnere vulneratus, an alio ſymptomate ſuperveniente mortuus ſit, neſciunt.* Imperfecta utique vel imperita inſpectio, ubi ſcilicet ſingula à rudioribus in Anatomia exploratoribus non probè, ſedulò & adcuratè ex-

tè expenſa, aut etiam indoctè judicata fuerint, inſonti facilè detrimentum & culpam, reo verò ſalutem adferre poteſt, ipſi dein Judici neglectæ juſtitiæ labem imprimens, Reiq; publicæ cruoris innocentis vindictam divinam accerſens. Prout enim ſolidior in Arte iſta cognitio pro fundamento hîc requiritur: ita cùm rariſſimi comperiantur in numero illorum, qui Chirurgi nominari volunt, artificii iſtius gnari, quid aliud ignorantiam hanc inſequetur, quàm injuſtum, incertum, inſulſum & ſæpe ridiculum judicium? Non diffiteor tamen, reperiri etiam Chirurgos, qui corporis pro objecto inſervientis, vel circa quod operationes eorum verſantur, notitiam habere cupidi, Anatomen, ut par eſt, colere ſtudent. Aſt nec illos ipſos ad legitimam vulneris dijudicationem ſufficere, ſanior eſt ſententia; cùm Medici præſentia unà quammaximè requiratur; quem tamen probum & peritum eſſe, non tantùm in aliis, ſed inprimis quoque in corporis humani ſtructura pernoſcenda, addecet; quâ ſine, licet optimus audiret Practicus &c. paululùm tamen differret ab alio quovis Empirico, & non Medicus, ſed monſtroſus aliquis Medicaſter exſiſteret, atque ut aſinus ad lyram, ſic ipſe ad inquiſitionem vulneris adhiberetur. Talis ſanè periti Medici abſentiam primum illegalitatis punctum vocat Exc. D. D. Paul. Ammannus in Acad. Lipſ. Prof. Publ. celeberrimus, Medicin. Crit. Diſcurſ. ſuper Caſ. 10. contra quam Defenſores rei ſtatim excipiunt. Hanc pariter alter Lycéi Philuréi Æſculapius, Nob. D. D. Gothofr. Welſchius in ſuo ration. vulner. judicio tetigit, legitimam vulneris inſpectionem prolixè deſcribens, eamq; ſedulam, diligentem, & adcuratam in vulneris conditionem ac qualitatem, à Medico & Chirurgo, à Magiſtratu legitimè requiſitis, vocans inquiſitionem, ad Judicis ſuper letalitate vulneris informationem. Quam in rem conferantur etiam, quæ Paul. Zacchias Quæſt. medico-legal. lib. 5. tit. 2. quæſt. 1. §. 2. 3. & 4. protulit.

OBSERVATIO LXIX.

Cordis exiſtentia in febre quartana.

VIdua quædam, annorum ætatis circiter 63. per tres quatuorve ſeptimanas febre quartanâ duplici laborans, in motus deniq; convulſivos incidit, ac exindè mortem obiit. Poſt obitum cordis parenchyma videbatur colore pallidum, prorſus flaccidum, ſubſtantiâ ſuâ carnoſâ ita abſumtâ, ut nihil fermè, præter venarum & arteriarum filamenta ſub membrana latentia apparerent, & in ventriculis vix ſanguinis nigri quicquam, nec in pericardio ſeri quid inventum. Magnis etenim Domina hæc terroribus, mæroribus, atq; curis confecta fuerat. Sub praxi propr.

SCHOLION SCHRÖCKII.

QUamvis talis in hoc ſubjecto cordis exſtiterit conditio, aliâ tamen facie quandoque in febre iſta ſe exhibere ſolet, ita ut flacciditate tali & conſumtione non ſemper ſqualeat. Sic Hælidæus ex obſervat. Laurent. Scholzii in viri quartanâ defuncti corde fruſta magna, longa, alba, pituitoſa invenit, ſeri ſcilicet aut ſanguinis concretiones, vulgò cordis polypos dictas, & à Cl. Marcello Malpighio ſingulari diſſertatione expoſitas; quas melancholici ſive acidi humoris, febris iſtius potiorem cauſam quem ſtatuunt, vis coagulatoria produxerat. Sic etiam mœrores, curas, & terrores ad quartanam diſponere, non eſt dubium, cùm pituitæ, à qua nempe fermenteſcente febris illa non minùs multoties oritur, & quæ polypoſis iſtis concrementis perquam adcommoda eſt, ut & acidi ſucci proventum augeant: Quin & pathemata illa non ſanguinis tantùm generationem retardant, ſed & ſpiritibus vitalibus ac animalibus, eosdem depaſcendo & ſuffocando, bellum indicunt, adeoque tandem ipſas earum officinas contabeſcere faciunt; hinc lib. 6. Epidem. ſect. 5. Hippocrates de humano animo teſtatur, quòd, ſi unà cum morbo incen-

ſus

ſus fuerit,corpus depaſcatur; inprimis verò carnoſam cordis ſubſtantiam ſucco & vigore ſuo exuunt graviores animi impetus, non ſecus ac reliquas etiam corporis carnes ab iſtis marceſcunt atque macreſcunt; id quod vel externa taliter adfectorum facies utplurimum docere poteſt. Qua ratione apud Melanthonem lib. 1. de animo, citante Jordano lib. 1. cap. 16. de peſtis phœnom. cor flaccidum, piri toſti faciem in Caſimiro, Marchione Brandenburgico, mœrore ac vigiliis conſumto, repræſentâſſe legitur; quod ad unguem etiam in juvene, intra triduum febre ardentiſſimâ maximisque ſymptomatibus defuncto, notavit Dominic. Panarolus pentecoſt. 1. obſerv. 31. Sic etiam apud Bernhard. Tileſium, quem Gaſp. à Rejes, Schenckius aliique citant, homo diuturno morbo & extremâ macie confectus, cor nullum, ſive illius tunicam tantùm exhibuerat. Et Exc. Collega, D. Melchior Fribe, cor carnosâ ſubſtantiâ ſuâ planè conſumtum, & inſtar loculi vacui corrugatum, in femina obſervaverat, ut refertur in Anno III. Eph. Curios. obſerv. 65. Aliud itidem cordis extenuati exemplum prodidit Johann. Anton. Lindanus Select. medic. exercit. 9. §. 51. Quæ dum conſidero, vel ex hoc fundamento, cor magnos morbos poſſe aliquandiu absq; vitæ diſpendio pati, probabile puto. Quis itaque Plinio adſtipuletur, lib. 11. Hiſtor. natur. cap. 37. ſcribenti: *Solum hoc viſcerum vitiis non maceratur, nec ſupplicia vitæ trahit, læſumq́ mortem illico affert?*

OBSERV. LXX.

Herpes in pectore exedens.

Eminentiſſimus C. S G. C. de T. temperamenti calidi & ſicci, aſſuetus diætæ liberalioris & vini generoſi, ac iracundiâ facilè percitus, cùm A. 1662. ſub initio veris ſentiret moleſtiam circa pectus cum calore quodam præternaturali, infeſtatus pruritu exurente,

rente, ac puſtulis parvis cum cutis inflammatione & exulceratione dolorifica valdè à ſero bilioſo acri, impatiens & ægerrimè ferens malum hoc, convocatis duobus Medicis, ſed non ad guſtum atq; placitum ei ſervientibus, poſtulari jubet Monachio Archiatrum Electoris Bavarici ſupremum, qui ſeverè injunctâ diætâ decente, alternatis per epicraſin cholagogicis ac bilis fervorem infringentibus, ſimulq; externè adhibitis emplaſticis & epuloticis, feliciter priſtinæ ſanitati reſtituit. Ex obſerv. propr.

SCHOLION SCHRöCKII.

HUjus in Scholio ad Obſerv. XXXIIX. mentionem Auctor jam fecerat, differtq; à miliari, quem ibi deſcripſerat, ſolâ humoris morbifici vehementiâ; cùm ſeroſi vel bilioſi acrimonia in miliari herpete remiſſior, econtra in exedente ſive ἐσθιομένῳ vehementior & corroſiva exſiſtat, ita ut non tantùm ad corporis peripheriam ſecedat, ſed & eandem cum vicinis partibus exulceret & depaſcat, unde etiam fera dici fuit promerita; & Celſo herpes [id quod de hac præſertim ſpecie veriſſimum,] non inconcinnè Sacer ignis, quod nomen alii Eryſipelati poſtea impoſuerunt, dicitur lib. 5. de re medica cap. 28. Ubi etiam tale prognoſticum conſignat, quod ex Hippocratis lib. 2. Prorrhetic. deſumſerat: *Omnis ſacer ignis ut minimum periculi habet ex his, quæ ſerpunt, ſic propè difficillimè tollitur.* Quam difficultatem illi potiſſimùm experiuntur, qui vel ob ichoris, continuò à malè diſpoſitis viſceribus [cacochymiam enim ſæpe herpetem producere, Practici obſervant,] transmiſſi contumaciam, vel etiam præpoſterè adhibita remedia, vim ejusdem acerrimam in corpore ſuo, exulcerationem nempe inſignem ſubeunte, experiuntur, ita ut tandem pro deſperato malo reputent, ſolis mitigantibus contenti; qua ratione Joh. Agricola, à fruſto carnis impoſito ardorem iſtum demulceri, tract. 5. Chirurg. parv. memorat, ſale morbifico carnem illam corrodente & conſumente; quod dum facit,

facit, malum iſtud Lupi voracis epitheton à Germanis adpoſitè reportavit. Hoc ut evitetur, præter pharmaciam, diætâ quoq; decente, præſertim quæ circa frenandam bilem, & cibum potumq;, ad ſeri acrioris generationem facientia, evitanda verſatur, quàm maximè opus eſt. Quæ cùm ſeverè ægroto huic à Medico ultimùm vocato injuncta fuerit, uſurpata unà remedia ſanitatem eò feliciùs reddere valuerunt, quam fortè à duobus primò accerſitis difficulter impetrâſſet, cùm ad guſtum & placitum ei, liberaliori diætæ adſueto, ſervire, ut par erat, Ipſe autem obedire noluiſſet. Sic quæ fortuna hiſce defuit, ultimò accito, magnâ auctoritate prædito, arriſit, gloriam quoque reſtitutionis eidem unà concilians. Adeò, quidquid dicant alii, nec Medici fortunâ carere poſſunt.

OBSERV. LXXI.

Zona ignea.

ANcillam vetulam quondam habui quinquagenariam, Noribergæ adhuc commorans, quæ triduum diu noctuq; inquieta de moleſtia cum cardialgia circa præcordia queritans, deniq; ſenſit ſub præcordiis propè ſtomachum circumcirca ad latitudinem manus, cinguli inſtar, puſtulas parvas lucidas, cum cutis inflammatione acri prorepere, ſed aſſumto cathartico leni, & ſudoriferis cum cordialibus ac alexiteriis miſtis, externè quoq; ſe fomentis modicè refrigerantibus ſæpius tepidè detergens, & ſponte deſiccari permittens, intra ſextiduum revaluit ea, à tam moleſto & periculoſo affectu liberata.
Sub praxi propr.

SCHOLION SCHRöCKII.

HAc de herpetis ſpecie, ſæpius ab ipſis obſervatâ, quam Zonam, Græcè ζωστῆρα nominant, eleganti figuræ ſimilitudine, quâ hominem Zonatim ac in gyrum ambit, ut loquitur Cl.

Joh. Rhodius not. ad Scribonii Largi compoſit. 63., legi præcipuè merentur Marc. Aurel. Severinus lib. 4. de recondit. abſceſſ. nat. cap. 9. §. 11. & Nicol. Tulpius lib. 3. obſerv. med. cap. 44. Quibus addi debet Exc. D. Simon. Schulzius Ann. III. Ephem. Cur. obſ. 4. Letalem eandem vidit Joh. Langius in Illuſtr. Marchione, ortam ex ulcere cruris intempeſtivè à Chirurgo conſolidato, lib. 1. epiſt. med. 32. nec non Nobil. D. D. Joh. Henr. Brechtfeld Volum. 1. Actor. medic. Hafn. obſ. 119. Sed hîc non tam ex ſui natura triſtem illum eventum ſortita fuerat, quàm quòd præ pudore diſſimulata tandem, inferiore ventre perquam adcuratè, ſed ad Plinii mentem lib. 26. Hiſt. natur. cap. 11. mortiferè circumdato, in gangrænam abierit; & fortè in altero Langii exemplo, alia mortem adcelerans cauſa non defuit. Siquidem ex ſeipſa nemini mortem attuliſſe, Severinus, & Tulpius, licet eandem peſtilentiæ ſororem adpellans, teſtantur. Memini A. 1676. M. Octobr. Virum conſiſtentis ætatis, cholericum, eodem morbi genere, poſt graves perpeſſos inſultus hypochondriacos & arthriticos, in hac Urbe correptum, adhibitis blandioribus catharticis, alterantibus & diaphoreticis, feliciter, integro nondum circulo abſoluto, reſtitutum fuiſſe. Cum ſudore enim vitioſum iſtum acerrimum humorem commodè ſatis educi, vix negari poterit, præſertim dum ipſa natura, ab eo ſeſe liberatura, ad corporis circumferentiam eundem protrudit, imò nonnunquam ſudore ſpontaneo concitato, planè exterminat; qualem copioſiſſimum ſalutarem in femina deſcripſit Nicol. Binningerus cent. 2. obſerv. med. 23. Ille autem modò memoratus æger arte demum, uſu nempe Pulveris ſpecifici ſtomachici Poterii, ex Regulo antimonii ♂li præparati, ad ſudandum perductus fuerat; qui ſanè in hoc adfectu non potuit non egregiè prodeſſe; dum materia virtusque ipſius cum Antimonio diaphoretico maxima ex parte coincidit; hoc autem uti ad ſanguinis depuratio-

nem

nem præſtantiſſimum, & hac ratione in abſceſſibus internis, morbo venereo, ſcabie, pruritu, puſtulis pertinacibus, & ulceribus laudabiles ac mirandos edidiſſe effectus, (conferatur Magn. Dan. Sennertus cap. 18. de Chim. cum Gal. & Ariſt. cons. & diſſ. Ill. Th. Bartholinus Vol. 3. Act. med. Hafn. obs. 26. Exc. D. Gothofr. Chriſtian. Wincleɾus Ann. VI. Ephem. Cur. obs. 98. & Cl. Theodor. Kerckringius Comm. in Curr. triumph. ♁nij Baſilii Valent. pag. 230.) experientiâ comprobatum eſt, atq; in adfectu etiam hypochondriaco ſalutare confert auxilium: ita Specificum iſtud, uti communiter vocatur, ob utrumque, ex quo conflatur, minerale, Martem nempe & Antimonium fixatum, obſtructiones aperire, acorem morboſum mortificare, ac conſequenter dolorificum pruritûs & ardoris ſenſum mitigare, ſimulque vitioſum ſerum expellere valuit. Iſtud ſiquidem Antimonium fixum vim ſuam diaphoreticam, ceu pereruditè Collega amantiſſimus, D. D. Georg. Wolffg. Wedelius Pharmac. in artis form. redact. lib. 2. ſect. 2. cap. 3. loquitur, *abſorbendo, & quod ſerum ligat & fixius reddit, reſolvendo, exſerit.*

OBSERVATIO LXXII.

Nauſea ex eſu oſtrearum lethalis.

H. E. C. C. de S. Anno 1663. ex eſu oſtrearum muriâ conditarum nauſeam capiens, incipiebat ſtomachi dolore & anorexiâ laborare, ſubſequente ptyaliſmo cum capitis gravedine, ſed poſt medicamentorum paucorum uſum catarrho ſuffocativo obrutus ferè octogenarius obiit. Aperto cadavere ſtomachus humore ſeroſo ſcatens, hepar in gibboſa parte ſubflavum, pulmones flaccidi & phlegmate mucoſo multo infarcti, itemq; cor flaccidum & pallidum omninò inventum eſt. Sub praxi propr.

SCHO-

OStrea carnis ſuæ mollitie & creditâ dulcedine licet palati ſint deliciæ, ſtomacho tamen eâdem gratiâ rariùs blandiuntur. Hæc enim, ut L. Ann. Seneca epiſtol. 108. loquitur, *non cibi, ſed oblectamenta ſunt, ad edendum ſaturos cogentia: quod gratiſſimum eſt edacibus, & ſe ultra quàm capiunt farcientibus.* Et epiſt. 95. voluptates ſeculi ſui deteſtatus, ait: *Quid? illa oſtrea, inertiſſimam carnem cœno ſaginatam, nihil exiſtimas limoſæ gravitatis inferre?* Quem imitatus ventriculus apud Bernhard. Swalvium de ventriculi querel. & opprobr. ſic uſum eorum perſtringit: *Nunc verò inertiſſima illa oſtrearum ac muſculorum caro ut limoſam mihi infert gravitatem? qualis mea anxietas ex crudis etiamque toſtis? & licet elixa ſalſuginem depoſuerit in humorem, num idcirco mihi inſuperabilis? Præclara illa gulæ ſcitamenta, oſtreas præſertim Britannicas, quibus palmam noſtra tribuit ætas, nullis condimentis tolerabiliores indipiſcor: ſemper earum difficultas atterit vires meas.* Quamvis autem limoſa non ſemper incolant loca, ſed ut Clar. Olaus Wormius lib. 3. Muſ. ſui cap. 7. pag. 254. habet, quibusdam in locis adhæreant ſaxis, quibusdam in luto & cœno proveniant; atque in ſolido vado, non in luto capta eſſe præferenda, Plinius jam lib. 32. Hiſt. natur. cap. 6. benè monuerit; omnia tamen difficilioris eſſe concoctionis, extra controverſiam poſitum videtur. Hinc etiam, tum quòd craſſi valdè ſucci ſint, tum difficiliùs digerantur, crudum progignere ſuccum, craſſum, ac frigidum, Galenus cap. 4. de ſuccor. bonit. & vit. teſtatur; unde etiam lib. 5. cap. 6. de ſanitat. tuend. ſenibus inprimis uſu eorum interdicit. Et licet Celſus lib. 2. cap. 24. Oſtrea rebus, quæ ſtomacho idonea ſunt, adnumeret, ad eadem tamen meritò etiam referemus, quod cap. 25. ſcripſerat: *Ex his autem intelligi poteſt, non quicquid boni ſucci eſt, protinus ſtomacho convenire, neq; quicquid ſtomacho convenit, protinus boni ſucci eſſe*; ideoq; cap. 28. cibos inter,

inter, qui facilè intus corrumpuntur, oſtrea refert. Si eadem ſtomachi gulæque eſſet conditio & ſenſus, quin illi ſatis idonea eſſent teſtacea hæc animalcula, nullus dubitarem; interea tamen in ſtatu ſanitatis ventriculum robuſtum eorundem præſentiam haud ægrè ferre, certum eſt, præſertim ſi modicâ coctione, aromatumque conſperſione &c. priùs fuerint præparata. Cruda enim comedere, quod ſuo quoque tempore non inuſitatum Galenus lib. 3. de alimentor. facult. cap. 33. dixerat, ſanitati parùm conducere poteſt, & cruditatum certiorem proventum minatur. Illud tamen, ne quid nimis, ſeriò ſemper attendendum; cujus mediocritatis neglectio facilè in morbos mortemque præcipitare valet; quod ſanè multoties illis accidere novimus, qui ex mediterraneis regionibus Venetia, ſaliave maritima loca adeuntes, edulium iſtud avidiùs ingurgitant. Et ne gratis dixiſſe iſta videar, Dyſenteriam valde periculoſam, nec non in alio Choleram, à Chariſs. Parente meo obſervatam, ut & Continuam ſtomachicam, collectis à nimio oſtreorum eſu cruditatibus, à Georg. Hieron. Welſchio Decad. 1. Curat. medicin. 6. recenſitam, mortemque ipſam Nicol. Binningerum cent. 1. obſerv. 14. memorâſſe, in exemplum profero.

OBSERVATIO LXXIII.

Ciborum & potus mira abſtinentia.

NOribergæ Virgo quædam, ſtaturâ corporis gracilis, attamen oſſium compage robuſta, temperamenti calidi, ſicci, ad iracundiam facilis, à juventute aſſueta ob conceptum odium ac diſſidium ſæpiſſimè aliquot dies inpranſa, & ſine omni potu, citra virium lapſum permanere. Imò quodam tempore, & in ætate nubili, ob ejusmodi cauſam inediam atq; ſitim per dies quindecim ſub ædium ſupremo tecto, loco ſqualido & tenebricoſo latitans, cunctorumq; conſortium

ac alloquium fugiens, tam pertinaciter ſuſtinuerat, absq; omni deguſtatione cujuslibet cibi & aquæ alterius vel liquoris, ut familiares illam morbos ſibi graviſſimos aſcituram metuerent. Sed illa ſextâ decimâ die ſub nocte, cùm cæteri dormiebant, prodiens incepit panis buccellam aquâ fontanâ imbutam tantùm lambere, moxq; rurſus in latebras ſuas receſſit; die decimâ ſeptimâ iterum noctu buccellam panis aquâ imprægnatam modò rodebat; decimâ octavâ juſculum tenue tepidum cum pauxillo pane intrito ſorbebat, demumq; ſubſequenti tempore alios cibos quoq; in minima portione ſumebat, zythumq; delibabat, usque alimentis ordinariis indies ſtomachus probè aſſuefieret; nec unquam indè ſanitatis noxam ſenſit, ac de more hoc ætatis annum quinquageſimum octavum attigit. Ex obſerv. propr.

SCHOLION SCHRöCKII.

PRodigioſas illas plurium annorum inedias, quas hîc illîc Scriptores tradunt, impoſſibiles, adeoque mera eſſe figmenta & impoſturas, præter alios, noſter inprimis Welſchius in Anno III. Ephemer. Curios. obſ. 35. judicavit, cùm abſtinentiam puellæ Auguſtanæ, Annæ Lamenittiæ fictitiam fuiſſe oſtenderet. Quibus equidem nemo, niſi qui ſe cœcâ credulitate decipi patiatur, ſeſe opponet; nec ipſe etiam ego portentis illis fidem ſum daturus. Abeant illi ad famoſam, extremas Indiæ fines circa Gangis fontem, inhabitantem Aſtomorum gentem, ſine ore natam, & halitu odoreque tantùm viventem, ut Plinius alienâ fide lib. 7. Hiſtor. natural. cap. 2. prodidit; quam ſi invenerint, majorem narrationibus iſtis fidem dabimus. Interea plures dies hominem absque cibo & potu vivere poſſe, veriori conſtat relatione. Auctor quidem libelli de carnib. qui inter Hippocratis Opera recenſetur, plerosque ex his, qui ſeptem diebus nihil edere aut bibere voluerint, ut & qui eos ſuperaverint, mori tradidit, addens: *Nonnulli etiam, ne per inediam è vita diſcederent, ſed ut comederent & biberent, perſuaſi ſunt, verùm venter non ampli-*

amplius admittit. Jejunum enim inteſtinum in his diebus cohæreſcit, quin & illi moriuntur. Placitum tamen hoc magiſtræ experientiæ refragari, Cl. Joh. Rhodius regerit, idque cent. 2. obſerv. 54. & 55. variis exemplis eorum, qui etiam ad undecim pluresque dies à cibo abſtinendo, ſine detrimento vitam ſuperſtites duxerint. Quod præcipuè in ægrotis non adeo mirum, inprimis ubi præter caloris depaſcentis debilitatem, fermenti ſtomachici penuria & ſalini ejus principii fatuitas, magnaque pituitoſorum humorum colluvies regnat; quorum ſanè intuitu Hippocrates ſect. 1. aphor. 13. Senes facillimè jejunium ferre, dixiſſe videtur, & lib. de vict. rat. in acut. non conſuetam cibi abſtinentiam hos faciliùs in totum ferre pronunciat, qui partibus ſuperioribus pituitoſi ſunt. Quò etiam haud incommodè ventriculi ἀναισθησίαν vel paralyſin, quam Auguſtin. Thonerus lib. 3. obſervat. medic. pag. 144. adducit, obſtructis nempe & oppletis tunicæ nerveæ fibris, quas inanitas famem excitare Celeb. Thom. Willis part. 1. Pharmaceut. ration. ſect. 1. cap. 2. ſtatuit. Quin & in ſanitatis latitudine, ſeptem dierum inediam non ſemper mortem habere pediſſequam, varia exempla oſtendunt; quæ inter elucet, quod de ſeptem Britannis undecim dierum inediam paſſis Nicol. Tulpius lib. 1. obſervat. medic. cap. 43. exhibuit; quorum unus quidem violentâ à ſociis morte illatâ occubuerat, alter etiam in rabiem conjectus præcipitem ſe in mare dederat, reliqui tamen vivi ſupervixerant. Sic virginem mœrore & deſperatione coactam, viginti duos integros dies ab omni cibo & potu abſtinuiſſe, adhibitâ tamen paulatinâ per alimenta refectione, poſtquam corpore extenuato cadaver jam æmulabatur, convaluiſſe, teſtis eſt Dominic. Panarolus pentecoſt. 5. obſerv. medicin. 20. Huc melancholicos referre liceat, conſimili ſæpe diuturnâ abſtinentiâ ſeſe macerantes; qualem cumprimis plurium ſeptimanarum habet Fridericus Loſſius lib. 1. obſerv. medic. 21.

quatuordecim dierum Exc. D. Caſp. Theoph. Bierlingius Advers. curios. 43. Singulorum menſium primos dies decem ſine ullo vel minimo cibo potuque tranſigentem profert Henricus ab Heer obſerv. medic. 27. ubi conſuetudinem magnum addidiſſe momentum, credibile eſt, de cujus in portentoſa inedia producenda vi, egregia protulit Nob. D. Joh. Nicol. Pechlinus meditat. de aër. & alim. defectu cap. 12. Hæc tamen exempla rara admodum ſunt, nec cuivis tali jejunio ſe adflicturo imitanda; imò faciliùs Hippocratico prognoſtico expianda, ita ut non tantùm mors preſſo ſuccedat pede, ſed & ventri denuo ſi pabulum offeratur, is ampliùs admittere illud recuſet; cùm iſta in Hippocratis præſagio denominata inteſtini jejuni contractio vel concretio minimè ſit commentitia; quam abunde Henrici Sampſoni relatio comprobat, quæ Ephem. cit. obſ. 173. legitur, abdomine nimirum in femina, ex diuturna abſtinentia, ad ſpinam collapſo, manu palpandam, non obſtantibus muſculis & inteſtinis jam aridis. Prout etiam Petr. Borellus cent. 3. obſerv. med. 35. de Carthuſiano quodam refert, ventre eum omnino deſtitutum fuiſſe, adeo ut oſſium dorſi veſtigia in abdominis cute impreſſa conſpicerentur. Quam fortè ventriculi & inteſtinorum concidentiam paſſus quoque fuerat ille captivus, cujus meminit Fel. Platerus centur. poſthum. quæſt. medic. num. 32. qui ut morte voluntariâ ſupplicium gravius anteverteret, omni cibo & potu per 14. dies abſtinuerat, quo tempore elapſo, cùm cibum expeteret, admittere tamen ampliùs haud potuerat. Hinc etiam Clar. Kerckringii conjectura fuerat obſerv. anat. 80. in muliere illa, ab incauta ciborum abſtinentia jugulata, pylorum, dum ſolidiorum ciborum tranſitu non aperiretur unquam, paulatim concidiſſe & concreviſſe. Non minùs poſt longam adeo ciborum averſationem, paulatinam fieri debere readſumtionem, docemur, non tantùm, ne caloris innati, à longiori pabuli denegatione

tione debilitati, ſuffocationem uberiùs exhibitum alimentum inducat, ſed & collapſi ventriculi inteſtinorumque parietes ut ſenſim iterum diducantur atque extendantur.

OBSERV. LXXIV.

Vomitus rerum variarum præter-naturalis.

A. C. 1647. *Noribergæ famula quædam Præfecti cujusdam equitum, evomuerat poſt inſignes & miſerabiles ventriculi ac inteſtinorum torſiones, per ſeptimanas aliquot continuas in die ſæpiſſime pilos conglobatos, acus, aciculas incurvatas, ſanguinis grumos, ovorum cortices, & alia, cui nullo medicamine ſubvenire quisquam potuit, usque ipſummet malum ſponte ceſſârat. Omnia hæc ex faſcino proveniſſe, rumor poſtea vulgabatur.* Ex obſerv. propr.

SCHOLION SCHRÖCKII.

VArios ejusmodi ex faſcinatione vomitus paſſim deſcriptos legimus; quos inter indicâſſe ſufficiat, quos memorant: Thom. Bartholinus cent. 1. hiſt. anat. 52. & cent. 2. hiſt. 38. Joh. Bapt. Helmontius tract. de inject. material. §. 2. Henr. ab Heer obſerv. medic. 8. Martin. Rulandus cent. 4. curat. empiric. cap. 15. Franciſc. Hildesheim Spicileg. 2. de cerebr. & capit. morb. intern. pag. 186. Petr. Foreſtus lib. 18. obſerv. 26. in ſchol. Anton. Benivenius de abdit. morb. caus. cap. 8. & Cornel. Gemma lib. 2. &c. Quâ autem viâ res ejusmodi, quales deſcribuntur, inſolitæ & ſtupendæ in ventriculum deveniant, uti variæ conjecturæ circumferuntur, partim etiam in meras præſtigias Satanicas referuntur: ita quidquid hac in materia diſceptari poteſt, erudito ſuo de faſcinatione tractatu, lib. 3. part. 6. cap. 16. optimè expediit Exc. D. D. Joh. Chriſtian. Frommannus; ad quem itaq; L. B. remitto; ubi etiam in part. 8. ſect. 2. de curatione talismodi faſcinatorum inveniet, quæ probare poterit.

OBSERVATIO LXXV.

Vomitus rerum variarum mirus, cum motibus convulſivis.

A*Nno Chriſti circiter 1669. Noribergæ ancilla quædam mira ſymptomata per intervalla miſerrimè ſuſtinuit, graves nimirum cardialgias, ventriculi corroſiones, vomitiones cruentas, promiſcuè ſæpe cum pilis variis, & filis lineis connodatis atque conglomeratis, acubus, aciculis incurvatis, fragmentis cultrorum, clavorum, ferramenti vetuſti, filis ferreis, nummis æreis, globulis ac fragmentis vitreis, ovorum putaminibus atque aliis; perſæpe quaſi convulſiones & epilepticos inſultus ſentiens, in terram concidebat, poſtea mirâ artuum & corporis contorſione, antrorſum & retrorſum, affligebatur, cum clamore abſono ac vultu horrido, imò venter ipſe inſigniter intumeſcebat, remorantibus menſtruis, ut prægnans crederetur. Sed cùm Theologi & Medici ex alloquiis ac medicamentorum ordinatione, per aliquot menſes defatigati videbant, omnia fruſtra exhiberi, & inutiliter tempus conſumi, imò pariendi tempus inaniter præterire, è cuſtodia emiſſam Magiſtratus ex ſingulari commiſeratione carrucæ impoſitam, Auguſtam Vindelicorum, unde Noribergam priùs venerat, devehi curavit.* Ex communicat. anonymi.

SCHOLION SCHRÖCKII.

MIſellum hoc peccati Satanæq; mancipium, R. S. cùm. A. S. R. 1666. 11. d. Novembr. pactum cum Dæmone iniiſſet, duobus chirographis confirmatum, quæ menſtruo ſuo cum ſanguine exaraverat, annorumq; quatuor & quindecim dierum incultum ei ſeſe devoverat, atque A. 1670. terminus adpropinquâſſet, ſeriâ delicti abominandi pœnitentiâ ductum, poſt multas à Satana perpeſſas graviſſimas tentationes, ardentiorum precum efficaciâ, tranquilliorem quidem in ſtatum poſitum, ereptâ nempe,

nempe, publico in carcere, 26. Novembr. infernalibus ungulis priori ſcriptæ obligationis ſchedulâ, cui ſequenti anno & altera ſucceſſerat; à miro tamen vomitu iſto, quo diverſiſſimas res egerebat, horrendis convulſionibus, Diaboliq; ad novum pactum ſollicitationibus ac invaſionibus, non planè liberatum fuerat. Quorum omnium cùm A. 1671. ex Italia redux factus, præſente plur. Rev. D. M. T. S. ſedulam animæ ejus curam agente, ipſe ſpectator in Xenodochio publico fuerim, paucis referam, quid obſervaverim. Eam itaque femellam externâ facie floridam & benè valentem cùm offendiſſem, ipſa verò ad deguſtationem vini ſollicitata, diu petito noſtro reluctata fuiſſet, eò quòd atroces in vomitus, convulſiones, atque tentationes, Diabolo utpote ægerrimè, ut dicebat, excretionem iſtam ferente, ſe mox lapſuram ſciret, verereturq;, ne mihi dirum ſpectaculum terrorem incuteret, de quo tamen poſtquam ſecuram eſſe juſſiſſem, mihiq; Chriſtiano Satanam terrori eſſe negâſſem, vix deguſtato uno vini cochleari, ventriculi ſtatim convulſivos motus, tandemque ſubverſiones vehementes ſubierat, vi magnâ ejectis duobus non exiguis præacutis vitri confracti laminis, ferreoque intorto filo, meas inter Curioſitates adhuc repoſitis, unà cum aliis quibusdam globulis & crepundiis, quæ recenſere nolo, parùm ſaltem ſaliva madefactis, nullâque planè ſanguinis guttulâ conſperſis; quo vomitu ceſſante, atroces totius corporis convulſivæ agitationes ſucceſſerant; hisq; remittentibus, ipſa in ecſtaſin rapta, ad nova pacta invitanti atque ad deſperationem compellenti Cerbero maſculè ſeſe oppoſuerat; ſed tandem turbis iſtis finitis, lecto denuo ſurgens, nullaq; de corporis debilitate conqueſta. Num maximus ille faſcinator, in hac tragœdia oculos meos deluſerit, ut res iſtas, licet è ventriculo ſurſum propulſas credere potuerim, in ipſo vomendi actu, ſummâ, quâ pollet, agilitate ori patellæq; ſuppoſitæ injecerit, vel an dilatato immensùm œſophago, munitoque,

toque, ne à tranſeuntium, vitri & ferri, rigidioribus cuſpidibus læderetur, me ſanè latet; inprimis cùm magnus ille ventriculi ſuperiora adfectantis conatus, colli intumeſcentia, & impetuoſa ferri &c. expulſio, ex ſtomacho ipſo ejecta illa, perſuadere; illæſæ autem à majoribus iſtis tranſeuntibus acutis corporibus viæ contrarium innuere queant. Convulſiones quidem fictitiæ haud fuerunt; quâ tamen ratione laſſitudinis ſenſum poſt ſe nullum reliquerint, neſcire me profiteor. Ecſtaticum etiam illud cum malo Genio colloquium quamvis melancholici phantaſmatis ſpeciem præbere potuerit, altiorem tamen cauſam habuiſſe, reliquæ circumſtantiæ evincere videntur.

OBSERV. LXXVI.

Vomitus continui curatio ex liene ſuillo.

UXor mea conjugii primi, per plures annos ſtomachi debilitate ac apepſiâ laborans, plerumq́, ſub digeſtionis tempore, vel à levi cauſa commota, cibum, potum, vel copioſum ſerum, cum pauca bile porracea aut æruginoſa permiſtum, ſemper præcedentibus ventriculi & inteſtinorum tenuium torminibus ſævis, præſertim circa umbilicum, evomuerat, ſed multis à multis & diverſis in curam fruſtrà exhibitis, demum ex perſuaſu cujusdam villici, liene ſuillo leviter elixo, ac ſine ſale & aromate, tertiâ vice comeſto, reſtituta permanſit. Ex obſerv. propr.

SCHOLION SCHRÖCKII.

SI de fermenti alicujus, cibis adpetendis vel digerendis dicati, à liene in ventriculum inſpiratione vel communicatione certi quid conſtaret, faciliùs fortè curationis hac in obſervatione traditæ, ratio adſignari poſſet: Aſt cùm neque illius in liene præſentia ſit indubitata, multò minùs per vas breve venoſum arterioſum-

oſumve transmiſſio poſſibilis, alii autem ductus ſe per Anatomiam nondum patefecerint, nec ſimplex à liene ad ſtomachum, per inane interjacens ſpatium, tranſitus probabilis exſiſtat, multâ premitur difficultate. Exc. quidem Marc. Malpighius tract. de viſcer. ſtruct. cap. 6. de liene, aciditatem viſceri huic connaturalem fortaſſe eſſe, ſuſpicatur, cùm ejus carnem, ſive cellularum membranas acorem ſapere ſciret, qualis à ventriculis quorundam brutorum erumpit, & qui lactis turbationem efficeret, ut amiſſo propriæ ſubſtantiæ modo & coloribus, fœtens redderetur. Econtra Cl. Gualt. Charleton lib. de ſcorbut. cap. 6. art. 7. haud paucos lienes mox ab exſectione guſtu ſe examinâſſe, nihil acidi tamen unquam oblatum ſibi, teſtatur, quin & pro comperto habens, lienis ſive recentis ſive exſiccati fruſtula lac neutiquam cogere, etſi totam noctem immacerata fuerint. Id quod & ipſe, dum hæc ſcribo, expertus, nullam lactis coagulationem ab injectis ſplenis ſuilli particulis deprehendere potui, lacte potiùs altero die corruptionem, maximo fœtore comite, ſubeunte. Sic & alii modò aciditatem iſtam linguâ ſe explorâſſe, alii nullam ſe deprehendiſſe, fatentur. Ut jam non dicam, quòd præconcepta opinio & imaginatio hunc illumve ſaporem, præcipuè ſi de remiſſiori tantùm diſceptatio exſiſtat, qualis de liene prædicatur, facilè effingere queat; diverſas ſaltem animalium ſpecies, ætates, ſanitatem, pabulum, vel ſi quæ aliæ eſſe poſſunt cauſæ, diverſitatem quoque aliqualem viſceri iſti, quoad ſaporem, imprimere, & jam aciditatis alicujus indicia præbere, jam dulcedine quadam ſe commendare poſſe, mihi videtur veroſimile. Accedit, quòd lienes cibi loco comeſti, ob fibroſam ſubſtantiam, difficilioris concoctionis communiter credantur, præſertim ſi condimentis debitis non fuerint præparati. Unde vel ex hoc fonte lienis ſuilli, ad ſtomachi debilitatem ac anorexiam uſus labaſcere videtur. Nec fortè ad occultam aliquam proprietatem, quamvis huma-

næ ignorantiæ tutiſſimum aſylum, confugere hîc licebit. Quare, ſi non ſingularis aliqua in remedium iſtud ruſticanum Ægrotæ hujus confidentia, quam nempe multum in curandis morbis ſæpe præſtitiſſe, & conſimiles animi adfectus magnam in ventriculo adficiendo poteſtatem habere conſtat, hîc operata fuerit, inprimis ſi prægreſſus aliorum idoneorum medicamentorum uſus ſpleni ſuillo ter comeſto viam ad ſanitatem inducendam paraverit, blandum in eo latentem acorem animalem, ventriculi digeſtivo non abſimilem, exſeruiſſe hîc vim ſuam, dicere liceat.

OBSERV. LXXVII.

Vomitio non ſemper navigantibus accidens.

PLerumque navigantes, etiamſi Maris mediterranei, ſive Oceani accolæ ſint, in initio navigationis ad vomitum vehementer irritantur; nunquam autem ego in æquore Liguſtico atque Gallico vectus, tametſi fluctus marini atrociſſimè æſtuabant, & agitabantur, nauſeâ vel vomitu infeſtatus fui, nec aliam aliquam offenſam indè ſenſi. Ex obſerv. propr.

SCHOLION SCHRöCKII.

MOtum ad concitandum vomitum conducere, Hippocratis eſt ſententia ſect. 4. aphor. 14. epoto nempe helleboro, quem præced. aphor. ἄνω purgare dixerat, corpus movendum potiùs, quàm ſomno tradendum aut quieti, innuens, ſtatimque addens; *Nam vel navigatio indicat, motione turbari corpora.* Quo ipſo ſanè cauſam vomitûs, navigantibus familiaris, clarè indicat; & hinc non marinum tantùm eſſe adfectum, qui à maris ſalſedine aut fœtore concitetur, ſed in dulcibus etiam aquis, ab impetuoſis procellis multùm agitatis nonnunquam accidere, notat Ill. D. PRÆSES noſter, D. D. Joh. Mich. Fehr tract. de hier. picr.

picr. pag. 104. exemplo ex Adam. Olearii Itinerario Moſcov. Perſic. adducto illud illuſtrans. Qua ratione etiam multi, ſi curru vecti paulò vehementiùs agitentur, eandem ventriculi ſubverſionem incurrere obſervantur. Dum ſcilicet nimio motu & fluctuatione confusâ ſpiritus animales in ἀταξίας rapti, nervorum paris vagi capitella inordinatè incurrunt, ideoque ſpaſmos & motus convulſivos in viſceribus excitant, ingenioſo Williſio ſic explicante part. 2. tract. de anima brutor. cap. 7. Alias tamen unà cauſas concurrere poſſe, non eſt dubitandum; quas inter inprimis ſtomachi debilitas, ac vitioſorum in & circa eum hærentium humorum colluvies ſymbolum addit; unde etiam medicamenta ſtomachica, quale eſt Sal illud peregrinorum, ut vocatur, à Bernard. G. Penoto lib. de medicament. ſpagir. deſcriptum, notatum quoque à Joh. Hartmanno in Praxi chimiatr. & Abſinthium inprimis, quod prælaudatus commendat D. Fehrius, in curando adfectu hoc utilem præſtant operam; atque vomitum iſtum, modò non nimiùm excedat, impedire vetant Practici, evacuatâ ſcilicet hac ratione vitioſæ materiæ ſaburrâ; à quo ideo ventriculi dolores diuturnos & contumaces ſæpe curatos monet Petr. Foreſtus lib. 18. obſervat. 15. in ſchol. quod pariter innuere voluit Plinius lib. 31. Hiſtor. natur. cap. 6. ſcribens: *Vomitiones iſtæ inſtabili volutatione commotæ plurimis morbis capitis, oculorum, pectoris medentur, omnibusq́; propter quæ elleborum bibitur.* Imò purgato ante navigationem corpore, malum tolerabilius evadere creditur. Hinc fortè Salernitana Schola aquæ marinæ potum præſervare ab hac nauſea docuit:

Nauſea non poterit quenquam vexare marina,
undam cum vino mixtam qui ſumſerit ante.

Nobil. quidem Henr. Ranzovius libell. de conſerv. valetud. cap. 41. Filiis navigaturis, in potu paululum aquæ marinæ miſcere, præcipit, quò ventriculus paulatim mari adſueſcere diſcat; hæc

 tamen

tamen potatio parum utilitatis adferre poteſt, cùm, ut ſupra dictum; motus potiùs primaria incommodi iſtius cauſa exſiſtat, non ipſa aqua marina. Quin rectiùs ſenſiſſe mihi videtur Frideric. Martinus in Itinerar. Grönland. part. 2. cap. 2. quosdam eandem, pro curanda per vomitum nauſea iſta, potare referens, quem tamen non tam aquæ, quàm faſtidio ex hac concepto adſcribit; quamvis ſtomacho eam adverſari, Dioſcorides lib. 5. de mat. med. cap. 15. teſtetur; & non ſine injuria ſtomachi ad purganda corpora bibatur, ut loquitur Plinius l. c. Porrò ventriculum copiosè ingeſtis cibis onerare, eſt eundem ad expulſionem hanc diſponere. Sic neque marinum aërem culpâ prorſus vacare, facilè dixerim, quem variis è mari exhalantibus particulis fœtum, adſociantibus etiam ſeſe ipſis navalium ſordium atomis, adverſari inadſuetis poſſe, non eſt improbabile; cui ſanè cauſam adſcripſit Borellus cent. 3. obſerv. 60. quòd Venetus ille, maris incola, equo inſidens easdem nauſeas, quas nos in mari, paſſus fuerit. Quanta enim hîc ſit conſuetudinis vis, ipſe morbus abunde docet, quo nunquam vel rariſſimè, navigationi deditos corripi obſervant; cui quoque acceptum fert citatus Olearius, quòd pueri cunarum agitationi adſueti, rarò admodum ſimile quid patiantur, ad mentem ipſius Hippocratis ſect. 2. aph. 49. *Conſueti ſolitos labores ferre, etſi fuerint invalidi aut ſenes, non conſuetis, quamvis robuſtis & juvenibus, faciliùs ferunt.* Henricus Salmuth Comm. in part. 2. Guid. Pancirolli de reb. memorabilib. tit. 11. timorem non minùs, naufragii metu inductum, *dum prope tam lethum, quàm prope cernit aquam,* navi qui ſe concredidit, accuſat, cùm æſtuans animus ac fluctuans, corpus ſimul concitatum replet perturbatione. De imaginatione, quâ ad vomiturientium conſpectum alii quoque ad ſimilem motum ſtimulantur, & ſi quæ aliæ occaſiones eſſe poſſunt, ut jam taceam.

OBSER-

OBSERV. LXXVIII.

Singularis ſympathia & antipathia in balneando & natando.

Cùm à pueritia fluvios & ponticulos, ut qui undecennis Anno 1622. Erdfurthi febricitans prodeambularam, ac de ponte improvisò in fluviolum quendam decideram, abhorrebam, nec unquam natare, licet multoties ab aliis inſtruerer, neque in balneo labris, aut flumini ulli umbilicotenus, vel ad ſtomachum usq; inſidere poteram, quin ſtatim me aqua in ſublime levavit; attamen ad maris æſtuantis litus in Galliis, dum cum dorſo fluctus marinos verſus erectus ſteti, fluctibus altè ſuper me aſſurgentibus & relabentibus, caput corpusq; totum blandè abluentibus, ſine horrore ac metu me ſæpius ſecurè lavaram. Ex obſervat. propr.

SCHOLION SCHRÖCKII.

Hydrophobia quis dicatur adfectus, omnibus notum eſt, miſerrimum genus morbi, in quo æger & ſiti, & aquæ metu cruciatur, quod *Aquæ timorem* Latinè vocare, Corn. Celſo lib. 5. cap. 27. placuit. Qui licet à rabioſi canis morſu utplurimum oriatur, cùm ſcilicet vulneri iſti parùm occurſum eſt, ut idem Celſus loquitur, quandoque tamen aliam agnoſcit cauſam, nec ſemper à morſu illo originem ducit; qualem, notante Joh. Rhodio not. ad Scribon. Larg. comp. 171., Sanchez in obſervat. prodidit. Petr. Borellus etiam cent. 3. obſerv. 38. feminam eodem exſtinctam memorat, quæ ne quidem juſcula ulla, nullaque alia liquida cernere tantùm poterat; & Henricus Salmuth cent. 3. obſerv. med. 52. potatoris ſtrenui mentionem facit, qui in febre maligna, alia inter ſymptomata, in hydrophobiam quaſi inciderat, ita ut in quartum usque diem, intenſiſſimâ ſiti cùm cruciaretur, eiq; os amarum & lingua valde ſicca atque aſpera exſiſteret, po-

potum quidẽ anxiè expeteret, ſed ex ori admoto tanto tremore & metu percelleretur, ut nec guttulâ hauſtâ, deponere eum illico cogeretur. Licet itaque adfectus hic ad anginam, quod facit Clar. Thom. Reineſius epiſt. 23. ad Neſteros, referri alias poſſit, in his tamen aliisq; ſimilibus exemplis aliud quid comminiſci æquum eſt; quod mentis deliræ aberrationi, quæ mirabilis ſæpe in febribus malignis &c. eſſe ſolet, ſi tribui nequeat, quid aliud hîc dicendum ſit, neſcio. Auctor verò noſter puerilibus annis metu tantùm, à caſu illo in fluviolum inproviſo, altiùs in animum impreſſo, Balnea horruiſſe videtur; quem ætas provectior, & ad reſiſtendum inani iſti timori aptior, fortè deleverat.

OBSERVATIO LXXIX.

Mira in ſene voracitas.

F*R. ferè octogenarius, ſtaturæ proceræ, gracilis, attamen corporis & animi viribus in hac ætate mirè vegetus, atq; liberrimi genii, tunc temporis, anno circiter 1632. conjugio tertio iterato liberos adhuc gignens, tantâ ciborum aviditate geſtiit, ut ſæpius jurulentum cum cepis, anguriis, foliis porraceis, braſſicæ capitatæ, vel cauliflora, & radicibus petroſelini ſimul, more Gallico incoctum, acetarium, bonam partem petaſunculi in oblonga ac tenuia fruſta conciſi, & ſaccharo conſperſi, botellos aliquot lucanicos, alaudas aliquot ſive anatem ſylvaticam paluſtrem, atq; armum agninum, in unico prandio omnia, magno cum appetitu, ſine ulla ſtomachi noxa, ſimulq; panis triticei portionem magnam pereſitaret, potus verò non valdè avidus fuit.* Ex obſerv. propr.

SCHOLION SCHRÖCKII.

PLures miræ voracitatis homines noſſe qui cupit, præter alios, Joh. Schenckium lib. 3. obſervat. medic. Joh. Theodor. Schenckium Exercit. anatom. 5. lib. 1. ſect. 2. cap. 17. Daniel. Sen-

Sennertum Medic. pract. lib. 3. part. 1. ſect. 2. cap. 4. Joh. Beverovicium part. 3. Idéæ medic. vet. Marcellum Donatum lib. 4. hiſt. med. mirab. cap. 2. Juſt. Lipſium cent. epiſt. miſcell. 51. adeat. Stupenda verò Eriſichtonis fames, quam Ovidius in fine lib. 8. metamorphos. deſcripſit, huc non ſpectat; quam quidem tantam fuiſſe fingit, ut haud uni ipſi ſuffecerit,

quod urbibus eſſe,
quodq́; ſatis poterat populo.

Si enim veritatis quid continet, immenſum tamen pati additamentum, adeoque fabulam & figmentum redolere, vel pueri norunt. Cauſa utplurimum in fermenti ſtomachici magno & exceſſivo quaſi vigore atque activitate conſiſtit, quod non tantùm acredine ſuâ nervoſas ventriculi partes vellicando, ſed & cibos ingeſtos, opitulante caloris nativi robore, digerendo vim ſuam exſerit. Ad quam fermenti potentiam monſtroſæ voracitatis, qua Energumenorum ſtomachum quandoque Dæmon exagitat, & cujus ex Theodoreto ac Palladio exempla adducit Nob. D. Chriſtian. Frommannus tract. de faſcinat. lib. 3. part. 4. ſect. 1. cap. 9. §. 11. cauſam reducere fortè licebit; cùm Diabolus rerum naturalium callentiſſimus, miſeris iſtis eſurinos inſpirando ſpiritus, famem producere majorem utique poſſit; quanquam & ejusdem præſtigias quandoque concurrere nullus dubitem, cibis nempe clam vel ex ore & ſtomacho ſubtractis, vel etiam aëre ſaltem ad ciborum formam efficto in os intruſo. Nec tamen inſolitæ polyphagiæ illa unica ſemper cauſa eſſe ſolet; cùm e. g. etiam à vermibus oriatur, quod Alex. Trallianus lib. 7. cap. 7. exemplo confirmat; & nimia ciborum adpetentia, ſigna inter diagnoſtica lumbricorum, utplurimum à Practicis enumeretur. Sic cita ciborum, ob malam ventriculi & inteſtinorum conformationem, diſtributio atque dejectio nonnunquam accuſatur; cujus documentum Bartholom. Cabrolius obſervat. anatom. 10.

Eriſi-

Eriſichtoneæ voracitatis titulo, propoſuit; ſtomacho nempe amplo & monſtroſo unicum adpenſum inteſtinum, paucis gyris circumvolutum, & vix quatuor ſpithamas longum recenſens. Imò conſuetudini multoties & gulæ libidini imputanda eſt inſolita illa alimentorum ingluvies, dum non potulentorum tantùm, vini, cervisiæ &c. ſed & eſculentorum in multis perverſum adpetitum, ultra ſatietatis terminos ſeſe extendentem, regnare conſpicimus. Quorum numero num & Auctoris noſtri Senex voraciſſimus inſerendus, non adeò facilè dixerim.

OBSERV. LXXX.

Cachexia ex eruca in ventriculo.

Cùm Noribergæ adhuc praxin medicam exercebam, A. 1637. ruſticus quidam accedens ædes meas, colore vultus pallido, atque de ſiti ingenti, ciborum nauſea, ventriculi tumore & dolore gravi queritans conſilium petiit. Hic ſubinde è cathartico præſcripto, præter alvi ſeceſſus aliquos, ſimul multum ſeroſitatis viridis, ac unà erucam magnam, hirſutam, multipedem, quam forſan cum aqua impura improvidus ſorbuerat, evomuit, poſt quod ventriculus detumuit, & ceſſantibus ſymptomatibus cæteris, patiens rurſus probè comedens revaluit. Sub praxi propr.

SCHOLION SCHRÖCKII.

PUerperam varia & inſolita perpeſſam ſymptomata, poſt ſumtum emeticum, vel mille erucas & vermiculos diverſi coloris evomuiſſe, teſtatur Excell. D. Franciſc. Chriſtian. Paullini in Anno VII. Ephem. Germ. Curios. obſ. 234. Vermem inſtar erucæ à puero vomitu ejectum narrat Petr. Borellus cent. 2. obſerv. med. 70. Erucam etiam viridem è corpore ægri à Medico expulſam tradit obſ. 79. Tres vermes villoſos, figurâ, colore & magnitudine erucis ſimiles, cum magna vi bilioſi humoris in-

prin-

principio paroxyſmi febris tertianæ evomitos tradit Ambroſ. Paræus lib. 24. Oper. chirurg. cap. 19. Quin & aliorum inſectorum, imò perfectiorum etiam animalium, hoc modo ejectorum non infrequentia legimus exempla: uti infantis ad digiti longitudinem accedentis, & ex impuro ac nefando coitu generati, apud Henr. Salmuthum cent. 3. obſerv. med. 94. quam hiſtoriam à doctiſs. Lud. Keplero impugnatam defendit Ill. D. Thom. Bartholinus cent. 5. hiſt. anat. 98. & Diſſert. de inſolit. partûs viis cap. 11. cumq; eo Exc. D. Matthias Tilingius Exerc. anat. de tuba uteri ſect. 2. §. 6. Licet, quia non conſtat, qua ratione ovum muliebre in ſtomachum fuerit delatum, ſine cujus utpote præſentia, ex ſolo virili ſpermate, nulla naturaliter fieri poteſt conceptio, magnum hîc de veritate dubium oriri queat; Niſi ſupernaturale quid factum hîc fuerit, *ad revelandum à DEO, & ſeverè puniendum à Magiſtratu tantum ſcelus*, quæ Celeb. D. D. Phil. Jacob. Sachſii eſt deciſio, notata in Anno I. dd. Eph. obſ. 109. Vomitu porrò ejectus catus, nec non catuli duo, & ranæ deſcribuntur in l. c. bufones Ann. II. obſ. 56. vermis magnus, alatus & piloſus obſ. 147. lacertæ obſ. 311. cochleæ plures minutulæ Ann. III. obſ. 85. gobius fluviatilis obſ. 227. vermis mirandæ formæ Analect. ad Ann. hujus obſ. 258. talpæ Ann. IIX. obſ. 90. felis apud Bartholinum cent. 3. epiſt. med. 8. cent. 5. hiſt. anat. 98. atque Diſſertat. de inſol. part. viis cap. 9. & 11. vermis viridis ſingularis figuræ, ranaq; viva cent. 2. hiſt. anat. 23. lacertus cent. 5. hiſt. anat. 94. puſillus ſorex, bufones atque lacertæ in Exc. D. Joh. Dan. Horſtii epiſt. 6. 7. ſerpens, lacertæ & ſalamandra apud Gregor. Horſtium Epiſt. medic. lib. 1. ſect. 6. ſerpentes & alia animalcula ſcorpionibus non abſimilia apud D. Matth. Tilingium l. c. §. 7. ranæ vivæ & ſerpentes apud D. Joh. Joach. Beccherum lib. 1. Phyſ. ſubterr. ſect. 4. cap. 6. Millepedæ vivæ atque innumeræ in Joh. Nicol. Binningeri cent. 4. obſ. 3. ranæ pluri-

mæ in Medic. milit. Raym. Mindereri cap. 2. inſectum quoddam horrendum apud Borellum loc. cit. piſciculus vivus apud eundem cent. 1. obſ. 9. animalcula duo ſalamandras referentia obſ. 23. aranea prægrandis cent. 3. obſ. 19. ſerpens obſ. 31. innumeri muſciliones obſ. 50. ſalamandra & bufones obſ. 57. lacertæ, ranæ, ſerpentes, bufones, aliaque inſecta apud Schenckium lib. 3. obſervat. medic. lacertæ apud Dan. Beckerum de Cultrivoro Boruſſ. ranæ apud Auctorem noſtrum obſ. 92. Nota etiam eſt Ancillæ Altenburgenſis hiſtoria, quæ bufones, lacertas, ranas vomitu rejecerat, uberiùs expoſita in Thom. Reineſii epiſt. 39. ad Neſteros, Anno I. Ephem. German. Cur. obſ. 103. Bartholini cent. 4. hiſt. anat. 19. & Act. med. Hafn. Volum. 2. obſ. 39. Quorum omnium generatio partim ſingulari humorum & alimentorum in ventriculo corruptioni ac putrefactioni debetur, inprimis de illis inſectis, ſi ullibi, notandæ, quæ formâ planè inſolitâ inſignita exſiſtunt; partim etiam, & utplurimum, hauſtis cum aqua, aliove potûs genere, quin & cum herbis cæteriſque alimentis, animalium iſtorum fœcundis ovulis; quæ blandus ſtomachi calor fovet, inq; eis animale principium excitat, atque debitam ad expanſionem & augmentationem deducit. Id quod non tantùm de inſectis, ſed & perfectioribus animalculis dici poteſt; ita ut obſervationibus illis, quæ catulorum, felium &c. partus inſolitos ex ore contingentes exhibent, fides temerè haud ſit deneganda. Uterus enim, Bartholini aliorumq; ſententiâ, præter calorem foventem & locum aptum ad generationem, nihil confert, cùm in ſemine lateat generationis principium, quod externo quocunq; calore adjuvandum eſt, & commodo muniendum receptaculo. Interdum tamen etiam beſtiolæ, minores adhuc dum exſiſtunt, os irrepentes, & in ventriculo incrementum ſumentes, eâdem viâ denuo expelluntur, adeo ut tam generatæ in ventriculo, quàm in eodem aliquandiu adſervatæ, vel ampliorem in molem extenſæ dici queant.

OB-

OBSERV. LXXXI.

Lapilli in veſicula fellea.

Cùm Anno 1632. *ſtudii medici gratiâ Monſpelii in Galliâ verſabar, Dn. Georgius Scharpius, Scotus, tunc temporis in Academia Profeſſor Medicus Regius, in diſputatione quadam publicè narravit, ſe aliquando Monſpelii diſſecto corpore lictoris cujuſdam, in cyſtide fellea triginta lapillos carbunculi inſtar pellucidos inveniſſe.*

Cùm Eminentiſſimi Cardinalis, Franciſci Guilelmi, ex familia Comitum de Wartenberg, A. 1661. *demortui cadaver ad ſepulturam ſectione & conditurâ præpararetur, inventi fuerant, præter cranii partem deperditam, (de quo ſuperiùs Obſervatione XVIII. plura,) cæteris corporis partibus ac viſceribus ſanis, in veſicula fellea, cum pauca bile, lapilli* 67. *formâ partim triangulari, partim quinquangulari, in medio plani, coloris praſini, quorum novem avellanæ parvæ magnitudinem, reliqui piſa adæquabant.* Ex obſerv. propr.

A. 1628. *in apertione cadaveris cujusdam Senatorii & Septemviralis reperti in veſica fellea* 27. *calculi, quorum quatuor figuræ quadrangularis magnitudinem nucis moſchatæ æquabant, reliquorum magnitudo paulatim imminuebatur, ad piſi majoris, ſed inæqualem rotunditatem. Nullum ab illis, vivente homine, hepati aut ejus, quod mireris, officio damnum inferebatur, nulla noxa. Veſicæ alterius ulcus, quod totam fermè ejus cavitatem, in qua ſex quippe continebantur calculi, occuparat, illum extinxerat. Quam obſervationem, dignam notatu confer cum iis, quæ amor & deliciæ noſtræ, Riolanus refert lib.* 2. *anthropograph. cap.* 22. Ex ſchedis D. Gregor. Queccii.

SCHOLION SCHRÖCKII.

Quamvis veriſſimum utique ſit, quod de biliariis calculis amiciſſimus meus D. D. Joh. Georg. Volckamerus in ſchol. ad obſerv. 71. Anni VI. Ephem. Germ. Cur. dedit judicium, in-

 finita

finita nempe & tot eorum exempla Anatomicorum oculis eſſe, objecta, ut pro miraculo ampliùs haberi nequeant. Quod & Nobil. D. Andr. Cnöffelius Ann. III. obſ. 206. monuerat, multos ſcilicet rerum naturalium Hiſtoricos ad ſatietatem usque horum feciſſe mentionem, adeo ut ſibi adquieſcendum fuiſſe reputaret, niſi admodum rarus caſus eum ad enarrandum adegiſſet. Id quod ſanè etiam præſenti inprimis Auctoris obſervationi primæ adcommodare licet, ubi ſeſe Lapilli fellei pelluciditate, carbunculi adinſtar ſe habente, commendant, numero etiam memorabiles redduntur. Ad quorum illuſtrationem, notabiliores aliquot inſuper indicâſſe, non abs re fuerit. Sic duriſſimum ad nucis jugulandis molem accedentem profert Guil. Fabricius Hildanus cent. 1. obſerv. chirurg. 60. & duos alios, oblongum unum, alterum ferè rotundum, unà cum delineatione cent. 4. obſerv. 44. illum quatuordecim drachmas, hunc quatuor tantùm & dimidiam ponderantem, quamvis ab initio multò ponderoſiores fuerint. Magnitudine quoque inſignis fuit, quem deſcribit Excell. D. D. Sebaſt. Schefferus in Analect. ad Ann. III. dd. Eph. obſ. 206. & 283. vel ex pondere æſtimandus, unciam ſemis ferè exæquante, poſtea verò ad medietatem propemodum imminuto: Humidi enim ſatisq; molles eſſe utplurimum ſolent ingrati illi hoſpites, ideoque quò molliores & humidiores ſunt, eò etiam leviores cum tempore redduntur, exhalante ſenſim immixto illo humido; id quod inprimis in eximio rotundo veſicæ felleæ calculo bubulo, ex meris laminulis facilè fatiſcentibus compacto, obſervavi, qui recenter indè extractus novem drachmarum pondus ſuggerebat, cæterùm mollis adeo, ut comprimi quadantenus absque magna difficultate potuerit; nunc verò exſiccatus & durior factus, vix tres cum dimidia drachmas pondere exhibet. Duo etiam ovi ferè magnitudine ſpectabiles in lib. 1. c. 14. Gammarolog. beati Sachſii noſtri, & alii duo juglandis quan-

quantitate in Append. ad h. l. recenſentur. Magnum, quatuor drachmarum pondere, vacuæ biliariæ veſiculæ incluſum exhibet Nob. D. Carol. Raygerus Ann. IV. Eph. Cur. obſ. 11. Alium, totum ferè receptaculum illud replentem Bald. Timæus lib. 3. Caſ. medicin. 28. aliumq; compactum, ſolidum, eâ quantitate, quanta ipſius extenſæ cyſtidis eſſe poteſt, Joh. Plachetius apud Gregor. Horſtium lib. 3. ſect. 4. Epiſt. medic. Singularis eſt, quem notat Joh. Fernelius lib. 6. Patholog. cap. 5. his verbis: *Decrepitus quidam Senex in iram mirè propenſus, poſt deceſſum ſine felle ac ſine cyſti inventus eſt, in cujus ſede calculus ingens concreverat.* Admirandum hoc vocat Marc. Donatus lib. 4. de hiſt. med. mirab. cap. 30. & quod omnem propemodum fidem ſuperat. Fortè membraneus ille folliculus à calculo ingenti extenſus admodum, attenuatus, eiq; adglutinatus, minùs curioſis obſervatoribus, ac ſi abeſſet, impoſuerat, vel unà cum liquore ſuo bilioſo in calculoſam duritiem concreverat. Quam ipſam Fernelianam hiſtoriam Celeb. quondam Medicus, D. D. Gothofredus Möbius cap. 15. Fundam. medic. phyſiol. illuſtraturus, in Polonia olim innumeros boves, exortâ quaſi peſte quadam interiiſſe, refert, in quorum cadaveribus diſſectis nil aliud notatu dignum fuerit repertum, quam veſicula fellea tota in lapidem converſa. Auro quaſi micantes plus quàm ducentos Bernhard. Stieberus apud Horſtium l. c. lib. 2. ſect. 5. Orbicularem, novem aliis triangularibus ſplendentibus conſtantem Cnöffelius l. c. nitentem etiam Petr. Borellus cent. 3. obſ. 22. lucidum vel pellucidum Zodiacus medico-Gall. Ann. I. epiſt. 4. obſ. 7. & epiſt. 5. obſ. 8. Nicolai de Blegny exhibent. Beatus quoque Joh. Theodor. Schenckius cruſtatum poſſedit, qui effractus inſtar cryſtallorum tartari ſplendebat, uti refert in Epiſt. 2. ad Sachſium, ejusdem Gammarolog. adnexa. Aliàs non unius coloris exſiſtunt, dum modò pallidi & cineritii, modò flaveſcentes, crocei, rubicundi, viri-

viridеſcentes, nigricantes, variegati deprehenduntur; prout enim bilis hac in parte ſe habet, quæ præternaturali in ſtatu varios induere ſolet colores, ſic & calculi ex eadem à ſpiritu coagulatore, quem deſcripſit Petr. Joh. Faber lib. 3. Sapient. univers. cap. 2. producti, variè eodem imbuuntur. Numero denique memorabiles ſunt, quos deſcribit lib. 3. obſervat. Felix Platerus, trecenteſimum nempe excedentes.

OBSERV. LXXXII.

Conſtitutio viſcerum in hydropicis poſt mortem.

A. C. 1638. *Noribergæ in Noſodochio majore ad S. Spiritum, fœmina adhuc calibis ſtatus, ætatis anno 34. quæ per ſexennium hydrope afflicta fuit, diem ſuum obierat. Cùm demortuæ per paracenteſin ſeroſi & ſubflavi humoris penè 48. menſuræ eductæ fuiſſent, cadavere dein aperto, præter cæteras viſcerum corruptiones, glandulæ circa meſenterium conſpiciebantur inſigniter, ad pomi magnitudinem, ſingulæ tumidæ, atque purulentâ quaſi materiâ plenæ, itemq; lien planè contra conſuetam formam, globi inſtar rotundus, ac vaſa emulgentia ad renẽ ſiniſtrum numero ſex inventa.* Ex obſ. propr.

A. 1626. menſe Junio, hydropica quædam aperta, cujus hepar fuit exiguum, haudquaquam ſcirrhoſum, ſed molle ſpongioſum, pulmonum parenchymati ſimile, lien parvus vix duos digitos latus, ſolitoq; longè brevior. Cor autem, quod mirandum, conſueto duplo majus, pericardio non involutum ſed annexum & connatum undiq;, ut ſine noxa ſeparari non potuerit; in ſiniſtro cordis ventriculo præter ſanguinem purulentum ſubſtantia quædam continebatur pinguis & adipoſa, ut & in dextro ventriculo. Ex ſchedis D. Gregor. Queccii.

Matrona quædam temperamenti calidi & ſicci, ſtatura corporis brevi, cephalæâ, catarrhis ſalſis, ſeroſis, difficili anhelitu, torminibus

flatu-

flatulentis, conſtipatione ventris, & doloribus hypochondriacis ſæpius infeſtata, cum ultimo fœtu gravida varia ſymptomata, cordis palpitationem, ſyncopen, & neſcio quid moleſtum ſub diaphragmate querebatur, demum legitimo tempore fœtum maſculum, grandem, atq; ſanum feliciter enixa eſt. Poſt partum omnia ſymptomata ferè evanuiſſe videbantur, præter aliquam reſpirandi difficultatem, & dolorem acutum in latere ſiniſtro ſub coſtis nothis, cum calore intenſo, quapropter ob metum pleuritidis venâ brachii inciſâ, meliùs ſe indè habuit, & puerperium ſana ſatis tranſegit; aſt trimeſtri poſt unum alterumve ſymptoma recrudeſcebat, & alternabatur, venter quoque paulatim intumeſcere incipiebat, cum ſenſu motus cujusdam interni obtuſi, & dolore tenſivo, acceſſit anorexia, menſtruorum mora, mammarum lentus tumor, itemq; circa umbilicum interdum veluti embryonis pulſatio, unde diverſa diverſorum judicia ac prognoſtica prodierunt. Quidam etenim putabant novum fœtum ordiri, alii tumores flatulentos fore, plures molas quasdam in utero ſuccreſcere cenſebant; usq; dum ſeſquiannum penè, poſt ultimum puerperium, ægrotaſſet, non neglectis interim Medicorum diverſorum conſiliis & remediis, appetitus ventriculi quidem rediit, & ſi non flexus corporis ob ventris molem, ab uno latere ad alterum difficilis impedimento fuiſſet, benè & placidè etiam ipſa dormiviſſet. Ventris verò tumor indies adaugebatur, & pubem verſus ſe vergebat, ut ægra vix ſe de ſede movere, & longè gradiri quiverit, ac ipſe venter deniq; ſub hypogaſtrio acuminatus, Hippocratis manicæ ſimilis ad genu usq; ferè dependebat. Aſthma denuo grave, ſyncope & notabilis virium naturalium & vitalium lapſus diei 12. Decembris Anni 1668. noctu ſubitò advenientes, corporis ac animæ ſolutionem præſagierunt, uti & ægra ſequentis diei veſperâ placidè atque beatè exſpiraverat. Aperto poſt obitum ventre inferiore, lien erat parvus, hepar quodammodo pallidum, inciſo peritonæo in hypogaſtrii ſpatio, ubi tumor acuminatus aſpiciebatur, inter peritonæi tunicam duplicatam, ſeroſi humoris ſubflavi, fœtidi menſuris aliquot ſublatis.

tis, veſica urinaria & uterus in locis à natura deſtinatis, & naturali formâ & magnitudine incorrupti inventi ſunt. Sub praxi propr.

SCHOLION SCHRÖCKII.

PLures hydropicorum corporum Anatomicas luſtrationes, maximo labore & induſtriâ, nec minori utilitate congeſtum Anatomiæ practicæ opus Excellent. D. Theophili Boneti lib. 3. ſect. 21. ſuppeditat; ut indicâſſe hoc, ſufficere queat. Ex quibus tamen id diſcere poſſumus, plurimas morbum hunc producentes cauſas dari; hepar autem ſæpius inſons planè exſiſtere, nullâ omnino labe, apertis cadaveribus, in eo deprehensâ; ſecus ac cum Galeno multi olim crediderant, nullum nempe hydropem absque jecoris vitio oriri poſſe judicantes, antiquâ nempe de ſanguificatorio hepatis officio hypotheſi decepti, quam tamen feliciori ætatis noſtræ ſtudio everſam nemo ignorare ampliùs poteſt.

OBSERVATIO LXXXIII.

Hydrops ex Venæſectione.

ILL. D. J. F. B. de K. Chirurgus quidam, præſente Medico ordinario, venam brachii incidens, ſub ipſo ictu, diffractâ ſcalpelli cuſpide, ac in plaga relictâ, præ pudore, non deligato vulnere, ex ædibus citò aufugit; aſt Medico interea garriente, nec è pelvis rima transmanantem ſanguinem, nec Chirurgi diſceſſum obſervante, atque ſanguinis fluentis menſum modò juſtum expectante, mox Baro ob nimium ſanguinis & ſpirituum effluvium, ſyncope & motu convulſivo correptus, de ſede deciderat, & poſthinc hydropicus factus. E conſilio verò meo, æger medicamentis ventriculum & hepar roborantibus viresq́ reſtaurantibus utens, nec non diætam bonam obſervans, in ſemeſtris ſpacio tandem ſe recollegit, ac prorſus revaluit. Sub prax. propr.

SCHO-

HYdropis, tumoris illius, ſive ſeroſi humoris in abdomine collectionis immediata cauſa uti juxta Ill. Guern. Rolfincium lib. 3. de cognoſc. & curand. particul. corp. affect. cap. 9. partium chylificationi & ſanguificationi deſtinatarum, tum principum, tum miniſtrarum, imbecillitas ſeu ἀτονία, ſtatuitur: ita qua ratione ſanguinis largior è vena ſecta emiſſio eum inducat, facilè liquet; dum nimirum à ſanguinis reliqui, in corpore à nimia deprædatione ſuperſtitis, in naturali craſi ſua deſtructione, & ſpirituum deperditione, viſcera neceſſario caloris, perenni ſcaturigine à corde cum ſanguine ſuppeditati, beneficio defraudantur; ut ideo neque debita chyli in ventriculo elaboratio, neque conſequenter idoneæ ad laudabilem nectaris illius vivifici regenerationem materiæ ſubminiſtratio ſperanda ſit, neq; reliqua ad ſanguinis depurationem & transcolationem comparata viſcera, officium ſuum ritè obeant; unde collectis ſeroſitatibus, Natura, qua datâ viâ, easdem à ſe propellere geſtiens, ſæpe ſæpius in ventrem deponit. Ex nimia verò ſanguinis vacuatione morbum hunc oriri poſſe, Hippocrates lib. de morb. vulgar. 6. ſect. 4. §. 9. Cod. Foëſ. quoque teſtatur: *Quòd multi*, ſcribens, *ex immodico ſanguinis profluvio aquâ inter cutem corripiuntur, animadvertendum eſt.* Ita ut non tantùm phlebotomia intempeſtiva, ſed & aliæ quævis ſanguinis profuſiones immoderatæ in hæmoptyſi, vomitu cruento, hæmorrhagia narium & dentium, dyſenteria, hæmorrhoidum ac menſtruorum fluxu, hîc attendendæ veniant; quorum omnium exempla conſignavit Ill. noſter Joh. Laurent. Bauſchius in prooem. hæmatolog. de lap. hæmatit. Unde etiam in curatione hydropis, quo ſub nomine Aſcites communiter intelligitur, venam ſecare, prudentiores Practici prohibent; neque enim morbifici humoris eductioni quidquam confert, ſed ſanguinem enervare magis, ideoque morbum

adaugere valet; hinc experientiſſimus Paulus Barbette Prax. lib. 4. cap. 4. concludit: *Venæſectionem hydropicis omnibus noxiam expertus dico.*

OBSERV. LXXXIV.

Hydropotæ hydropici reſtitutio ex uſu vini.

C. I. S. à S. ab infantia aquæ ſimplicis potui aſſuetus, vini & cereviſiæ prorſus abſtemius, octennis à Gonzaga, Principe quodam Italo, in Siciliam deductus, diæteticè valde, Italorum more, educatus fuerat; octennio poſt Germaniam reverſus, in R. & I. D. A. S. E. F. D. B. Epheborum nobilium numerum receptus eſt. Sed cùm more aulico inordinatè vivere, equitationi & venationibus dies noctesq; indulgere, ac vigiliis multis ſeſe defatigare oportuit, ex humorum crudorum collectione in leucophlegmatiam, & demum anaſarcam, concomitante ſcabie valde moleſtâ, inciderat, Monachii Proto-Medici Electoralis cujusdam percelebris curæ & medicationi ſe commiſerat, qui illum priori ſanitati quidem reſtituit, hac tamen injunctâ cautelâ, ut in poſterum ob ſtomachi debilitatem, & jecinoris diſcraſiam, aquæ frigidæ & ſimplici deſueſceret, omnia cruda, ſalſa, & acida vitaret, & placatiori vitæ generi ſtuderet. Verùm ad aulam Principis ſui is rediens, ex juvenili licentia, ac poſthabitis diætandi præſcriptis, febre tertianâ nothâ afflictus, in veterem mox tumorem hydropicum relapſus, Ratisbonam veniebat, atque conſilium meum implorabat, quem demum intra bimeſtre penitus omni hoc malo levavi, & inter alia vino quoque paulatim aſſueſcere feci, dum primò decoctum aquæ ſimplicis, corticibus citri exterioribus & recentibus tinctum, in menſa potui porrigi, ſubſequenter aliis diebus ſuccum carnis citriorum immiſceri, paulatim verò, ſed inſcio illi, vinum poſtea aquâ dilutum apponi juſſeram, denique vinum purum potare conceſſe-

ceſſeram, ac ita fraus feliciter ſucceſſit, ut poſthinc ſe benè haberet, & vini amantiſſimus in Oenomachia alteri non facilè cederet. Sub praxi propr.

SCHOLION SCHRÖCKII.

MAgni in diæta commiſſi errores fœcunda ſunt hydropicarum aquarum genitrix; hinc motu, vigiliis, & reliquâ inordinatâ vivendi licentiâ, ſpirituum vitalium diſſipationem, viſcerum debilitationem, cruditatum coäcervationem, ſeri reſtagnationem, & conſequenter aquarum in ventrem exſtillationem præſens æger incurrerat; idq; tantò faciliùs, cùm iſtis vitæ in erroribus ſimplicis aquæ frigidæ potus ne minimam corpori emendationem ac medelam ferre potuerit, ſed potiùs ſymbolum inſuper aliquod contulerit; cui itaque vinum non potuit non egregiè prodeſſe, ſpiritus nempe augendo, viſcerum calorem refocillando, cruditatesq; emendando. Cæterùm an, & quale vinum in hydrope aliàs conveniat? pluribus expoſuit deſideratiſſimus Sachſius noſter in ſua Ampelograph. lib. 2. ſect. 6. membr. 2. cap. 6. pag. 310.

OBSERVATIO LXXXV.

Virginis hydropicæ per cauterium potentiale reſtitutio.

VIrgo ſexagenaria per aliquod tempus aſcite laborârat, cui Medicus poſt medicamenta plurima & varia, cruri demum cauterium potentiale impoſuit. Excitatâ ac decidente eſcharâ, indies ſerum copioſum, ſalſum, acre emanabat, tumor ventris & crurum totus deſidebat, ſicq; brevi reſtituta ægra, quadriennium & ultra ſatis ſana vitam ſuam protraxerat. Ex obſerv. propr.

Cùm aſciticorum ſerum non unica in abdominis cavitate ſemper ſubſiſtat, ſed ipſo in habitu corporis, & ad pedes usque ſæpius reſtagnet ; nec muſculorum &c. ſolùm interſtitia, ſed glandulas quoque ſub cute latentes, ab Exc. D. Olao Borrichio Volum. 1. Actor. medic. Hafn. obſ. 109. deſcriptas occupet, cauteria, veſicatoria, & ſcarificationes, cruribus adhibita, ſeri hydropici emanationi cur inſervire poſſint, facilè adparet. Scilicet quidquid aquæ in vaſis, glandulis, & circumſtantibus partibus abundanti egreſſum conciliat, tumorem illum aquoſum tollere poteſt. Hinc ſalutarem purgantium, diureticorum, & ſudoriferorum uſum nemo ignorat. Caſu & vulnere curatos quosdam, ex hiſtoriis novimus. Cuidam ad vivum reſectis pedum unguibus, humorem paulatim illuc defluxiſſe, ægrumq; convaluiſſe, auctor eſt Jacob Hollerius lib. 1. de morb. intern. cap. 39. in ſchol. quod etiam in obſervationibus Riverio comunicatis Samuel Fomius de duabus mulieribus obſ. 7. prodidit. A cauterio pedi impreſſo, egreſsâ indè aquâ, mulierem curatam fuiſſe, & quendam, cui per incuriam crus ferreo quodam inſtrumento læſum fuerat, aquâ ex veſica indè enata effluente, convaluiſſe in collectis à Laurent. Scholzio conſiliis medicinal. conſ. 337. ſcribit Clar. Gaſp. Hoffmannus. Aquam è veſiculis ſponte enatis & diſruptis in pedibus turgentibus, profuſam aliquos liberâſſe, teſtantur Felix Platerus lib. 3. obſervat. & Ludov. Septalius lib. 7. Animadverſ. medic. §. 56. De veſicis tamen arte procuratis diverſum enunciat Septalius ; longaq; ſuâ ac doctiſſimi Maſſariæ experientiâ confirmat, nullos unquam curatos fuiſſe, quorum cruribus veſicatoria fuerint admota, ſubſequutâ ſemper gangrænâ curatu impoſſibili : Veſicatoriis tamen multis partibus admotis hydropicum ſanatum narrat Simon Jacozius obſerv. 21. Riverio communicat. & Guil. Fabricius Hildanus cent. 1. ob-

1. obſervat. chirurg. 49. cùm hiſtoriam mortis ex veſicatoriis hydropici tibiis adhibitis traderet, cautè hoc remedii genus eſſe adhibendum, ac ſenibus aut quibuscunque innatum calidum hebeſcit, planè exitioſum quidem determinat; in junioribus tamen & valentioribus quandoque efficax deprehendi minimè negat. Nonnullos curam per ſalivationem mercurialem ſibi promittere, Franciſc. Osvald. Grembſius in Arb. integr. & ruin. hom. lib. 2. cap. 1. docet; qua de conferatur D. Franc. Ignat. Thiermairius lib. 2. Cons. medic. cap. 10. in ſchol. Ipſa potûs abſtinentia ſeri extravaſati in vaſa readmiſſioni, & ſic per inſenſibilem transſpirationem, aliasq; vias ordinarias diſſipationi & evacuationi favet; adeo ut ſolà illâ ſtrictiùs obſervatâ, hydropicos fuiſſe reſtitutos, conſtet. Hinc Corn. Celſus lib. 3. de re med. cap. 21. faciliùs morbum hunc in ſervis, quàm in liberis tolli tradidit: *quia*, ſcribens, *cùm deſideret famem, ſitim, mille alia tedia, longamq; patientiam, promptiùs his ſuccurritur, qui facilè coguntur, quàm quibus inutilis libertas eſt. Sed ne hi quidem, qui ſub alio ſunt, ſi ex toto ſibi temperare non poſſunt, ad ſalutem perducuntur.* Felicem curæ hujus ſucceſſum expoſuerunt D. Joh. Tackius pag. 129. Chryſog. animal. & mineral. Dominic. Panarolus pentec. 4. obſerv. med. 38. tutum remedium, ſed quod immutabilem voluntatem requirat, adpellans; Anton. Benivenius cap. 13. de abdit. morbor. caus. Jacozius loc. cit. & Fabricius Hildanus cent. 4. obſ. 41. Ipſe Joh. Bapt. Helmontius, quamvis tract. Ignot. hydrops, *§. 6.* crudele Scholarum remedium nominet, dum nempe ſerum hydropicorum unicâ à potu abſtinentiâ, capitali remedio, exſiccatum iri ſperant; & *§.* 8. vix poſſibilem vocet unius anni imperatam à liquidis abſtinentiam; *§.* 33. tamen Comitiſſam de Falaix juvenculam, hydrope deſperato tumentem, ſuaſu cujusdam Medici, per ſolidum ferè annum à potu abſtinuiſſe, ſolidiore cibo & juſculis contentam, ſanamque & ſenem evaſiſſe,

 memo-

memorat. Quod quidem non exſiccatione fieri, §. 34. & 35. monet, ſed ſpe atque perſuaſione ſanitatis, errorem & indignationem Archéi renalis placante, ita ut hic quaſi reſipiſcat, & actorum pœnitentiâ ducatur; Hydropem ſiquidem à renibus, laticem in abdominis cavum mittentibus, oriri ſtatuit, dum nempe eorum Archéus à virulenta quadam vi cruoris extravaſati in furorem actus, habenas ſeparandi laticis abjiciat, eumq; inordinato motu in abdominis cavum, regimini ſuo ſubjectum, relegæt. Licet autem renes, quacunque id fiat ex cauſa, in ſeparatione laticis à ſanguine deficientes, aſciti quandoque occaſionem præbeant: multoties tamen, ſalvis iſtis, alias ſubeſſe cauſas, tam certum eſt, ut nullâ egeat probatione; neque negari ſimpliciter debet, ſeri ſive laticis extravaſati partem ad renes quandoque referri, naturaliq; dein ad veſicam transmiſſione, cum ſpe ſalutis, evacuari; non quatenus renes ex ipſo ventris cavo humorem iſtum attrahunt, ſed ut in vaſa expletionis avida, è corporis habitu inprimis receptum, atque dehinc per totum corpus deſtributum, ipſi quoque dimenſam ſuam quantitatem recipiunt; ita ut non renes tantùm laticem ſuperfluum è corpore amandent, ſed & reliquæ partes excretorio ſuo circa illum munere defungi queant. Aſt ſatis de hoc. Paucis jam de frequenti illa eductione, quâ perforato abdomine, umbilico, vel ſcroto, aquæ reſtagnanti via paratur, ut effluat, diſpiciendum erit; quade quidem dici multa poſſunt, mihi tamen unicum Hippocratis monitum notâſſe ſufficiet, quod ſect. 6. aphor. 27. conſignavit: *Quicunque empyi aut hydropici uruntur, aut ſecantur, ſi pus, aut aqua univerſim effluxerit, omnino moriuntur*; quod etiam generaliori effato ſect. 2. aphor. 5. propoſuit: *Plurimùm & repentè vacuare* &c. *periculoſum: Omne ſiquidem nimium naturæ inimicum eſt. Paulatim verò quod fit, tutum, & præſertim ſi quis ab uno ad aliud tranſierit.* Quam dein ſententiam omnes præſtantes, eruditi,
ac

ac Dogmatici Medici in Scriptis ſuis inculcare nunquam intermiſerunt: Sic & Celſus lib. 2. cap. 7. aquam hanc ſimul omnem effudiſſe, æquè mortiferum eſſe tradit, ac ſi quis ſani corporis vulnere factus exſanguis eſt. Galenus etiam in Comm. ad aphor. 27. ſect. 6. non ſolùm omnis aquæ ſubitam effuſionem, ſed etiam multam eſſe mortalem, commentatur, ob diſſipationem ſpirituum vitalium unà exeuntium. Idcirco Practicos & Chirurgos, artem ritè edoctos, ferè omnes paulatinam aquæ emiſſionem ſuadere & inculcare videmus. Qui itaque ſalutaris hujus moniti negligentes ſunt, quin magnam incurrant culpam, haud dubitari poteſt. Exemplum tale paucis abhinc annis accidiſſe novi, cùm famoſus quidam Medicaſter hydropicum, viribus jam debilitatis, à ſarcina ſeroſa per compendium liberaturus, maximam ejus quantitatem unâ vice emiſiſſet, tamque benè & methodicè rem peractam ſibi perſuaſiſſet, ut, præcipuè cùm æger, onere aquarum ſublato, liberiùs nonnihil reſpiraret, obviam ſibi facto Medico doctiſſimo, eidem methodum indoctam modeſtè exprobranti, de viribus non eſſe metuendum, ægrumq; bellè ſe habere, reſponderit; quamvis letalis eventus inſanam illam jactantiam mox aliorum riſui expoſuerit. Non ſecus ac Circumforaneo illi accidit, qui ruſtico duodecim horarum ſpatio omnē aquam ademerat, atque Helmontium, uti l. c. §. 14. refert, ipſi obviam factus irriſerat: *Sed,* addit Helmontius, *ſequenti mane, priſtinâ ventris mole turgidus, extinctus eſt.*

OBSERV. LXXXVI.

Puelli hydropici ridicula curatio.

Retulerat mihi Collega meus Norimbergæ chariſſimus, Sigismundus Rudelius, Doctor Medicinæ & Practicus feliciſſimus, ſibi quodam tempore, cùm adhuc in Palatinatu ſuperiori

ori praxin exerceret, contigiſſe, quòd à Villico quodam de infante hydropico conſultus, ſchedulam ſive ſcriptum remedium dederit, injungens ut pater res iſtas (ſubintelligens ſpecies in ſchedula conſignatas) primò concidat, in aqua ſimplici decoquat, & decoctum hoc puello per horas certas ad potum porrigat. Semeſtri poſtea, cùm ipſe ad Nobilem quendam vocatus per pagum Villici iſtius, feriato quodam die, equo vaderet, ecce! Villicus in area publica otioſus, ac Medicum ſuum conſpicatus, ad potum honorarium invitavit, dicens, ſe ei merito & ex obligatione gratificare velle quòd conſilium ejus filiolo benè ſucceſſerit; atq; ſciſcitanti quis eſſet, qualisq; medicina, ac in quo morbo tam opportuna fuiſſet, narrabat ſe ſchedam dictam minutim conciſam decoxiſſe in aqua, atq; decoctum iſtud ægro potui dediſſe, ex quo etiam tumorem omnem in puello defugaſſe. Ex obſerv. propr.

SCHOLION SCHRöCKII.

MIrum, quanta nonnunquam imaginationis in curatione ſit efficacia, adeo ut ſola illa magnos quandoque debellaverit morbos. Hinc multi ægrotorum in Medicos confidentiæ tantùm tribuunt, ut cum EbnSina 4. natural. 6. eam plus valere pronuncient, quàm omnia Medici inſtrumenta ad ſalutem inducendam; & proverbio dicatur: illum plures ſanare, cui plurimùm fidunt. Quod equidem liberalius juſto & hyperbolicè dictum, in quibusdam tamen ita ſeſe habere, experientia perſuadet; Nec ratio repugnat: Præter enim ægroti obedientiam, quam confidentia iſta parit, imaginatio hæc animum, diſceſſum adamato ſuo è corporis domicilio, quem morbus minabatur, ægrè admodum ferentem, vel etiam doloris ac faſtidii, ex morbo oriundorum, pertæſum, ſpe amplâ reficit, obtinendi ſcilicet, Medici & medicamenti operâ, id quod deſideraverat; eoq; ipſo dein ſpirituum turgeſcentium ferocia miteſcit; vel etiam ſopiti, lanquidi & oppreſſi vitales ſpiritus, ſanguinis incolæ, excitantur, moventur, & confortantur; cumque illis magnis in morbis profli-

profligandis ſit potentia, atque Natura morborum medicatrix audiat, morbum adgrediuntur, craſſiores impuritates diſſolvendo, attenuando & diſſipando, calorem torpeſcentem ſuſcitando, ſicq; naturalem viſceribus temperiem reſtituendo. Quam imaginationis vim demonſtrant inprimis Schedulæ, in qua remediorum formulæ præſcriptæ, Receptarum nomine vulgò notæ, à ſtupidiori ruſticorum &c. ſimplicitate, optato cum ſucceſſu deglutitæ. *Ruſtici*, inquit D. Thom. Bartholinus hiſtor. 2. paralyt. N. T. p. m. 42. *non rarò ſchedulis devoratis curantur.* Idem habetur in Rein. Solenandri ſect. 5. conſil. 15. §. 17. ſimileque exemplum Anton. Deuſingius in Exam. pulv. ſympath. pag. 65. recenſuit. Ubi tamen præter imaginationem, caſum & fortuitam ſpontaneam reconvaleſcentiam quandoque locum habere, non planè negaverim.

OBSERV. LXXXVII.

Famulus in locis paluſtribus laborans, factus hydropicus.

V*Ietoris cujusdam Ratisbonenſis famulus, cùm juſſus alneta & ſalicta ſuccidere, pro conficiendis circulis ad vincienda dolia & cupas, per dies aliquot in locis uliginoſis ſemper ſub aëre rigido & pluvioſo pedibus nudus ſtetiſſet, brevi in cachexiam, ac totius corporis intumeſcentiam inciderat; à qua, aſſumto ter purgante, adhibitisq; ſudoriferis & fomentis hydragogicis, itemq; decente diætâ, in paucis diebus feliciter reſtitutus, munia ſua rurſus lætè ſubiit, ac optimè ſe habuit.* Sub praxi propr.

SCHOLION SCHRÖCKII.

SIngularem pedum principalioribus corporis cum partibus, ut cerebro, corde, conſenſum multi Medicorum inculcant; quem nec ego planè negabo, cùm vel intercedente nervoſorum,

 ſan-

ſanguiferorum & lymphaticorum vaſorum communione, magnam occurrere poſſe conſpirationem, ſit planiſſimum; quam in reliquis tamen etiam corporis partibus deprehendimus; ut adeo veriſſimum exſiſtat Hippocratis effatum: *Corrivatio una, conſpiratio una, conſentientia omnia*, lib. de alimento. Quare hîc quoque pedes, corporeo trunco adnexos, læſionem, quam nudi ex longiori in loco uliginoſo mora contraxerant, ſuperioribus partibus, abdomini inprimis, communicâſſe, non eſt mirum; præcipuè cùm frigidus & pluvioſus circumſtans aër eandem adaugere aptus fuerit. Ut enim ambientis iſta conditio temperiem ſanguinis debilitare, cutis poros conſtipare, & transſpirationem naturalem cohibere valet: ita vaporum per hanc excernendorum condenſationem, ſeri copioſioris productionem, ejusdemq; incraſſationem, & conſequenter reſtagnationem, intumeſcentiæ corporis junctam, excitat. Unde liquatis denuo in tempore ſeroſitatibus craſſioribus, iisdemq; purgantium, ſudoriferorum, fomentorum &c. uſu eductis, haud neglectâ unà diætâ decente, ſanitatem deſideratam reverti neceſſe eſt.

OBSERV. LXXXVIII.

Hydropica ex potu muriæ braſsicæ curata.

V*Idua quædam, penè ſeptuagenaria, Noribergæ aſcite & tympanitide per plures annos graviter laborans, ac ob corporis molem, & deambulandi impotentiam, lecto plerumq; affixa, demum ex conſilio villicæ cujusdam amyſtidem muriæ ſeu brodii braſſicæ conditæ calidè in lecto decumbens biberat, atq; culcitris plumeis benè operta incaleſcens, per vices poſtmodum urinam copioſam reddiderat; tumor omnis inde paulatim evanuit, & biennium adhuc ſatis firma ſupervixit*. Ex obſerv. propr.

SCHO-

SCHOLION SCHRÖCKII.

MAgna diureticorum in aſcite eſt commendatio. Uti enim à renibus officium ſuum ſegniùs facientibus quandoque oritur, & ſeri per eosdem ſeparatio atque expurgatio utplurimum ritè haud procedit: ſic clauſas reſerare portas iſtas, non poteſt non eſſe ſalutiferum. Tanto ſanè in pretio illa fuêre Ludov. Septalio, ut lib. 7. Animadvers. medicar. §. 50. aqueos hos humores potiſſimùm per lotium, viis, quas permeare debent, ab infarctu primò liberatis, evacuandas eſſe, ſtatuat. Sennertus tamen ſtrictioribus terminis includens, eam potiùs materiam ſeroſam, quæ ad ventrem demum confluxura eſt, & quæ in viis, quæ ad renes ſunt, hæret, quàm quæ in ventre jam continetur, evacuare, lib. 3. Medic. pract. part. 6. ſect. 2. cap. 4. monet; quod non minùs docuit Thom. Willis part. 2. Pharmaceut. ration. ſect. 2. cap. 3. diuretica in mera aſcite, ubi viſcerum texturis à ſeroſo infarctu immunibus, aquarum illuvies ventris cavitatem inundat, aut fruſtra, aut incommodè adhiberi tradens, quatenus nempe è ventris ſtagno nihil exprimant, & ſæpiſſime cruorem fundendo, aquas illìc inſtillari aptas impetuoſiùs adigant. Quamvis, ſi puris in empyematicis è thoracis cavo in vaſa receptio, perq; urinarias aliasve vias evacuatio locum habeat, nulla cauſa ſubſit, quò minùs tenuior hydropicorum humor è cavitate abdominis in vaſa ſenſim reſorberi queat, inprimis ubi illa diureticorum ope, à ſero, quod antea continebant, exhauſta & quaſi ſitibunda reddita fuerint, aquâ fortè eosdem poros, qui exſtillationi inſervierant, paulatim iterum ſubeunte, ſeque vaſorum oſculis inſinuante. Præſenti itaque in ægrota Brodium virtute braſſicæ imbutum vi ſuâ nitroſâ profuit; quæ cùm diuretica exſiſtat, ab eadem vim illam mirificam braſſicæ in hydrope curanda deducit Exc. D. Hermannus Grube ſect 2. de arcan. Medicor. non arcan. cap. 1. art. 2. idque exemplo hydropici periculo-

culosè laborantis, ſed uſu braſſicæ vino infuſæ feliciter reſtituti confirmat. Cæterùm qua ratione nitrum diureſin promoveat, D. Willis loc. cit. nec non part. 1. Pharmac. ration. ſect. 4. cap. 2. §. 4. explicat.

OBSER. LXXXIX.

Tympanitis per umbilici rupturam ſpontaneam curatio.

ANno Chr. 1647. Concubina Præfecti cujusdam Legionis equitum Cæſarianorum, temperamenti calidi & humidi, liberali facie, & annis floridis, per menſes aliquot tumore ventris hydropico, ſeu tympanitide laborans, curatelæ duorum Medicorum Norimbergæ ab amaſio commiſſa. Verùm cùm omnium ferè labor & induſtria in caſſum abiret, ſiquidem illa ſui ſemper arbitrii, neglectis diæteticis, vivebat, ecce! aliquando ceraſa recentia & cruda uberiùs & avidè nimis devoranti, circa umbilicum venter ſponte divellitur, effluente ſeroſi humoris inſigni copiâ, ſicq; hydropicus tumor lentè ipſi detumuit, atq; ulteriori Medicorum induſtriâ priſtinæ ſanitati mulier reſtituta fuit. Mulier erat eximiæ venuſtatis, & quæ morbum letiferum vix effugerat, paucis poſt menſibus ob necem olim marito ex toxico intentatam, vindicem letum ſub carnificis ictu non effugit. Ex obſerv. propr.

SCHOLION SCHRÖCKII.

CUr hydropis hanc ſpeciem Auctor tympanitis nomine dignetur, obſcurum quodammodo eſt, cùm inſignem humoris copiam adfuiſſe, ſcribat; tympanite alias, absque humoris ad ſenſum conſortio, à ſolo flatu prodeunte, in ventriculo inprimis & inteſtinis concluſo; multis id diſſectionibus morbo iſto defunctorum demonſtrantibus; unde etiam Hippocrati noſtro hydropem ſiccum ſect. 4. aphor. 11. dici, veriſimile eſt. A ſolo tamen

tamen flatu rarò fovetur, aquei humoris quidpiam conjunctum utplurimum habens, prædominante tamen flatu, à quo deín, tanquam à potiori, denominatur. Interdum tamen ita miſceri, Dan. Sennertus lib. 3. Medic. pract. part. 1. ſect. 2. cap. 4. ſcribit, ut, utrum ad aſciten, an verò tympaniten tumor referendus ſit, ambigere quis poſſit; quam etiam flatûs ſive aëris, & aquæ mixturam Hippocrates lib. de flatib. agnovit, in hydrope aquam aëre plenam eſſe, adſtruens. Cæterùm in ſalutem ægri ſpontè diſrupti umbilici, & per eundem evacuati ſeri exempla notarunt etiam Anton Benivenius cap. 12. de abdit. morb. cauſ. & Franc. Valleriola lib. 4. obſerv. cap. 3. Marc. Donatus lib. 4. de med. hiſt. mirab. cap. 21. Guil. Fabricius Hildanus cent. 1. obſerv. chirurg. 47. Amatus Luſitanus cent. 5. cur. med. 37. Frider. Loſſius lib. 3. obſerv. med. 42. & Simon Jacozius cent. 4. obſervat. Riverianar. obſerv. 82. Quod Naturæ beneficium Artem imitatam, multos hydropicos, viſceribus adhuc ſalvis præditos, à ſarcina aquarum, inciſo umbilico, liberâſſe conſtat; quamvis enim nonnulli paracenteſin illo in loco adhibere vereantur, ubi tamen ipſa natura eò inclinat, & umbilicus amplam in molem prominet, ſecurè ſatis apertionem ibi fieri, alii obſervârunt.

OBSERV. XC.

Iliaca paſsio ex nimio caſei eſu.

C. E. Uxor ab infantia caſei, & eorum, quæ ex illo conficiebantur, abſtemia fuit, ſed à Genero ſuo J. S. perſuaſa didicit eundem comedere, verùm Belgarum quorundam more, fruſto ſcilicet panis oblongo butyro illito, & caſeo Hollandico deſcobinato conſperſo, atq; inſuper portione acetarii de lactucâ, vel endiviâ impoſitâ. His illa ſæpiſſimè & avidè nimis in prandii principio ac extra prandium fruiſcens, poſt tempus aliquod in difficultatem alvi, anorexiam,

paſſionem iliacam inſignem, cum pectoris anguſtia, ciborum & deniq; excrementorum vomitione continua inciderat, atq; quinto morbi die frigidum ſudans mortua eſt. Sub praxi propr.

SCHOLION SCHRÖCKII.

FRequentes admodum cum caſeo occurrunt antipathiæ, cujus ſingularia exempla collegit beatus D. Phil. Jacob. Sachſius Gammarolog. lib. 2. ſect. 1. cap. 4. & Ann. I. Ephem. Germ. Cur. obſ. 135. nec non Ann. II. obſ. 144. in ſcholiis. Quale aliàs caſeus alimentum præbeat, Hippocrates 4. de vict. rat. in acut. edocet, ſcribens: *Caſeus flatum & adſtrictionem parit, cibos incendit, crudum & inconcoctum edulium exſiſtit.* Unde etiam difficilis concoctionis eſſe, nec laudabile præbere nutrimentum, paſſim inculpatur. Tam exoſus erat Joh. Petro Lotichio, ut nequitiæ titulo præpoſito, ſingulari libello eundem damnaverit. Hippocrates tamen lib. de vet. medic. priorem ſententiam limitans, non ſimpliciter malum eſſe edulium, aut omnibus nocere, adſerit, cùm ſint nonnulli, qui ubi eo ſe expleverint, ne tantillum quidem offendantur. Hinc etiam adſuetis & robuſtis ventriculis, largiori licet manu ingeratur, nullum adferre incommodum, quotidie obſervamus; quibus utique adcommodandus ejusdem Coi aphoriſmus 38. ſect. 2. *Paulo deterior & potus & cibus, ſuavior tamen, melioribus quidem, ſed inſuavioribus, præferendus.* Ut taceam, magnam caſeorum eſſe differentiam, ſive ipſorum ætas & ſubſtantia, ſive præparatio, & natura ac paſcua animalium, è quibus concinnantur, perpendantur; dum molliores, duriores, recentiores, vetuſtiores, laxiores, glutinoſiores, acriores, inſuaviores &c. adeoque concoctioni & laudabili nutritioni magis minusve adverſantes ſe ſiſtunt. Vera nihilominus manet de eo Galeni ſententia, lib. 3. de alimentor. facult. cap. 17. & cap. 3. de bonit. ac vit. ſucc. omnem caſeum craſſi ſucci exſiſtere; quem tamen à robuſtiori ſtomacho digeri poſſe, meritò

meritò addimus; in debiliori tamen, inprimis ſi ferculo tali non fuerit adſuetus, aut nimia in quantitate ingeratur, quin excitare cruditates, digeſtioni reluctari, & flatus atque adſtrictionem parere queat, non eſt dubium; certè nec experientia contradicit; cujus ſpecimen præſens obſervatio exhibet. Sic quoque, præter convulſiones, colicis cruciatibus quendam diu vexatum, à clyſmatum uſu, caſei concreti induratiq; magnam per alvum ejeciſſe copiam, Fel. Platerus lib. 3. obſervat. p. m. 899. recenſet. Sic alvum ſubinde adſtrictam à ſcybalis grandibus ſummeq; duris, intermixtis caſeorum induratorum fruſtulis, memorat Exc. D. Chriſtianus Rudnicius Eph. cit. Ann. III. obſerv. 158. à quibus dein obſtructionibus, facilè circa valvulas inteſtinales conniventes, à Cl. Theod. Kerckringio obſerv. anat. 39. deſcriptas, contingentibus, ipſam tandem iliacam paſſionem oriri poſſe, nullum eſt dubium.

OBSERVATIO XCI.

Colica paſsio, & ventris obſtructio cum globulis tophaceis.

Monachus quidam ructibus ventriculi, ciborum faſtidio, doloribus hypochondriacis flatulentis, itemq; ventris conſtipatione, ad multos dies ſæpius infeſtatus, inordinatâ diætâ utplurimum vivens, ac caſei veterati & ſemiputridi valde avidus, demum, ex uſu lenientium & emollientium globulos tophaceos, & caſeum olentes perplures alvo dejecit, ac meliùs ſe habuit. Sub praxi propr.

SCHOLION SCHRÖCKII.

A Durioribus inteſtinorum excrementis, membranoſas eorum tunicas violenter diſtendentibus, flatuumq; exitum impedientibus, colicos dolores concitari poſſe, in præced. Scholio dictum, multotiesq; in hypochondriacis obſervare licet; ipſam

pſam etiam calculorum illis in locis ſtabulantium moram ſimili miſeriæ anſam præbere, tum alii, tum Parens meus venerandus in obſervationib. Anni IX. Ephem. German. Cur. edocuit. Quibus omnibus itaque excretis, flatuoſæ turbæ, quæ premebant, utplurimum ſedantur. Quem in finem lenientia & emollientia egregiam hîc præſtant operam; ejusq; intuitu Oleum amygdalorum dulcium commendari à multis ſolet; quod, ut & alia pinguia ac oleoſa, inteſtinalem fiſtulam & ſcybala indurata lubricando, faciliorem hiſce tranſitum conciliant, adeoque plus efficiunt, quàm fortiora remedia alia. Sic Studioſum in pertinaciſſimis alvi obſtructionibus flatuumque ferocia, variorum carminantium ac purgantium, ori & ano infuſorum uſu, fruſtra diu à magni nominis Medico impugnatis, ut pro deplorato ferè haberetur, propinato à patre Chirurgo, uno alteroque pinguedinis anſerinæ, quam ipſe ſingulare arcanum dicebat, cochleari, excretis non longè poſt compactis excrementorum globulis, præſens mortis periculum evaſiſſe, memini.

OBSERVATIO XCII.

Ruſtica quinque ranas vivas in ventre gerens.

Cùm tempore belli Germanici tridecennalis fœmella quædam ruſticana è caſtro Heroldsberg, duobus milliaribus ab urbe Norimberga, ob tumultuoſos cohortium militarium tranſitus, ad ſylvarum latebras aufugiens ſe occultarat, atq; ſiti urgente, de rivulo quodam paludoſo biberat, brevi poſt cachexiâ infeſtata, ventrem intumeſcere ſentit, cum motione aliqua intus & palpitatione, faciei pallore, ciborum nauſea, ac membrorum languore, quocirca mulieres plures prægnantem eam eſſe, quæ cælebs tamen erat bonæq; famæ; aliæ hydropicam fore cenſuerant, usq; dum ipſa ultra ſesquiannum ita af-

fecta

fecta aliquoties, cùm propè ſtagna & loca paludoſa ambularet, & ſereno cœlo ranæ coaxarent, in ventre ſuo ſimiles coaxationes & motus perceperat. Subinde vetularum & circumforaneorum conſiliis & remediis incaſſum adhibitis, ex Superiorum ſuorum juſſu, D. Janum Cunrad. Rhumelium, Phyſicum Norimbergenſem adiit, ex cujus ordinatione cathartico forti uſa, per vomitum ranas duas viventes, ſatis grandes, in ſuperiori corporis parte ſeu dorſo virides, inferiori flavas, evomuit, & per ſedem tres alias demortuas cum copioſo ſero ſubviridi ac fœtido dejecit, quoinde venter etiam detumuit, atq; ita benè ſatis poſtmodum ſe habuit. Ex communicat. D. Rhumelii.

SCHOLION SCHRÖCKII.

DE ranarum in corpore generatione Schol. ad Obſ. LXXX. aliqua jam dicta fuerunt; quas ſimili modo & ordine ex ſpermate earum cum aquis imbibito ibidem produci, veroſimile judicat Cl. D. Olig. Jacobæus, quo naturalem aliàs eorum ortum curiosè expoſuit in Volum. 2. Actor. medic. Hafn. obſ. 39. Illud in præſenti Caſu notari meretur, ranas ventri incluſas, coaxatione aliarum excitatas, ad ſimiles edendos ſtrepitus fuiſſe perductas. Ut ideo fidem mereri poſſet credita illa in ruſtici filia ranarum coaxatio, quam naturale iſtud ranarum murmur planè expreſſiſſe, teſtem ſe ſiſtit Martin. Rulandus Curat. empiric. & hiſt. cent. 7. curat. 28. Quamvis aliàs inani metui, vaniſque melancholicorum imaginationibus meritò adſcribantur eorum querelæ, dum rugitu & murmure, in flatuoſa iſta adfectione frequentiſſimo, exaudito, ranas ſe in corpore alere ſibi perſuadent; flatibus tamen reſolutis & diſcuſſis, à delirio iſto vindicati; quo de, præter alios, Marcellus Donatus lib. 2. de hiſt. med. mirab. cap. 1. videri poteſt.

OBSERVATIO XCIII.

Lumbricus vomitu ejectus poſt ſymptomata gravia.

Filiarum mearum quædam, ætatis circiter annorum tredecim, faciei colore ſubcitrino, dolore capitis, anorexiâ, vomitione, ructibus continuis, ventriculi ac inteſtinorum tenuium corroſione, membrorum inſigni languore, & atrophiâ per multos annos afflicta, poſt uſum deniq; plurium medicinalium, intus & extrinſecus, per vomitum cum materia plurima ſeroſa, acidâ, lumbricum ſimul, ſpithamæ longitudine, ſed convolutum, capite rubicundo, ac roſtro acuto, ejecit, poſthinc ſymptomate omni ceſſante, optimè ſe habuit. Sub praxi propr.

SCHOLION SCHRöCKII.

Lumbricos ore rejectos, quos vel in ventriculo genitos fuiſſe, vel ex inteſtinis in eum irrepſiſſe, credunt, plures teſtantur; quos inter unicum, ob magnam Caſûs adfinitatem, producere libet Excell. D. Simon Scholzium, qui in Miſcell. Germ. Curioſ. Ann. III. obſ. 258. vermis ſpithamam longi, colore albi, capite rubicundi mentionem facit, à puella duodecim annorum, poſt perpeſſam cardialgiam, alvi conſtipationem, nauſeam, vomitum, & vocis interceptionem, rejecti, ſubſequutâ mox omnium ſymptomatum ceſſatione; quem in ventriculo fuiſſe genitum, ſtatuit. Quamvis enim multi Medicorum locum hunc generationis non admittant, & vermes vomitu expulſos illuc potiùs ex inteſtinis irrepſiſſe, judicent, veroſimiliori tamen, contrarium qui ſentiunt, ratione nituntur. Sic Jo. Jac. Crafftius idem probare conatur in epiſt. ad Hildanum ſcripta, quæ in ejus cent. 2. obſerv. chirurg. 71. exſtat; nec contrariatur ipſe Hildanus, rarò ex inteſtinis provenire, qui vomitu rejiciuntur, arbitratus obſ.

72. ar-

72. argumento à bilis amaritie inprimis deſumto, cùm amara animalculis his maximè adverſari, ideoque rariſſimè infenſum hunc locum eos ingredi, credibile ſit; unde ſi qui ex inteſtinis ad ſtomachum adſcendant, in his, qui maximâ aliquâ pori cholidochi obſtructione laborant, fieri exiſtimat. Quæ amarorum averſatio licet negari omnino nequeat, non ſemper tamen habere locum, vermium in rebus inſigni amarore pollentibus generatio & deprehenſio evincit. Cur verò locum aliquando mutent, alimenti defectum aliqui, alii verò copiam vermium & loci anguſtiam arguunt: Alimentum quidem deficere poſſe in inteſtinis, haud credibile videtur, cùm ciborum quidquid ventriculus continet, non ſibi reſervet, ſed in connatam inteſtinorum cavitatem ſenſim exoneret; niſi interdum diuturna in anorexia & à cibo abſtinentia, ipſi quoque vermes eſurientes, & quo nutriantur, naturali inſtinctu edulium inveſtigantes, reptando in ſtomachum usque pervenire dicantur. Nec copiam vermium aut loci anguſtiam transmigrationis iſtius neceſſitatem inferre, obſervatio Theod. Kerckringii perſuadere valet, qui in cane inteſtina, nullâ ventriculi factâ mentione, à duodeno usque ad rectum ita vermibus vidit oppleta, ut excrementis nullus eſſet relictus locus; quin vel fortuitò ſurſum quandoque repere, vel exitum quærere ab aliis inſectatos, liberioremq; auram captantes, vel etiam enematis adverſi infuſione, ut remotiora ad loca fugiant, interdum compelli, dicemus. Similem adverſæ rei fugam proponit Joh. Bapt. Helmontius tract. Sextupl. digeſt. alim. hum. §. 82. lumbricum vix extra vitalem nidum ſive inteſtina ſurſum ereptare, ſcribens, *niſi ob ſibi horridum ac malæ contagionis obſtaculum*; adeoque vix aliquid boni præſagire, addens, qui ſponte ſurſum ejiciuntur; quod equidem verum eſſe nonnunquam conceditur in quibusdam ægrotantibus, ubi potentior malignitas corpori periculum minatur; aſt fallere etiam, præſens

 Obſer-

Obſervatio, & quam ſupra in principio Scholii hujus adduxi, pluresque aliæ probant, dum à prægreſſis morbis expulſionem iſtam liberâſſe, commonſtrant. Cæterùm ſtomachum generationis verminoſæ ſubjectum eſſe poſſe, nihil omnino obſtat, ſive ex hauſto cum alimentis, liquidis ſolidisve, aut etiam medicamentis, eorum ſeminio & ovulis, ſive ex corrupta putreſcente materia [quam tamen à latente & ſubjugato antea vermis ſpiritu, atque per corruptionem in libertatem reſtituto, animari, Exc. D. Sebaſt. Wirdig lib. 1. Medic. ſpirit. cap. 21. §. 11. exiſtimat] producantur; cùm non tantùm hujus materiæ in eo præſentia dari queat, ſed & calor blandior hoſpitetur, à quo eadem foveatur, ſuſcitetur atque animetur.

OBSERV. XCIV.

Lumbricus poſt morbillos ex ore prorepens.

Puella novennis, poſt abſolutum morbum morbillorum, ſine dubio ex errore diætetico in febrem ſynochalem cum delirio inciderat, aſt ceſſante iterum febre, coma atq; linguæ paralyſis ſubſequuta, indè mulieres circumſtantes apoplecticam putabant. Verùm cùm ego caput vapore duntaxat narcotico oppleri è reſiduo materiæ morboſæ cenſerem, & clyſterem revellentem, & alexiteria interna præſcripſiſſem, en! vermis teres binorum penè dodrantum longitudine, colore pallidus, biceps, uno videlicet capite in anteriori, altero in poſteriori ſui corporis parte exiſtente, & utroq; rubicundo, ex puellæ ore ſpontè prodiit, ac ſubinde loquela rediit, cætera ſimul ac ſymptomata deſierunt, puellaq; revaluit. Sub praxi propr.

SCHOLION SCHRÖCKII.

FRequens in variolis vermium generatio multorum hactenus exercuit ingenium, poſtquam Exc. D. Chriſtiano Lan-

gio

gio in Diſput. de Morbill. Lipſiæ habita, illas animatorum ac innumerorum minutiſſimorumq; , vel atomorum adinſtar inſenſibilium vermiculorum pullulaginem eſſe, adſtruere placuit, cùm experimento aliquoties iterato cognoviſſet, ſanguinem corruptum ex naribus, nec non humorem putridum apertis puſtulis exſtillantem, ut & excrementa verminosâ progenie confertim ſcatere. Vermium etiam in variolis præſentiam deprehenderunt præter alios Exc. D. Ehrnfr. Hagendornius Ephem. Carioſ. Ann. III. obſ. 28. Nob. D. Chriſtian. Franc. Paulinus Ann. VI. obſ. 3. Exc. D. Johann. Schmidius Ann. VIII. obſ. 85. Cl. Joh. Rhodius cent. 3. obſerv. med. 64. Zacutus Luſit. Prax. med. admir. lib. 3. obſ. 46. Horatius Augenius Comm. lib. 1. art. cur. ad Glauc. apud Rhodium inedit. Petr. Borellus cent. 2. obſ. 72. & obſervat. microſcop. 31. Ipſam peſtem ab excellenti putredine oriundam verminoſam tradit Celeb. Athanaſ. Kircherus in Scrutin. peſt. à qua excluſa effluvia peſtifera innumerabilem inſenſibilium vermiculorum ſobolem eſſe, demonſtrare conatur. Quin & febrientium ſanguinem vermibus, tametſi oculo cryſtallinis artificiis non armato inſenſibilibus, plenum ſtatuit; quod propriâ experientiâ in malignis aliquoties ſe expertum fatetur. Petrus à Caſtro ſect. 1. de febre malign. puncticul. aph. 15. & ſect. 4. aph. 13. Sed non immeritò ad rarò contingentia fœturam hanc verminoſam cum Cl. D. Joh. Chriſtiano Frommanno diſcurſ. medic. de V. S. in morbill. declinat. §. 30. pluribus contra novam iſtam hypotheſin diſputante, referimus; ut ita, quamvis interdum malignè febricitantium ſanguinem vermiculis ſcatere concedatur, vel iidem ex ſero extravaſato ſub cute in variolis reſtagnante & putreſcente demum producantur, non tamen ſemper omnibus in variolis locum inveniant. Qua ratione ipſe Borellus conſentire videtur, ſcribens: *Vidi & vermiculos in puerorum variolis, qui cum adſunt, magnam denotant humorum corruptio-*

ruptionem, & non parvum mortis inducunt periculum. Incomparabilis etiam Dan. Sennertus part. 2. de infant. morb. cap. 2. variolas interdum penè peſtilentes eſſe, & tantam in eis humorum corruptionem compertam fuiſſe, monet, ut ſub cruſtis vermes reperti fuerint. Non ſecus ac in aliis quoque febribus vermes quandoque occurrere obſervamus, quorum exempla apud Exc. D. Sebaſtianum Schefferum in Analect. ad dd. Eph. Ann. III. obſ. 258. D. Thom. Bartholinum cent. 2. hiſt. anat. 23. Joh. Petr. Lotichium lib. 1. Conſil. & obſerv. medic. cap. 3. obſ. 1. Henr. Salmuthum cent. 3. obſ. med. 54. & Laz. Riverium cent. 1. obſ. med. 16. 28. 75. & 91. aliosque videri poſſunt. Sic & ulcera ſordida, ad quæ commodè variolas illas reducemus, nonnunquam verminoſa, haud tamen ſemper evadere notum eſt. Ut adeo prælaudatus Frommannus hypotheſin iſtam firmo ſtare talo, meritò dubitaverit in Anno VI. cit. Eph. obſ. 186. quia hîc productum & quod concomitanter ſe habet, cum cauſa confundatur; & Bartholinus l. c. vermiculos in ſanguine malignitatis potiùs productum, quàm cauſam eſſe crediderit. Ut taceam, quòd, cùm minutiſſimi perhibeantur illi vermiculi, facilè oculum, vitreâ inprimis interjectâ laminâ, fallere poſſint; hinc Nob. D. D. Joh. Joach. Beccherus lib. 1. Phyſ. ſubterr. ſect. 5. cap. 2. num. 103. ſanguinem in fermentatione febrili ſpumoſum fieri, & oblongas, tenuiſſimas, atque vix viſibiles bullulas ejicere conſiderans, ſtrias has vermium ſpecie quosdam microſcopiis utentes fallere potuiſſe, ſuſpicatur; & venerandus D. Simon Paulli Claſſ. 3. Quadripart. botan. cap. de heliotrop. pag. 343. edit. ult. ſal volatile in ſanguine refrigerato efflorescens minutulos vermiculos falsò repræſentare ſtatuit; nec non D. Franc. Ignat. Thiermairius lib. 1. Conſil. med. cap. 7. in Schol. cùm plura de materia hac proferret, minutas ac diſtinctas ſanguinis fibras ſero ſuo innatantes, & aëri expoſitas, ſeſe naturaliter dilatando

tando & contrahendo curioſis & credulis inſpectoribus levi negotio illudere poſſe, exiſtimat. Videatur etiam Isbrand. de Diemerbrœck, lib. 1. de peſte cap. 8. annot. 3. contra illud ingenioſum, ut vocat, de peſte verminoſa commentum diſputans.

OBSERV. XCV.

Lumbricus latus.

F*æmina quædam de ciborum faſtidio, ventriculi ac inteſtinorum corroſione ſæpius querens, aſſumto aliquando cathartico, lumbricum latum, trium pluriumq́ ulnarum longitudine, ſed fruſtulatim per ſeceſſum in unico die excreverat, quoindè ſymptomata etiam priora ceſſarunt, nec ultra hactenus ſimile quid paſſa eſt. Lumbrici forma erat quaſi cucurbitæ ſemina plana, ſubflava, & invicem cohærentia.* Sub praxi propr.

SCHOLION SCHRÖCKII.

VAriæ ſunt de Lumbricis latis Medicorum ſententiæ, quas ex parte expoſuit Dan. Sennertus lib. 3. Medic. pract. part. 2. ſect. 1. cap. 5. ubi tamen duorum inprimis eſſe generum monet, quorum unum cohærentia cucurbitæ vel cucumeris ſemina exactiùs referat, alterum ex multis particulis geniculatim coagmentatis componatur, delineatâ eorum ſimul figurâ; quam etiam dederunt Adrian. Spigelius lib. de lumbr. lato, Guil. Fabricius Hildanus cent. 2. obſerv. chirurg. 70. Nicol. Tulpius lib. 2. obſ. medic. cap. 42. & inprimis D. Olaus Borrichius Volum. 2. Act. med. Hafn. obſ. 47. Licet & in illis aliqua notetur differentia, ut adeo cum Borrichio meritò dicendum ſit: *Ludit etiam natura in erubeſcendis humanorum viſcerum abortibus.* Illos verò ſine capite notos, benè monuit D. Thom. Bartholinus cent. 3. hiſt. anat. 14. addens tamen: *Certè plerique lumbrici, niſi in inteſtinis detruncentur, caput habent, quanquam non ita manifeſtum, ut*

are

à reliquo corpore diſtingui accuratè poſſit. Hinc enim dolores vellicantes & tormina pueros miſerè torquentia. Imò nulli unquam caput defuiſſe, meritò ſtatuitur; quod tamen ob incuriam in inſpectionibus haud ſemper adparet, præcipuè ſi illud contrahendo quaſi abſcondant. Eſſe autem vermibus iſtis cucurbitinis caput, teſtes adſunt præfatus Tulpius, qui breve, planum, latum, & cornutum inſtar limacum, ſine oris hiatu impoſuit; Ill. D. Præses noſter tract. de abſinth. p. 125. minutiſſimum, atrum & verrucoſum, trium papaveris ſeminum aptè conjunctorum formam exprimens; D. Simon Schulzius Ann. III. Ephem. Cur. obſ. 229. rubicundum; Bald. Timæus lib. 3. Cas. medic. 9. oblongum, nigrum, villoſum & binis cornubus armatum; Joh. Rubingerus lib. 3. obſervat. Schenck. quod inſtar cæciliæ novum quoddam ſerpentis corpus in ore geſtare videbatur, ſive cæciliam referens; Hieron. Gabucinus cap. 13. Comm. dè lumbr. roſtro veluti quodam acuto, acûs piſcis more præditum; Guil. Rondeletius lib. de dignoſc. morb. cap. 17. parvum & longum, nec non ſine oculis; & Amatus Luſitanus cent. 6. curat. med. 74. verrucoſum & album, deſcribunt. Sunt & qui cavitatem in lumbrici lati corpore nullam agnoſcunt, inprimis qui non animal, aut vermem, ſed neſcio quam inteſtinorum membranam eſſe autumant; quorum fundamenta proponens Fel. Platerus lib. 3. obſervat. p. m. 891. viva non eſſe animalia, exin conjecturam ſumit, quòd non tantùm cavitate deſtituantur, ſed motum quoque nullum edant, nec teretium modo titillationes roſionesve moveant, ligulas faſciasve membrãeas ex chylo genitas adſerens, quales in aliis etiam animalibus, canibus, cancris &c. certo tempore obſerventur. Aſt Henr. Salmuth cent. 1. obſerv. med. 45. quidpiam inſtar lactis emittentem vidit, ſubjungens: *Multi quìdem lumbricos latos membranas eſſe putant; atqui hi quid lactis obtinent.* Qui ſanè lacteus exſtillans ſuccus cavitatem aliquam

liquam neceſſariò præſupponit. Timæus ipſum corpus in medio quidem latum eſſe, ſed ab utraque parte in rotunditatem quandam, veluti ventrem adſurgere, ſcribit, cum exigua cavitate. Immobilia eſſe corpora, autopſia haud admittit, unde quoque Philibert. Saracenus in epiſt. ad Hildanum [cent. 2. obſ. chir. 71.] in muliere quadam tæniarum verminoſarum ſobolem tantopere increviſſe, refert, ut non modò per alvum, ſed aliquoties per os nareſq; prodierint, *ac tum*, ſcribens, *in abdomine primùm conſpicuus fiebat illorum motus, intumeſcebat enim mulieri venter hinc indè, non aliter quàm fieri ſolet, cùm ſe fœtus in eo quoquoverſum commovet, mox indè in os obrepebant, eosque ipſa digitis comprehenſas longâ ſerie educebat.* Si itaque in nonnullis motus omnino nullus deprehendatur, ii vel medicamentorum virtute, vel aliam ob cauſam enecati erunt dicendi. Sic nullum doloris ſenſum eorum præſentiæ adeſſe, præter cumplures alios, vel ille Timæi ægrotus l. c. contradicit, qui jejunus dolorem & morſum in ventre plerunque ſentiens, excretis in magna copia cucurbitinis corpuſculis, convaluit. Quod verò ligulas illas gammarorum, ut reliquorum taceam, attinet, quibus tænias has ſimiles judicat Platerus, nullam hîc valere ſimilitudinem, certum eſt, cùm corpora illa teretia albicantia, nec corpora ſint præter naturæ intentionem genita, nec etiam animalcula ſive vermes (quocunque jam adpelles nomine,) ſed partes tantùm in aſtacis maribus conſpicuæ, & certis temporibus ſucco ſeminali candido turgidæ, qui levi preſſione per penes ex utroque latere in pedunculis penultimis latentes, exire animadvertitur. Rectiùs itaq; cum B. Georg. Hier. Welſchio cap. 4. de Vena Medin. pag. 131. præclariſſimorum Medicorum judiciis adquieſcendo, lumbricum latum, tam cucurbitinum, quàm faſciatum, è proprio ſeminio quodam in humoribus alimentariis ſeu chyli portione, & ſanguine aut latice nutricio latente, caloris aut ſimplicis aut putredi-

tredinalis ope, primò quidem exiguum, & inteſtinis adfixum gigni ſtatuitur, qui poſtea iisdem aut vitioſis etiam humoribus nutritus paulatim in magnam illam molem excreſcat. Non tamen opus eſt,ut ejusdem primordia ex ipſo utero ſemper deducamus; quod quidem voluit Hippocrates, vel potiùs ſi quis alius illum de lumbrico lato diſcurſum lib. 4. de morbis inſeruit (ceu Joh. Marinellus Comm. 10. exiſtimat, cùm ab Hippocratis dignitate alienus videatur, & ab aliquo rerum ad rem medicam pertinentium imperito additus fuerit; imò omnes illos de Morbis libros alium, quàm Hippocratem auctorem agnoſcere, ſunt qui ſtatuant, vid. Foëſii Comm. pag. 690.) ſcribens: *Eos in puero, dum adhuc in utero eſt, gigni aſſero. Neque enim ubi ſemel utero egreſſus eſt, tanto tempore ſtercus in alvo manet, ut ex eo putrefacto & diutius permanente, tantæ magnitudinis animal in ea concreſcere poſſit.* Neque enim tantùm ex ſtercore ortum deducere, rationi congruum, neque excrementum illud diu ſæpe in corpore poſt partum, etiam in provectæ ætatis hominibus latere poſſe, negandum eſt. Sed cùm totus ille diſcurſus revera multa contineat abſona, Hippocraticâ ſapientiâ utique indigna, & facilè à quovis perſpicienda, inſiſtere his prolixiùs nolo. Num verò Borelli opinio locum mereri queat, non minùs dubito, dum cent. 3. obſerv. 4. balænimorpha animalia in ſanguine humano producta, & ad pravum, quod in ipſo eſt, hauriendum nata, ſi ſedem mutent, cucurbitinos eſſe vermes, in ſtomacho quandoque repertos, credit; cùm non videam, qua ratione ſolâ illâ loci mutatione, inſecta antea balænarum formâ conſpicua, brevi in diverſam adeo figuram transire queant; quinimo conjectura hæc incertiſſimæ vermium ſimilium per naturam in hepate præſentiæ innititur; qualem quidem etiam in viſcerum parenchymatibus agnovit Theodor. Kerckringius obſerv. anat. 93. impugnatam tamen à Nob. D. Thiermairio lib. 1. Conſil. med. cap. 7. in ſchol.

OBSER-

OBSERV. XCVI.

Vermiculi circa ſphincterem ani.

O*Bſervavi perſæpe infantes intra ſeptennium querulantes de ciborum faſtidio, ſiti, titillatione narium, ac in ſphinctere ani, cum irrito conatu excernendi; infantibus verò ſuper alterius gremium inclinatis, & diducto podice, vel ab inſeſſu infantium ſuper laſano, atq; lactis calefacti vaporem excipientium, vermiculi parvi, veluti in caſeis veteratis inveniuntur, acervatim deſiliebant, mundatoq; deinde* ſ. h. *podice detergentibus & exſiccantibus, malum hoc prorſus evellebatur.* Sub praxi propr.

SCHOLION SCHRÖCKII.

AScaridum nomen latiùs nonnullis extenſum, ita ut cucurbitinum etiam lumbricum ſub ſe comprehendat, ceu idem videre eſt apud Benedict. Silvaticum cent. 3. Conſ. & reſp. med. 10. utplurimum tamen parvulos illos, tenues ac teretes vermiculos, iis qui in caſeo inveniuntur, non abſimiles denotat; quos nempe ab ἀσκαρίζειν, ſive quod idem, σκαρίζειν, *ſalire, ſaltitare,* ſic dictos communiter volunt, cùm adſiduè ſe moveant, perpetuoque quem inferunt, pruritu & ſtimulatione hominem quieſcere haud permittant, vel etiam quòd ipſi ſaliendo movere ſe quandoque conſpiciantur; quâ ſanè ratione latis lumbricis etymon hoc quadrare minùs poteſt; niſi fortè τὸ α ſit ςερητικὸν, & privandi vim obtineat, ſicq; vox illa lato potiùs lumbrico, tardiori motu prædito, & minori cum dolore inteſtina incolenti, competat. Cæterùm ipſa aſcaridum apud Medicos notior adpellatio (miſsâ illâ, quâ aliis etiam inſectis tribuitur, uti Caſp. Schwenckfeldius lib. 6. Theriotroph. Sileſ. aſcarides caſeorum, terrenos, militares & paluſtres exhibet; nec non qua vermiculi inſigniuntur, in phthiſicis nonnunquam occurrentes, deſcripti à Bald. Timæo lib. 2. epiſt. medic. 5. nec non Thom. Bartholino cent. 1. hiſt.

anat. 46. vel in utero ac pudendo muliebri ſubſiſtentes, quorum mentio occurrit apud Hippocratem lib. 4. de morb. pag. 666. Cod. Foëſ. Ill. D. Nicol. Guil. Beckers Ann. IIX. Ephem. Cur. obſ. 75. Timæum lib. 4. caſ. med. 6. & Garciam Lopium com. 13. de var. rei med. lect.) vermiculos notat, qui circa inteſtinorum extremitatem, vel inteſtini recti ſphincterem præcipuè latitant; ex corruptis, craſſis, & pituitoſis humoribus, ab accedente proprio ſeminali ſpiritu animalis, producti; quos quidem ipſos dein alios generare ſubinde poſſe, non eſt improbabile; prout de lumbricis aliis idem certiùs conſtat; tales enim prolificos D. Georg. Wolffg. Wedelius Volum. 3. Act. med. Hafn. obſ. 58. Theod. Kerckringius obſerv. anat. 43. Henric. Salmuth cent. 3. obſ. med. 24. Petr. Borellus cent. 1. hiſt. med. 89. Dominic. Panarolus pentecoſt. 5. obſerv. 15. & Amatus Luſitanus cent. 5. curat. med. 46. exhibent. Et Joh. Bapt. Helmontius licet lumbricos in nobis absque prolificatione adſtruat tr. Sextupl. digeſt. alim. hum. Aſcarides tamen §. 82. cadaveroſos vocat, ex putridis quisquiliis provenientes, & §. 83. ſua parere ova adfirmat. Tales fortè Vidua illa ventre aluit, cujus obſervat. 13. dd. Eph. mentio fit, quæ à prima infantia usque in ſenectutem ſemper cum excrementis alvinis vermiculos ejusmodi parvos in magna quantitate excreverat, ſine tamen aliquo ſanitatis incommodo. Utplurimum quidem pruritu, accedente nonnunquam teneſmo, moleſti evadunt, minorem tamen periculi metum incutiunt, utpote in parte ignobiliori hærentes, & ob vicinitatem faciliùs medicamentis exturbandi; cùm tamen & animæ defectiones & cruciatus, aliaque mala inferant, jure ab omnibus formidandos monuit Hieron. Mercurialis tom. 1. Conſult. medic. 13. Scilicet, ut EbnSina lib. 3. fen. 16. tract. 5. cap. 3. habet, pruritum quandoque tantum inducunt, ut ipſa ſyncope inſequatur; à frequenti etiam roſione ulcus in ano excitatum epilepſi-

lepſiam provocâſſe Joh. Jeſſenius à Jeſſen apud Schenckium lib. 3. obſerv. teſtatur. Contrarium quidem hîc ſe præbet Ebn Sinæ Commentator, Petrus Salius Diverſus, illum ſyncopes metum Avicennæ puram imaginationem vocans, & nec ratione ſymptomatis, i. e. pruritûs, nec ratione loci, qui nullum conſenſum cum corde habeat, nec ratione adfectûs, cùm vermes ſint puſilli, nec pravi habitûs, ſyncopen excitare poſſe, judicans; adductâ etiam propriâ experientiâ, quâ taliter per 10. & 12. annos infeſtatos, præter pruritûs & commotionis in ano moleſtiam, nihil perſenſiſſe compertum habebat. Paulò tamen iniquiùs prolata hæc videntur: Si enim pruritus ille moleſtiſſimus ſæpe ac quaſi intolerabilis adfectio evadat, prout ipſe Salius Comm. in cap. 2. ſcripſerat, quis eo ipſo animi defectiones exin oriri poſſe, neget, cùm à vehementi dolore animi deliquia accidere ſæpius obſerventur? Uti verò omnium partium mutuus conſenſus eſt, ſic & ignobilioris illius cum corde haud eſt negandus, præcipuè cùm vaſis diverſis ſit non parcè donatus; unde in pruritu pulſum naturali paulò concitatiorem, urinamque conturbatiorem evadere, veriſimile eſt, quod notat Samuel Hefenrefferus lib. 1. de cutis adfect. cap. 14. Nec parvitas & pravitatis abſentia in aſcaridibus obſtat, ſufficit enim, roſione ſuâ eſſe moleſtiſſimos; atque res parvas maximam ſæpe agendi vim obtinere. Experientia etiam particularis in uno alteroque caſu deprehenſa, impoſſibilitatem ſyncopis in aliis non evincit.

OBSERV. XCVII.

Lien cartilaginoſus.

SCriniarium quendam morbo iliaco extinctum aperui, in quo inteſtina gracilia quidem ſibi invicem adhærebant; craſſa verò præterquam quòd ad tantam redacta erant anguſtiam, ut colon vix polli-

pollicis craſſitiem æquaret, σκυβάλοις refertiſſima erant. Siniſtrum hypochondrium, etiam cum ὀρθοστάδας eſſet defunctus, ſemper tenſiſſimum erat: in eo lien ex media ſui parte, ſubſtantiâ quâdam cartilaginosâ incruſtatus erat, quam, quoniam à liene nullo negotio ſeparari potuit, adhuc adſervo. Ulteriùs cadaver perſequi non licuit. Ex ſchedis Gregor. Queccii.

SCHOLION SCHRöCKII.

HUjus etiam Obſervationis ab Auctore noſtro ſibi communicatæ meminit B. Joh. Theodor. Schenckius Exerc. anatom. pag. 435. ſimilemque cartilagineam ſubſtantiam in viro quinquagenario mœcho, capitis ſupplicio adfecto obſervâſſe ſe, adjungit. Id quod ab aliis etiam notatum legimus, veluti Realdo Columbo lib. 15. de re anatom. lienes grandes, quos ibi proponit, cartilagine exteriùs obvolutos referente. A Clar. D. Caſp. Bauhino viſcus hoc tunicâ aliquando inſtar cartilaginis, & colore, & craſſitie, & duritie, intectum eſſe, lib. 1. Theatr. anatom. cap. 43. ſcribitur; qualem ab Andernaco notatam, à ſe quoque in cadavere hydropico obſervatam ſubjungit. Sic & Nob. D. D. Georg. Sebaſt. Jungius lienis magnitudinem naturalem ſupergreſſi, potiſſimum in gibba ejus parte, membranam in cartilaginem à ſubſtrato corpore facilè ſeparabilem abiiſſe notat in Miſcell. Curioſ. Germ. Ann. I. obſ. 29. Lienem dimidiâ ferè ſui parte, oſſeâ incruſtatum cartilagine vidit Exc. D. Chriſtian. Rudnicius Ann. III. obſ. 158. adeo durâ, ut acutiſſimo quamvis cultro vix diſcindi, ſineque læſione parenchymatis ſeparari potuerit. Imò ſæpius eum ita incraſſari, tradit Joh. Riolanus lib. 2. Enchirid. anat. pathol. cap. 26. p. m. 141. Talem etiam conſtitutionem adfuiſſe, judicaverat Nic. Tulpius lib. 2. obſerv. med. cap. 28. (ubi quoque exemplum cartilagineæ ejusmodi cruſtæ in Eunucho inventæ proponit,) cùm coſtas pulſantem deprehendiſſet lienem. Se verò tale quid ſæpe obſervâſſe, notat Riolanus

lanus in append. ad loc. cit. inflammationi potiùs ſplenis pulſationem illam adſcribens, â qua tam validè coſtæ colliſæ fuerint, ut ictus perciperentur. Videtur nempe à ſero craſſiore, fibrillis membranæ lienem incingentis ſeſe inſinuante, easq; emolliente ac diſtendente, tandemque ulteriori mora magis & magis condenſato, originem trahere cruſta illa cartilaginea. Hinc in magnis iſtis lienibus, quos Viri Maximi, Dn. Anton. de Pozzis, D. Thom. Bartholinus, & DD. Wepferi deſcripſerunt, craſſas ubique adfuiſſe tunicas, memoratur, quas fortè longior ætas in ſimilem cartilagineam ſubſtantiam transformâſſet.

OBSERVATIO XCIIX.

Lien magnus.

A*Nnò* 1633. *Monspelii, in Noſocomio fuit cadaver ruſtici cujusdam diariâ febre demortui diſſectum, in quo inventus lien ingentis magnitudinis, ac ponderis duodecim librarum. Lien etenim occuparat totum ſub epigaſtrio ventris ſpacium, ut & ad jecur quodammodo allideret.* Ex obſerv. propr.

SCHOLION SCHRÖCKII.

NAturam in nullo viſcere magis ludere, quàm in liene fabricando, Joh. Riolani lib. 2. Enchirid. anatom. pathol. c. 26. eſt ſententia, experientiæ reſpondens, cùm figurâ, numero, ſitu variare ſæpius deprehendatur; interdum planè deeſt; quandoque parvitate inſolitâ præditus; imò & magnitudine nonnunquam ſpectabilis; quam non tantùm à natura, ſed & morbo adipiſcitur. Hinc magnorum lienum Hippocrates paſſim meminit; quo ſub nomine ſcorbutum indigitari, plurimi ſunt qui ſtatuant, ſunt qui contradicant. Et quamvis ſymptomatum eos comitantium multa ſcorbuto etiam adeſſe, negari haud queat, placet tamen, Magni Bartholini judicio ſtare, qui Diſſert. 4. de

Medic.

Medic. Danor. domeſt. diverſos hos adfectus demonſtrat. Interea tamen improbabile non eſt, ſæpe in ſcorbuto magnam in molem extumeſcere viſcus illud; licet & ſæpe absque illo ſcorbutus in corpus deſæviat: quale quid in cadavere à morbo iſto exſtincto ſe obſervâſſe memorat Dan. Sennertus tract. de ſcorb. cap. 3. Sic & Petr. Foreſtus lib. 20. obſerv. med. 11. in ſchol. lienem in quodam minùs adfectum fuiſſe notavit; & Cl. Thom. Willis lib. de urin. cap. 4. ſe in pluribus hepar & veſiculam fellis læſa, morboſi lienis nullâ mentione factâ, deprehendiſſe teſtatur. Cæterùm plura ſplenis in magnitudine, ſive ob morbum, ſive quendam in ipſa conformatione & nutritione errorem Naturæ, excedentis exempla paſſim occurrunt; uti videre eſt in Ephemer. Germ. Curios. Anno I. obſerv. 2. 29. Anno IV. obſ. 30. V. obſ. 148. apud Thom. Bartholinum cent. I. epiſt. med. 62. cent. 4. epiſt. 13. 14. & cent. 1. hiſt. anat. 80. in Actis Medic. Hafnienſib. Volum. 1. obſ. 100. apud Ol. Borrichium tract. de Hermete Ægypt. lib. 2. cap. 8. §. 7. Gerard. Blaſium Comm. ad cap. 4. Syntagm. anatom. Veſl. Theod. Kerckringium obſ. anatom. 33. Gregor. Horſtium lib. 1. Epiſt. med. ſect. 11. Nicol. Tulpium lib. 2. obſerv. medic. cap. 30. Guil. Fabricium Hildanum cent. 2. obſerv. chirurg. 45. Joh. Fernelium lib. 1. Phyſiolog. cap. 7. Andr. Veſalium lib. 5. de hum. corp. fabr. c. 9. Barthol. Cabrolium obſerv. 6. Henr. Smetium obſervat. miſcell. lib. 10. Ann. 1603. Reald. Columbum lib. 15. de re anat. Joh. Schenckium lib. 3. obſerv. medic. Marc. Donatum lib. 6. hiſt. med. mirab. cap. 2. Leonh. Floravantium lib. 2. theſ. vit. hum. cap. 8. Quod etiam ex Antiquioribus non latuit Aëtium lib. 7. cap. 10. & 16. ſcribentem, longitudine ſuâ usque ad inguen nonnunquam protendi, latitudine verò hepar attingere; quo de non minùs conquerentem Cappadocem Lenonem inducit M. Acc. Plautus in Curcul. Act. 2. Scen. 1.

Vale-

Valetudo decreſcit, accreſcit labor.
Nam jam quaſi Zonâ liene cinctus ambulo,
Geminos in ventre habere videor filios.
Nihil metuo, niſi ne medius diſrumpar miſer. &c,

OBSER. XCIX.

Hypochondriaci cum febre quartana curatio,

M*Onachus quidam Benedictinus per ſemeſtre ferè laboraverat febre quartanâ, adveniente icteritiâ nigrâ, cum ſpirandi difficultate, ventriculi anorexia, vomitu continuo, ventris conſtipatione, ac tumore crurum & pedum inſigni. Is, cùm Medici, poſt varia medicinalia fruſtra exhibita de eo deſperarent, valdè propterea æger contriſtatus in melancholiam vehementem incidit, & cum licentia Abbatis ſui A. 1657. Ratisbonam, auxilium meum imploraturus, delatus fuit, quem intra paucas ſeptimanas, tam exhortatione ſuavi & colloquiis jucundis, quàm methodo curationis ei acceptiſſimâ, deoppilantibus ſcilicet & alterantibus per epicraſin, alternatisq́ corroborantibus in integrum reſtitui. Exin notavi, morbos ejusmodi atroces & melancholicos non ſemper magnis & vehementibus remediis diſpelli, ſed potiùs exaſperari; cautè igitur & ſuaviter cum eisdem procedendum, ac ægrorum moribus aliquid interdum concedendum.* Sub praxi propr.

SCHOLION SCHRöCKII.

IN melancholia hypochondriaca fortiorum pharmacorum, catharticorum inprimis uſum plus officere, quàm prodeſſe, utique in confeſſo eſt; quod juxta cum aliis notavit in libello ſuo de Melanch. hypochondr. Johann. Freitagius cap. 8. idq́; non tantùm de illis, quæ naturâ ſuâ vehementia, ſed & quæ nimiâ frequentiâ peccant, intelligendum eſſe, ex Clar. Nathan. Highmori Ex-

ri Exercit. de adfect. hypoch. cap. 7. patet; ubi frequenti alvum laxantium & vomitum concitantium ab uſu, ventriculum debiliorem atque laxum nimis effici in Malo hoc, ſcribit, addens: *Fortiora etiam medicamenta viſcera debilitant & calefaciunt; humoresq́ nimium commoventia, paroxyſmum aſperiorem generant, atque ſic in mali cauſam degenerat remedium.* Nec in hiſce ſolùm, ſed & aliàs molliter ſuaviterq́; melancholicos tractandos, in Scholio ad Obſerv. XLI. jam dictum fuit. Quod ſanè omnibus probè notandum foret, qui tenerioris ſæpe conſtitutionis homines melancholicos, non ſecus ac ſi robuſtiores maniacos vel bruta tractarent, belluinâ ſuâ curandi ratione violenter adgrediuntur, & unâ eâdemq́; horâ vomitoriis ac venæſectionib⁹ ægrotos reluctantes excarnificant. Hinc blandiori ratione tractando & deliriis ægrotorum nonnihil cedendo, plus in exſtinguendis falſis imaginationibus utplurimum effici, quàm contranitendo, hiſtoriis docemur: ex quibus unicam elegantiſſimam ſufficiet indigitâſſe, quam Nobiliſs. D. Joh. Georg. Greiſelius in Ann. III. Ephem. Curios. obſerv. 49. propoſuit; Econtra Vicentinus ille, cujus Marc. Donatus lib. 2. de medic. hiſt. mirab. cap. 1. meminit, qui corpus prægrande ſe habere opinabatur, ita ut nullo pacto cubiculi oſtium exire poſſet, mortuus eſt, cùm Medici juſſu invitus exportatus fuiſſet, occiſores nempe increpans, confractumque ſe totum conqueſtus. Hoc ipſo tamen perpetuæ in omnibus pravis actionibus deſideriisq́; adſentationi & indulgentiæ minimè patrocinium præſtatur; in his enim ſi Medicus gratificetur, ſæpe obeſſe ſolet: Tales ſunt, *quibus*, ut Johann. Anton. Lindanus Conſil. de hemicran. menſtr. §. 292. loquitur, *nihil ad ſanitatem deeſt, niſi quòd ſe ſanos non credant; hiq́ ſemper dum volunt curari, nunquam curantur*; propinata etenim medicamenta cùm in corpore non inveniant, quod emendare queant, & tamen ibidem otioſa neutiquam remaneant, neceſſariò

ipſam

ipſam invadere naturam coguntur, eamq; alterando in alium ſtatum, qui ideo præternaturalis foret, deducunt. Digna ſunt, quæ hîc repetantur verba à Joann. Manardo ad Amicum atrâ bile agitatum perſcripta: *Niſi obſtares, facilè bonam valetudinem te recuperare poſſe confiderem. Non enim ſunt tibi medicamina à litoribus Indicis perquirenda, vel Æſculapius ab inferis revocandus, qui te liberet: intra teipſum habes antidota, & nemo tibi melior, quàm tumet tibiipſi, eſſe medicus poteſt.* Vid. lib. 4. Epiſt. med. 5.

OBSERV. C.

Anatomia hypochondriaci demortui.

NOb. D. H. G. S. per aliquot annos dolore ſtomachi, difficultate reſpirandi, obſtructione hepatis & venarum meſaraicarum, ſyncope, icteritiâ nigrâ per vices laborans, deniq; tumore crurum œdematoſo afflictus, A. 1672. ætatis verò quinquageſimo ſexto moriebatur. Diſſecto poſt mortem cadavere, apparuerunt orificium ventriculi quodammodo corroſum & ſideratum, ventriculus verò ipſe adhuc in naturali ſtatu, hepar marcidum & putreſcens; in veſicula fellea lapilli centum quinquaginta unus, ſubflavi & præduri, quorum quidam avellanæ, alii piſi majoris, alii piſi minoris, cæteri lentis magnitudine fuêre; inteſtina omnia, itemq; pancreatis viſcus, cum meſenterio & omento, totaliter ſiderata; lien valdè parvus, naturalis tamen, itemq; renes ambo; crura ambo œdematoſa, ac ab emanante ſero ſalſo exulcerata, non ſine metu adproperantis gangrænæ; cor inſigniter magnum & vegetum. Ex communicat. affinium.

SCHOLION SCHRÖCKII.

LIenem in hypochondriaco adfectu omni ſemper culpâ carere, licet haud ſit dicendum, primariam tamen ſedem ejus eſſe, nequaquam indè ſequitur; cujus ſanè innocentiam laudatiſſimus P. triæ Medicus, D. Philippus Höchſtetterus feliciter

Decad. 5. obſervat. medic. caſ. 1. propugnaverat, laudem propterea à Cl. Nathanaële Highmoro in eleganti de adfect. hypochondr. Exercit. cap. 1. promeritus; Ubi rectè, actionem ſplenis priùs cognoſci debuiſſe, quàm læſam pronunciari, ſubjunxit; unde etiam in præfat. illorum miratur ingenia, qui partis alicujus delicta & errores tam perſpectè deſignare poſſunt, cùm de officio & uſu illius nihil conſtet. Lienem adfectuum melancholicorum reum actum eſſe potiùs, quàm peractum: neque ſententiam illam nuperis experimentis eſſe conſentaneam, plurimos enim iſtiusmodi adfectibus obnoxios, & poſt obitum exenteratos, lienem ab omni tali culpa abſolviſſe, refert Franciſc. Gliſſonius cap. 45. Anatom. hepat. In hoc ſanè Auctoris noſtri Caſu, hypochondriaci anatome lienem naturalem exhibuit, reliquis viſceribus magnâ ex parte corruptis. Talis etiam à prælaudato Höchſtettero Decad. 5. caſ. 3. nec non Wolfg. Höfero lib. 3. Hercul. Med. cap. 3. memoratur. Et celeberr. D. Franciſc. de le Boë Sylvius Diſput. medic. 5. §. 7. in cadaverum humanorum ex variis morborum generibus defunctorum longè ultra centum à ſe diſſectorum examine nullum viſcus, ſi cor excipias muſculoſum, minùs ſe offendiſſe labefactatum, teſtatur, ipſo liene, etiam in adfectibus melancholicis perperam lieni malè habenti vulgò adſcriptis; & §. 20. *Illud*, inquit, *corpori utiliſſimum viſcus, ab inexpertorum calumniis liberat diſſectio, dum in affectibus melancholicis etiam diuturnis, & poſt multorum annorum vexationem ad mortem usq; ægros comitantibus in cadaverum plurimorum perſcrutatione innoxium, & præ cæteris viſceribus ſatis ſanum nobis manifeſtavit lienem, non inflatum, non induratum, non obſtructum.*

OBSERV.

OBSERVATIO CI.

Hypochondriaci ſcorbutici cura.

VIr quidam cacochecticus, & per quinquennium ſymptomate vario ſcorbutico, anhelitu gravi, apepſiâ, dolore flatulento in hypochondriis, ventris conſtipatione, atq; membrorum languore & arthritide vagâ per vices afflictatus, demum meum conſilium expetebat. Cui ſeriò ſtatim injunxeram diætam decentem, præmiſſis præparantibus & purgantibus melanogogicis per epicraſin, ſimul ac exhibitis alternatim alterantibus & roborantibus, nec neglectâ venarum ſectione brachii & pedum, in paucis ſeptimanis priſtinam ſanitatem lætus acquiſivit, poſthac præcautionis gratiâ, ex conſilio meo, ſingulis annis bis cathartico univerſali ſumto, bisq; iteratâ ſanguinis miſſione, quotidie in prandii & cœnæ principio guttulas aliquot ſpiritus cochleariæ in vino, vel jejunus portionem conſervæ cochleariæ ſumſit, atq; excitato in brachio fonticulo, interdum ventrem emolliendi, & flatulentias amoliendi causâ, aut aquâ laxativâ, aut clyſtere carminativo uſus eſt, usq; quinquennio poſt apoplexiâ forti ſub ſacris in templo ſubitò tactus, ſeptimo die morbi ad plures abiit. Sub praxi propr.

SCHOLION SCHRÖCKII.

ADfectioni hypochondriacæ Scorbutum ſæpe conjungi, aut, contumaciſſimè opem ſi recuſet medicam, iſtam in hunc degenerare, teſtatur Nath. Highmorus cap. 1. Exercit. de adfect. hypoch. Magna enim utrique eſt adfinitas, & tanta, ur ſcorbutus plurimis morbis ſe immiſcens, hypochondriacum quoque mentiatur, ſpecieq; fallaci ſæpe Medicos eludat, judicio D. Gu. Rolfincii lib. 3. de particular. corp. adfect. cap. 12. ſive, ut Gualth. Charleton cap. 1. de ſcorbut. art. 1. decidit: morbus non unus eſt, ſed morborum potius Ilias, ex multiplici malorum concurſu & complicatione oriunda. Quod non minùs conſiderans Dan. Sennertus tract. de ſcorb. in præfat. hunc ſuum tractatum

ctatum iis etiam in locis proficuum fore, credidit, ubi nulla ſcorbuti eſſent veſtigia; cùm de multis, quæ in hypochondriaco adfectu, & morbis ac ſymptomatibus, quæ ex iſta corporis ſentina oriuntur, & præcipuè colluvie ſeroſa accidunt, occaſionem indè cogitandi nanciſcantur Medici. Differre tamen, tum ex utriusque collatione ſatis pateſcit, tum Joh. Drawitius præfat. lib. de ſcorb. præcipuè edocuit; qua de re etiam legi merentur, quæ D. Simon Paulli ꝯ. 65. & 66. Digreſſ. de febb. diſſeruit.

OBSERV. CII.

Lituræ & exanthemata crurum in ſcorbuticis plerumque ſigna bona.

D *J. M. & P. J. H. ambo conſtitutionis ſcorbuticæ, & vultu plerumq; ſubcitrino, pallido, cùm membrorum laſſitudinem, hypochondriorum lancinationes, ſtomachi anorexiam, ac calorem lentum in viſceribus ſentirent, aſſumtis, vel non aſſumtis medicinis, non unquam levaminis quid ſperarunt, priusquam cruræ intumeſcebant, ac exanthemata rubra, lata, rotunda vel lituræ circulares in cruribus apparebant; ſicq; naturâ ſalſum & pituitoſum humorem ad crura ſpontè propellente; commodè ſatis rurſum vixerunt*, Sub praxi propr.

SCHOLION SCHRÖCKII.

QUod in anteced. Scholio de hypochondriaca adfectione, in hoc de lue venerea moneo, videlicet cum hac quoque ſcorbutum quandoque jungi, ſæpe tamen ob ſymptomatum quorundam, ambobus communium, præſentiam & ſimilitudinem, quæ Charletonis judicio, vel expertiſſimis Medicis alterius ab altero perdifficilem reddit diſtinctionem, aut ut Severin. Eugalenus in Epiſt. dedicat. tract. de ſcorb. habet, quâ ægrè, nec niſi à probè exercitato circa utrumque Medico diſtinguuntur, incau-

incautioribus (de indoctioribus nil dicam) imponit, ut luem venereameam adeſſe credant, quam ſcorbutum rectiùs vocarent. Damnoſam autem eſſe confuſionem iſtam, Höchſtetterus noſter decad. 7. obſerv. med. caſ. 10. monuit; ſi ſcilicet ſcorbutus, adinſtar morbi venerei, turbetho minerali, inunctionibusque mercurialibus curetur; mercurium nempe morbi hujus eſſe hoſtem, ex Hartmanni Praxi chimiatr. atque ſeverè admodum in tales Medicos Foreſtum [lib. 20. obſ. med. 11. & 12.] invehi, ádvertens. Taliſmodi, & quidem barbitonſoris, ſcorbuto laborantes ſuffumigio ex cinnabari curantis mentio fit lib. 3. Conſil. & epiſt. medic. ſect. 1. Gregor. Horſtii, ubi Archiater Saxonicus, D. Georg. Faber Matronam honeſtam ſcorbuticam, ac ſi gallico morbo fuerit infectâ, falsò ab illo tonſore traductam, conqueritur. Alia autem inter ſigna (ut propiùs ad præſentem Obſervationem accedam,) effloreſcentes in cruribus maculæ certum inprimis præbent ſcorbuti indicium, ut iis concurrentibus, de morbo hoc dubitare velle, ſummæ eſſet inſcitiæ notæ. Aſt felices Regiones, quibus ignotus rarusve eſt dirus & contagioſus ille adfectus! Cujus etiam in Patria mea rariora occurrunt veſtigia; non tamen planè ignota, quamvis præteritis annis ſat atrocia, notante id, præter experientiam, præfato Höchſtettero, qui in Noſocomio publico & Orphanotrophio, quorum conſtitutus fuerat Medicus, plurimos taliter adfectos percuraverat.

OBSERVATIO CIII.

Tumoris & exanthematum crurum in ſcorbutico intempeſtiva curatio lethalis.

R. P. L. F.

R. P. L. F. *ſtudiis & ſcriptis nimiùm intentus, continuò per plurimos annos, ex conſuetudine, ſive legeret, ſive ſcriberet, erectus ſtetit, quoindè poſterioribus annis humores excrementitii ſeroſi ad crura ſeſe vergebant, & coacervabantur, & plerumque ſub æſtivo tempore exanthemata, ſeu maculæ latæ, rubræ, ſubcæruleæ in cruribus illi, citra ardorem notabilem, tumorem, aliamve moleſtiam erumpebant; quocirca præmonitus ſæpe à me & aliis Medicis, ne Naturæ ſponte ſe exonerantis beneficium impediret, emplaſtris & unguentis cutis poros occluderet, atque humoribus retruſis aliud graviusq́; malum cauſaret. Verùm ille ætatis tunc penès ſeptuagenarius, ex imaginatione hypochondriaca ſphacelum metuens, Medici cujusdam curæ ſe ſubmiſit, exinde per plures ſeptimanas, citra omnem medicaminis interni uſum, nec univerſalibus præmiſſis, cruribus autem quotidie & continuò emplaſtratis, atq́; multis linteis involutis, exanthemata intro receſſerunt, ac poris penitus oppilatis, crurumq́; cute, marmoris inſtar, lævigatâ, humores ſeroſi, ſalſi, acres regurgitantes, & caput petentes, ægro dolores capitis obtuſos cum vertigine cauſarunt, atq́; brevi tempore poſt inter labores literarios catarrho ſuffocativo ſubito obrutus ille ad plures abivit.* Ex obſerv. propr.

SCHOLION SCHRÖCKII.

Cùm Auctor in præced. Obſervatione lituras & exanthema ſcorbutica plerunque bonum præbere ſignum notaverit, in hac jam intempeſtivam eorundem curationem vel repreſſionem letalem eſſe, oſtendit. Scilicet Natura à vitioſo & corrupto ſanguine gravata, eundem quovis modo à ſe depellere conatur, atque ignobiliores ad partes illum protrudere inprimis ſolet; quo itaque violenter in venas retroacto, non poteſt non novas in maſſa ſanguinea ebullitiones & corruptiones excitare, haud ſecus ac in aliis quoque corporis efflorefcentiis, morbillis, ſcabie &c. ſeroſi humores intempeſtivè repreſſi, maximum in periculum laborantes conjicere ſolent. Neque præpoſteræ illi curæ

curæ ut Medicus inſiſtat, tantoperè urget adfectus, præſertim, cùm abſque ſingulari incommodo diutius quandoque circumferantur; id quod Dan. Sennertus cap. 3. tract. de ſcorb. confirmat exemplo Viri, qui per annos triginta crura ejusmodi maculis colorata habuerat, de dolore tamen inſigni non conqueſtus; ubi etiam maculas iſtas, quas Paracelſus ſub nomine cancrenæ deſcribit, non multum ab his ſcorbuticis differre, judicans, ſine exulceratione ad annum 30. aut 40. eas durare, ex eodem admonet. Imò reliquâ curâ, internorum remediorum conveniente uſu ritè peractâ, & ſanguini debitâ craſi atque puritate reſtitutâ, maculas iſtas ſponte evaneſcere, Practici norunt.

OBSERV. XCIV.

Ani procidentia.

Puella triennalis, teneſmo & alvi duritie per bimeſtre laboravit, ut & ſub dejectione excrementorum, cum podice inteſtini recti portio exiret, ac non niſi ex ſuffumigio picis ſutoriæ terebinthinatæ, aliis remediis fruſtra adhibitis, intrò rurſum recederet, & ſtabiliretur; quod & in aliis felici cum ſucceſſu tentaveram. Sub praxi propr.

SCHOLION SCHRÖCKII.

CUr pueris frequens & familiaris ſit ani procidentia, Adrian. Spigelius lib. 2. de hum. corp. fabr. cap. 22. ex oſſis coccygis natura rationem petit; in quibus nempe cartilaginoſum potiùs, quàm oſſeum illud exſiſtat, ipſi autem ſphincter muſculus, ipſumq; inteſtinum rectum cohæreat; unde ob humidam admodum puerorum temperiem inſtabilius harum partium fundamentum reddatur. Frequenter enim à nimio humorum crudorum adfluxu morbum hunc oriri, notum eſt; ſive jam ille interiorem tunicam inundans, [quam ſcilicet hoc in adfectu pro-

tuberare Cl. D. Joh. Jac. Wepferus Ann. II. Ephemer. Curioſ. obſ. 251. pag. 358. ex rugoſa & plicatili ejus natura, anilibus rugis à D. Joh. Theod. Schenckio Exercit. anatom. pag. 296. comparatâ, colligit] muſculorumq; ad anum ſpectantium nerveas fibras nimiùm irrigans, relaxans atque reſolvens, per inferiora delapſum promoveat, ſive unà cartilaginoſam oſſis coccygis ſubſtantiam emolliat, ſicq; ejusdem elongationi, & quò minùs adnexum inteſtinum naturali in ſitu continere valeat, imbecillitati ac mollitiei faveat; præcipuè ſi unà acredine infeſtus, ad crebriores, ingenti conatui junctas, dejectiones inteſtinum ſollicitet; id quod puellæ, teneſmo diarrhœam gravem ſubſequuto, laboranti, apud Henr. Salmuth cent. 1. obſerv. med. 30. accidit, quo nempe neglecto, ab urgente deſiderio excernendi inteſtinum ultra duarum ſpithamarum longitudinem, miſero ſpectaculo, protruſum fuerat. Hinc etiam ob ſolam ſæpe acrimoniam clyſteris aut glandis ſuppoſitoriæ, propter copiam ſalis gemmei, vel trochiſcorum alhandal, pueros ani procidentiam pati, animadvertit Panarolus pentecoſt. 1. obſ. med. 23. Curationem verò hujus adfectûs in pueris Jacobus Primeroſius part. 2. de morb. pueror. Sebaſtian. Auſtrius cap. 47. & ejus Commentator Nicol. Fontanus, Dan. Sennertus part. 2. cap. 27. de infant. curat. &c. tradiderunt; ubi inprimis bdellii ſuffitus commendatus jam notari meretur; cujus utilitatem nempe laudatum atque expertum ab Auctore noſtro picis ſutoriæ terebinthinatæ ſuffumigium confirmare poteſt; ab utriusque enim exhalante calido, ſicco, & oleoſo fumo, non tantùm refrigeratæ, humidiores, & debiliores partes iſtæ alvinæ calefiunt, exſiccantur atque roborantur, ſed & acidum dolorificum à contentis in fumo ſalis volatilis ſpiculis obtunditur ac enérvatur; non ſecus ac maſtichinus quoque odor, quem Joh. Hartmannus in Prax chimiatr. exponit, utilis eſſe comperitur; quo ipſo etiam modo, propoſita à

ta à quibusdam, cum ſimplicibus adſtringendi aliàs virtute prædītis ſuffumigatio prodeſſe poteſt.

OBSERV. CV.

Hernia umbilicalis.

A*Nno Chr.* 1649. *puellus biennis herniâ umbilicali laborabat, cui umbilicus inverſus ad articuli pollicis longitudinem propendebat, ſed umbilico leviter retruſo, ac unguento emplaſtico, rotulis coriaceis & faſciis probè munito, intra trimeſtre priori corporis decori reſtitutus eſt.* Sub praxi propr.

SCHOLION SCHRÖCKII.

DE hernia umbilicali pluribus egit in ſuæ Kelegraphiæ cap. 17. Malach. Geigerus, quam ab omento, inteſtinis, flatu &c. fieri docet. Eſtq; vel ſimplex, vel ex duabus pluribusve ſpeciebus compoſita; quâ ſanè ratione, v. g. pueris ſæpius ab inteſtinis flatibusque oriri conſtat; imò enteromphalocelen ſimplicem nunquam dari, ſunt qui adfirment, cùm inteſtina absque omento, ipſis naturaliter ſuperſtrato, erumpere ex loco illo nequeant. Verùm, uti D. Thom. Bartholinus in Anatom. reform. admonet, magnitudo omenti varia eſt, in nonnullis ad umbilicum protenſa, in aliis verò ulteriùs progreſſa; non raro, inteſtinis nudis, ſub hepate deliteſcens; Sic etiam in quamplurimis ſurſum contractum & revolutum recenſet D. Gerard. Blaſius in Comment. ad cap. 3. Syntagm. anat. Vesling. Quâ itaque datâ revolutione, ſola inteſtina in umbilicum extenſum prorumpere poſſe, haud ampliùs erit ambigendum, præcipuè ſi illa flatu tumeant, ſicque ſupra omentum naturâ breviuſculum emergant. Magnoperè verò ob nimiam corporis, ex abdomine ſubeuntis, molem & impetum quandoque augetur hernia; qualem vaſtiſſimam deſcripſit atque delineavit Marc. Aur. Severinus

nus lib. 4. de recond. abſceſſ. nat. cap. 21. imò nonnunquam ipſa umbilicalis membrana in magnam tenuitatem extenſa rumpitur, non ſine maximo periculo; qualem omphalocelen cum ruptura, effuſisque inteſtinis, letalem exhibuit Henr. Roonhuſius lib. 1. obſerv. med. 13. nec non Joh. Petr. Lotichius conſil. & obſerv. medic. lib. 6. cap. 8. Omphalocelen quoque à partu difficili, ruptâ cute, diu miſerè adficientem propoſuit Bartholinus cent. 1. hiſt. anat. 73. Aliàs ſi citò reponatur, diligentique ligaturâ ulterior omenti vel inteſtinorum prolapſus præcaveatur, inprimis ſi adſtringentis & conſolidantis medicamenti virtute adjuvetur, in pueris præcipuè, ſponte ſanari poſſe, non eſt dubium. Sic umbilici herniam in puerulo octimeſtri, ligaturâ, junctis tamen internis & externis conſolidantibus, curatam recenſet Bald. Timæus lib. 5. Caſ. medic. 18. Parum quidem tribuit internis remediis Jacob. Primeroſius part. 2. de morb. pueror. & ſolam ſpem in externis adſtringentibus & reſolventibus, ſuperpoſito quoque ſubligaculo, collocat; attamen his licet major hoc in paſſu inſit potentia; interna tamen ſuo non defraudanda ſunt encomio, inprimis ſi, quod idem etiam monet Primeroſius, in pueris hernia potius à laxato, ob humiditatem, quàm rupto peritonæo fiat; Ut flatuum, non poſtremum inter cauſas locum occupantium, internis remediis felicem diſſipationem taceam; quin & blandiora traumatica & exſiccantia in rupturis certiorem ſanationis ſpem pollicentur, modò talia exſiſtant, quæ nimiùm exſiccando, difficilem admodum alvum non efficiant, adeoq; in moleſta ejusdem exoneratione ulteriora malo incrementa haud ſuppeditent.

OBSER-

Herniæ inteſtinalis cura temeraria lethalis.

I. *B. I. F. de K. herniâ inteſtinali, ſeu bubonocele per multos annos laboraverat, cui ſæpius inteſtinorum pars, neglectis fortaſſe faſciis & decente ſubligamine, in inguine aliquando valdè prominens ac refrigerata dolores acerbos cauſavit, & nullo modo quàm fomentis tepidis emollita in ventrem receſſit. Sed cùm ſexagenario ob flatuum abundantiam iterum accideret hoc malum, intermiſsâ deligatione ſolitâ, inteſtinum diu nimis propendens refrigeraretur & indureſceret, circumforaneus quidam perſeveranter promiſerat, ſe inteſtinum propendens facilè intruſurum, & hernioſum hunc affectum perfectè curaturum; verùm ob renixum & contractionem cutis dilaceratæ, ac inteſtini inflati & indurati magnitudinem, ſcalpello cutem & peritonæi membranam prolixiùs dilatavit, intruſoq́; violenter inteſtino, nec priùs emollito nec tepefacto, cutis diſciſſæ ora confibulavit, ab emplaſtro impoſito faſciis deligavit. Attamen brevi poſt patiens febrem ardentem cum animi deliquiis ſentiens, & accedente ſphacelo inteſtinorum, paucos intra dies vitam cum morte commutavit.* Ex obſerv. propr.

SCHOLION SCHRöCKII.

UT Agyrtarum in decipiendo promtitudo temeritate ubique circumvallatur: ſic & in herniis eandem multoties ſpectandam impunè exhibent, quas duriter tractare, & absque neceſſitate crudeliter ſecando adgredi ſunt paratiſſimi, neceſſariâ partium, quas incidunt, cognitione vacui, nec ſymptomatum ſupervenientium medelâ inſtructi, ſed unico experimentorum, quam morte aliorum ſibi comparant, fulcro cœci incedentes, viliſſimoq; utplurimum ab ortu ad opus hoc accedentes; qualem hernio-

herniotomum Guil. Fabr. Hildanus præfat. Oper.chirurgic. delineat, qui ſubulcus porcos caſtrare cùm didiciſſet,in hominibus poſtea idem tentaverat. Sed præſtat unum alterumque exemplum in curando & ſecando temerariorum hominum ac imperitorum nebulonum indigitâſſe: Herniæ omentalis in lanione, nec non inteſtinalis in alio perperam, & cum ægrorum interitu curatæ habet Malach. Geigerus Kelegraph. cap. 3. Adoleſcenti in præpoſtera herniæ inguinalis ſectione, ab agyrta pennato, cujus fallax anima ſacco holoſerico incluſa fuerat, inteſtinum vulneratum narrat Philipp. Höchſtetterus Dec. 10. obſ. med. caſ. 3. Inteſtinalem agyrta ruſticus,ſarcocelen fortè reputans,ſuppuratione curaturus, in exitium deturbaverat ægrum, ceu refert Henr. Salmuth. cent. 1. obſ. med. 11. Contra Gallum agyrtam, herniarum curam filo aureo certiſſimam pollicitum, Henricus ab Heer obſ. med. 22. invehitur, quem filo ferreo, mercurio crudo oblito, inteſtinum ileum unà comprehendiſſe, & validâ contorſione fecibus per inferiora exitum letaliter præcluſiſſe, memorat. Barbitonſor imperitus villicó bubonocele, quam venereum bubonem crediderat, laboranti, ejusdem ſectionem perſuadens, purulentæ materiæ loco, feces erumpentes obſtupuit; ægroto tamen exercitatiſſimi Petri de Marchettis ope, reſtituto, quod ipſe recenſet obſervat. med. chirurg. 55. Cui conſimile exemplum producit Hieron. Fabricius ab Aquapendente tract. de operat. chirurg. cap. de bubonocele. Sic etiam, quodam Naturæ luſu aut errore, teſticulum in inguine reconditum habentes, aut tertio inſuper præditos, pro hernioſis miſerrimè fruſtraque diu vexatos ſcimus; quales vidiſſe ſe teſtatur citatus Geigerus, nec non Ambroſ. Paræus lib. 7. Oper. chirurg.cap.16. Notabilis quoque eſt hiſtoria, quam Aquapendentius cap. de inteſt. hern. exhibet, adoleſcentis nimirum, teſticulorum naturalem in magnitudine diverſitatem ignorantis, atque ex ſini-

ſtri

ſtri majore mole herniam pertimeſcentis; quam cùm herniotomo oſtendiſſet, & niſi teſtis extraheretur, mortem inſtare, perſuaderi ſibi paſſus fuiſſet, jam ligatus caſtrationem exſpectabat, niſi Fabricii conſilio, à carnificina iſta liberatus fuiſſet. Scilicet quæſtuoſa cùm ſit illa ſectionis crudelitas, quam præter dolores, teſticuli jacturam, ipſiusque vitæ periculum, carè ſatis redimere ægroti coguntur, herniotomi iſti inhumani ad perſuadendam cum ferro medelam ſunt expeditiſſimi; quamvis plurimi, non pueri tantùm, ſed adultiores quoque, ſolo medicamentorum uſu, ſedulaq; deligatione, vel omnino curari, ſed ſaltem minori cum diſcrimine degere poſſent. Hinc Bartholinus cent. 4. Epiſt. med. 22. *Herniam*, ſcribit, *inguinalem in adultis pro incurabili non habeo, ſi vel recens ſit, non inveterata, vel imperfecta tantùm ſit, tunicâ vaginali nonnihil dilatatâ. Utroq; enim caſu non difficulter primò reponendum eſt inteſtinum, deinde pars emplaſtro adſtringente & vinculo munienda.* Sic Paulus Ægineta lib. 3. de re med. cap. 53. multos pueros citra manûs operam medicaminibus impoſitis, & convenienti deligaturâ perſanatos, refert. Joh. Scultetus innumeros, longo temporis progreſſu, magnâ adhibitâ curâ, remediis, bracherio, victûsque bonâ ratione priſtinæ ſanitati ſe reſtituiſſe; quos verò vel ob adfectûs magnitudinem, vel ejusdem diuturnitatem integrè ſanare non potuerat, incrementum ſaltem enteroceles ſe prohibuiſſe, teſtatur part. 1. Armament. chirurg. tab. 39. Hinc malè facere, part. 2. obſ. 64. judicat, qui malunt à Caſtratoribus torqueri, quâm Medicis mitiora benè conſulentibus per menſem obedire; prout nec illos Medicos laudem mereri, qui ab ægro rogati Orchotomis adſtant, & Circumforaneos malè operantes non corrigunt. Quod etiam de inguinalibus puerorum herniis Ambroſ. Paræus l. c. cap. 15. fatetur, remediorum ope multos à ſe ſanatos, & caſtratorum manibus, teſticulorum puerilium avidis, ereptos ſcribens; quin & de

adulti-

adultioris ætatis homine exemplum proferens. Et præfatus Fabricius ab Aquapendente, Horatium de Norſia, operatorem hac in re maximè exercitatũ, & qui plus quàm ducentos quotannis castrando curaverat, poſtea nec etiam viginti ſectioni huic ſubjeciſſe, refert, cùm bracherio & adſtringente medicamento impoſito, plerosque ſanari obſervâſſet. Quin & Nicol. Monardus de ſimpl. medic. ex Novo Orbe delat. cap. 72. ſolam ligaturam decentem ſufficere poſſe, exiſtimans, nullâ herbâ aliave re impoſitâ, cujusdam Cordubenſis mentionem facit, qui omnes hernioſos eo modo curaverat. Atque Joh. Bapt. Helmontius herniæ benè ligatæ, citra exſpectationem ſanatæ meminit tr. Pueril. humoriſt. vindict. p. m. 323. cùm patiens ex oſſifragio diu lumbis decubuiſſet.

OBSERVATIO CVII.

Hernia inveterata periculoſa.

D. *U. C. de W. A. 1663. die 19. Aprilis ventris conſtipationes flatulentas & dolores lancinantes ſentiebat, & inquietè dormiverat, ideoq́ ſequente diluculo Medicum accerſiri juſſit, de iis doloribus, præſertim in lumbis ad latus ſiniſtrum ac in inguine dextro, calculum renalem fore putans, querebundus remedia petiit. Sed cùm ex greſſus & loquelæ difficultate Medicus jamdudum herniam quandam ſuſpicatus, quam æger per vigintiſeptem jam annos tolerans, præ pudore celaverat, nulloq́ unquam medicamine, nec auxilio, nec ligaturâ ad ſublevandum tam grande pondus uſus erat, indè omnium medicamentorum ſucceſſus difficiles fore hic apertè pronunciavit, nihilominus pro morbi ſtatu & qualitate cautè procedens, ad ventrem leniendum, ac dolores flatulentos amoliendos, potionem brevem laxativam & carminativam, atque fomentationes externas, itemq́ alia interna, non omiſſis cordialibus, præſcripſit, per quæ die 21. Aprilis*

prilis evacuationes tres leves ille habuit, dolorum mitigationem quandam ſenſit, ſine ulla urinæ difficultate, aut ſuppreſſione, quapropter patiens bonam revaleſcendi ſpem conceperat. Subſequente verò nocte diei 22. Aprilis morbus, ſeu dolores lancinantes cum corporis in lecto circumjectatione magna, recruduerunt, quocirca inter alia mitigantia, ad inſtantiam ipſius ægri, inſeſſus balnei ex decocto emollientium & flatus diſcutientium, cum bono, quamdiu inſederat, ſublevamine, quod ipſe prædicabat, conceſſus fuit, ſed ſubinde adveniente ob longiorem moram in balneo, virium proſtratione & ſpirandi difficultate, ventre rurſus conſtipato, circa veſperam portionem quandam caſſiæ extractæ in juſculo ſumſit ſuppoſitorioq; ſub nocte applicato, quæ tamen præter ſpem nullam ſedem moverant; nox quidem paululum quietior fuit. Manè autem, die videlicet 23. Aprilis circa horam quartam, coram Medico nihil penè, quàm anhelitum difficilem querens patiens, maturius levamen deſideravit, & cùm Medicus vix quicquam ſcriberet, & ad pharmacopolium mitteret, æger ad alvi ſeceſſum ſe properè commovens, adminiſtrantes advocavit, tunc ſubitò illi ſpiratio deficere videbatur, & lentè ſic inter ſuorum brachia occubuit. Poſt obitum hernia inſpecta, quam vivens ille valdè pudibundus ab aliis conſpici & contrectari unquam noluit, inventa eſt magnitudine caput viri robuſtiſſimi excedens, atque pondere aliquot librarum extra corpus dependens; Vixit verò ille ad mortem usq; in cælibatu. Sub praxi propr.

SCHOLION SCHRÖCKII.

EX incuria, pudore & negligentia maximas tandem oriri poſſe hernias, non eſt dubium; inteſtina enim viâ ad ſcrotum inventâ, cum pondere gravia ſint, ſenſim magis magisq; eò devolvuntur. Tales ampliſſimas hernias Olaus Borrichius in centur. 4. epiſt. medic. Bartholinian. 92. Job. Mekeranus cap. 5. obſervat. chirurg. Felix Platerus lib. 3. obſervat. pag. 756. & Johann. Freitagius apud Gregor. Horſtium lib. 2. epiſtol. medic. ſect.

ſect. 19. &c. deſcripſerunt. Quarum ſanè cura difficillima & utplurimum fruſtranea exſiſtit; præcipuè ſi, quod facilè accidit, inflammatione, & quæ eam inſequitur, gangrænâ corripiantur inteſtina prolapſa, ſive à frigore externo lædantur, flatibus fecibusq; diſtenta compreſſionem patiantur, adeoque ſanguinis liberior ibi tranſitus inhibeatur; ſive juſtò calidiora interna externave remedia in uſum ducantur; aut etiam violentiori manu tractentur; quâ ratione, alias inter animadverſiones, in curatione enteroceles notandas Dominic. Panarolo pent. 2. obſervat. med. 49. primo loco monere placuit, à Chirurgo ſæpius manum haud admovendam eſſe, cùm aliàs dolor, & cum dolore attractio creſcat.

OBSERV. CVIII.

Nephritis cum dolore & tumore hypochondrii, uteri epilepſia, & ſtranguria permoleſta.

ANno 1665. Fœminæ Ratisbonenſi, vomitu multo, dolore colico, & epilepſiâ uterinâ afflictæ, medicamenta in initio detrectanti, ſed accedente inſuper tumore inſigni quodam in hypochondrio ſiniſtro, ac ſtranguriâ, lubenter demum dicto obtemperanti, inter multa demum clyſter applicatus fuit emolliens & carminativus, ſubinde calculus grandis, oblongus, glaber, cum urina prodiit, tumor in hypochondrio ſubſedit; iterumq; paucis poſt diebus calculus alius priori oblongior, dactylorum nuclei magnitudine & figurâ, ſubſecutus, atq; cætera poſthinc ſymptomata ſeceſſerunt. Sub praxi propr.

SCHOLION SCHRöCKII.

URgentibus valdè doloribus nephriticis, Practicos Dogmaticos plerunque à clyſterum adplicatione curationem auſpicari, benè monuit Matthias Unzerus lib. 2. de nephritid. quorum

rum uſum teſtimoniis diverſorum Auctorum confirmat, non tantùm durioribus fecibus in craſſorum inteſtinorum cavitatibus ſubſiſtentibus, renesq; ac ureteres comprimentibus, ſed & flatibus, nephritidi admodum familiaribus, exitus facilior ut concilietur, ſicq; unà tranſituro cum moleſtia calculo per ureterem via liberior aperiatur. Interea tamen laudandi non ſunt, qui frequentiori eorum adplicatione, absque ullo diſcrimine ægrotos miſerè excarnificant, in quos ut calamum ſtringeret, ſatis cauſæ habuit Liſſetus Benancius tract. de fraudib. & errorib. Pharmacop. quod etiam Leonhardus Fuchſius fecit lib. 3. Paradox. med. cap. 15. immodicum quidem ac intempeſtivum enematum uſum damnans, moderatum tamen & convenientem admittens. Imò ipſe Joh. Bapt. Helmontius, licet acerrimus remedii hujus oppugnator, quod ex cap. 7. de febb. patet, tractatu tamen Supplem. paradox. num. crit. §. 36. illud admittit, cùm exonerata inteſtina, ureteribus incumbentia, calculo egreſſuro faciliorem omnino exitum præbeant.

OBSERV. CIX.

Nephritici doloris curatio, calculo longè poſt ſine dolore prodeunte.

ANno Chr. 1654. Amanuenſis quidam ſæpius ante atrociſſimis cruciatibus nephriticis periculosè infeſtatus fuerat, è largiore potu vini Rhenani generoſioris, in dolores iterum ejusmodi pergraves incidit; auxilium igitur à me expetenti dolores remediis idoneis profligati, brevi temporis ſpacio omnino, nullo tamen calculo apparente, deceſſerunt, ipſeq; munia ſua liberè rurſum obivit. Decendio verò poſthinc calculus grandis, latus, planus, triangularis, ac in uno latere paululùm ſerratus, improvisò ſine omni ferè dolore, cum urina parum ſabuloſa prodiit. Sub praxi propr.

IN viris calculum magnum & eminentiis aſperum, absque intenſis doloribus prodire, rariſſimum eſt, ob meatûs, qui per virile membrum decurrit, anguſtiam; quæ ſanè minores non niſi cum horrendis cruciatibus, majores autem planè non transmittit. Ut ideo Magn. D. Thom. Bartholino, in puero illo Dano, qui calculos majores juglande & ſaxo duriores excreviſſe ferebatur, & cujus etiam cent. 3. epiſt. medic. 80. mentionem fecerat, dolum ſubeſſe non immeritò ſect. 3. pag. 27. de hepat. exauctor. deſper. cauſ. ſuſpicio fuerit orta; præcipuè cùm urethræ cavitas vix dilatari adeo poſſit, ut tantæ molis calculo viam largiri queat. Quamvis enim Ægyptii, referente Proſp. Alpino lib. 3. de Medic. Ægypt. cap. 14. cannulæ ope, extenſionem ejusdem, inſufflando, egregiè promovere ſciant; ita ut Alpinus tam dilatatam inſpexerit, quâ facilè magna avellana tranſiiſſet; adeo extendi tamen vix poterit, ut juglande majores calculi permeare valeant; quam difficultatem intuitus Joh. Riolanus lib. 2. Enchirid. anatom. pathol. cap. 30. de ipſa operatione illa, quam abſurdam vocat, dubitare non dubitaverat. Cùm econtra in mulieribus faciliorem exitum meatûs urinarii naturalis amplitudo largiatur, imò grandioribus etiam calculis viam concedat. Qualem unciæ dimidiæ pondere, aſperum, absque ulla tamen meatûs iſtius læſione, à muliere quinquagenaria excretum produxit Annus II. Ephem. Germ. Curioſ. obſerv. 124. & alium oblongum, unciasque duas cum ſemiſſe pendentem Annus VI. obſ. 195. In ſinum pudoris mulieris paganæ devolutum, & ab ipſa ægra, obſtetricante manu propriâ extractum, ovalem, album, glabrum, non valde durum, formâ & magnitudine ovum gallinaceum majus referentem, unciarum ſex deſcripſit Bartholinus Volum. 4. Act. med. Hafn. obſ. 83. aliosq; cent. 1. hiſt. anatom. 71. & 72. Ovi gallinacei ferè magnitudine, ab anu

nu è veſica ſponte excretum vidit Dan. Sennertus lib. 3. Medic. pract. part. 8. ſect. 1. cap. 2. tres uncias cum duabus drachmis ponderantem à vetula octuageſimum nonum annum agente, ſponte excluſum Nicol. Tulpius lib. 3. obſerv. med. cap. 7. exhibuit, aliumq; Theod. Kerckringius obſervat. anat. 67. Ovum anſerinũ mole æquantem, album, duriſſimum, cum ingentibus conatibus, & qui puerperarũ dolores æquarent, à puella eductum Petr. Borellus cent. 2. obſ. med. 22. qui etiam alium vidiſſe ſe teſtatur, pondere unciarum quatuor, ejusdem cum antecedente molis, & qui figuram veſicæ retinuerit. Vetulam duos calculos, juglandis majoris cum integumentis ſuis magnitudine, excreviſſe, teſtis quoque Frideric. Loſſius lib. 3. obſerv. medic. 54. Ut adeo benè Bartholinus l. c. ſcripſerit: *Rectè Natura muliebri ſexui providit, ut tot aliis malis damnata femina, in calculo excludendo benignâ viarum amplitudine ſublevetur. Solâ ferè hac prærogativâ ſexus infelicitatem ſolatur.* Cùm econtra rariſſimè viri atroci illo ab inteſtino hoſte liberentur, niſi crudeli ſectione vitæ ſe periculo expoſuerint.

OBSERVATIO CX.

Calculus per abſceſſum circa umbilicum prodiens, & ex cubito.

ANno Chr. 1627. conqueſtus eſt Vir quidam nobilis de difficultate ſpirandi, per multum temporis moleſtiam quandam potiùs, quàm dolorem, ſupra umbilicum ſentiens, quæ, cùm alvi retrimenta deponere niteretur, magis exacerbabatur, alioquin cætera ſe benè habebant, niſi quòd à triennio, & quod excurrerat, per umbilicum interdum materia purulenta, fœtida, absq; dolore omni promanaverit. Medici, qui tunc temporis curæ ejus præerant, conjecturis quibusdam inducti, virus aliquod gallicum ſubeſſe ſuſpicabantur, inſtitueba-

tueba-

tuebatur idcirco, & repetebatur cura morbo huic conveniens, ſed nullo ſucceſſu. Gregorius Queccius, Phyſicus Noribergenſis demum in conſilium vocatus, abſceſſum aliquem in abdomine latere ratus, quæ priùs ſordes abſtergerent, parteſq; ab iis inquinatas mundarent, exhibuit, nec non evacuantia per epicraſin, annuentibus etiam viribus cæteriſq; indicantibus, venæ inſtituta fuerat ſectio. Hiſce machinationibus, cùm commeatus augendo malo intercluſus putaretur, Natura triennalem inquilinum, (de quo nemo, ne per ſomnium cogitaverat unquam,) cujus pertæſa erat, collectis undique viribus, migrare tandem, & ſtationem ſuam deſerere coëgit. Calculus erat ovi columbini magnitudine, pondere ferè unciæ unius; calculo ejecto, evanuerunt ſimul omnia ſymptomata. Ex ſchedis D. Gregor. Queccii.

A. 1654. *D. H. à P. B. S. poſt acerbiſſimos dolores, cùm priùs per exulceratam cutem in cubito brachii dextri, propè oſſis Ulnæ dicti proceſſum recurvum, lapilli magnitudine diverſi ad ſex drachmas ponderis civilis univerſi ponderoſi exciderant, lapis demum calcarius oblongus, craſſus, mirè & variè concretus, colore gilvo, pondere quinque ſcrupulorum & trium granorum ſubſecutus eſt, cujus miram figuram æri inciſam, ex communicatione Nobiliſs. D. D. Joh. Georg. Volckameri hic apponere placuit.*

SCHOLION SCHRöCKII.

ABſceſſus ut varia ſæpe, pro humoris eoſdem generantis vel adfluentis natura atque diverſitate, in ſe recondere ſolent corpora: ita calculoſam in eis generari materiam, jamdudum Galeno quoque cognitum fuit, qui lib. 2. de arte cur. ad Glauc. cap. 7. hunc in modum ſcribit: *Quocunq; modo fiat abſceſſus, id ſpatium, quod abſcedentes interjacet partes, humiditatibus, quæ ipſum faciunt, repletur: quæ ubi aliquando perduraverint, multiformes habent alterationes. Nam & lapidibus, & arenis, & teſtis, & lignis, atque carbonibus, & limo, & ſordiciei balnei, feci, & amurcæ, & multis aliis talibus ſimilia in abſceſſibus corpora contineri ſæpenumero inveni-*

veniuntur. Id quod exemplis variis Viri Excellentiſſimi, D. I. G. Greiſelius Ann. I. Ephem. Cur. obſ. 66. & beatus Sachſius in ſchol. D. Godofred. Tileſius obſ. 165. D. Joh. Jæniſius Ann. V. obſ. 189. D. Thom. Bartholinus cent. 5. hiſt. anatom. 91. D. Olaus Wormius lib. 1. Muſæi ſui, ſect. 2. cap. 11. nec non Marcell. Donatus lib. 4. hiſt. med. mirab. cap. 30. comprobarunt. Scilicet contentam in ſinu iſto præter naturam efformato materiam, ſi diutius in eo reſtagnet & exſiccetur, in corpus quaſi gypſeum transire tandem poſſe, verò eſt ſimillimum, inprimis ſi ſanies vel ichor craſſæ admodum & glutinoſæ naturæ fuerint; quanquam nec vim gorgoneam omnino hîc excludendam, arbitrari fas ſit, præſertim in illis, ubi calculoſa iſta progenies propiùs ad lapideam naturam, conſiſtentiâ & craſſitie ſuâ acceſſerit; quæ ſanè non tantùm in ipſo jam facto abſceſſu vim ſuam in contentum humorem exſerere, ſed & ipſum naturale ſerum in hac illave corporis parte naturaliter circumfluens coagulare, inq; ſaxeam ſoliditatem ut rigeſcat, efficere poteſt, ita ut calculus modò poſt factum jam abſceſſum generetur, ſuâq; præſentiâ ſanationem impediat, modò ipſe, atterendo circumpoſitas molliores partes corporis, abſceſſum demum producat. Unde exemtis iſtis coagulatis excrementis, facilem conſolidationem ſubſequutam legimus. Quod conſiderans Tulpius lib. 4. obſerv. med. cap. 21. Chirurgos, quos inveterata ulcera fatigaverint, & qui in tumoribus duris operam luſerint, de latente calculo ſolicitos eſſe juſſerat.

OBSERV. CXI.

Ureterum obſtructio ſabuloſa lethalis.

I. *S. & C. M. ambo doloribus nephriticis perſæpe infeſtati fuerant, usq; illis utriusq; lateris ureter ſabulo multo oppletus disrumperetur, veſicâ penitus vacuâ & corrugatâ, ſerumq; vel u-*

rina in ventris cavitatem irruerat, inde ventris tumor, ſingultus continuus, viſcerum ſideratio, febris, motus convulſivi exorti, nonoque die mortem denique accelerarunt. Sub praxi propr.

SCHOLION SCHRÖCKII.

MAgnam hîc ureterum diſtentionem, niſi eosdem unà arenularum acutiores anguli, & urinæ acrimonia attriverint atque exulceraverint, fuiſſe neceſſe eſt, cùm ab eadem diſrumpi eos contigerit; utpote qui aliàs absque hac inſigni continui ſolutione, in amplam ſatis molem extendi à tranſeunte calculo, vel reſtagnante urina, obſervantur, adeo ut pollicem non rarò admittere eosdem deprehenderit Franciſc. de le Boë Sylvius lib. 1. Prax. med. cap. 56. §. 3. qui etiam calculum ovi columbini molem penè æquantem in ureteris medio ſe inveniſſe, §. 4. teſtatur; quod & ante ipſum notavit Dominic. Panarolus pentec. 4. obſ. 31. dũ bis in urinæ ſuppreſſione demortuis ureteres à tranſeunte calculo dilatatos obſervavit, ut digiti circumferentiam ſuperarent. Non minùs Hieron. Fabricius ab Aquapendente ureteres maximopere extenſos vidit, ita ut pollicis craſſitiem longè ſuperarent, quod refert tract. de chirurg. operat. cap. de calculi extract. Et Johann. Fernelius lib. 6. patholog. cap. 12. in iis, qui jam pridem nephriticis doloribus erant adſueti, usque adeo dilatatum canalem hunc aliquando comperiſſe ſe, ſcribit, ut in eum major digitus immitti potuerit; *per hunc*, addens, *mediocres calculi ſine moleſtia excidebant, qui olim non niſi ſummo cruciatu prodiiſſent: Qui verò nondum, aut certè rarò & leviter nephritico dolore tentati ſunt, minimo calculo diſtorquentur.* Exc. D. D. Segerus ureterem lapillis & aquâ obſeſſum ultra pollicem ampliatum invenit, ceu refertur in Ann. II. Miſcell. Germ. Curioſ. obſ. 23. imò Bartholinus lib. 1. Anatom. reform. cap. 19. in calculoſis diſſectis ſæpius vidiſſe ſe, cavitatem eorum duos digitos admittere, imò æqualem inteſtinis fieri. Naturaliter enim amplitudine quaſi cala-

calamum ſcriptorium æquant; *niſi*, ut Joh. Anton. Lindanus Medic. phyſiol. cap. 5. art. 10. §. 163. loquitur, ***calculorum parturitudinibus ſint dilatati. Hoc enim beneficii habent à natura, ut transmiſſo calculo, nunquam poſtea contrahantur ad priorem anguſtiam.*** Ubi etiam calculum à ſe conſpectum perhibet, nuce myriſticâ majorem, qui viâ iſtâ in veſicam pervaſerit. Quid verò ſit, quod calculo tranſitum ad veſicam in uretere ſiſtat, Joh. Bapt. Helmontius in ſuo tract. de lithiaſi explicare nititur, non quandam naturalem ejusdem in progreſſu anguſtiam admittens, cùm æqualis ubique ſit amplitudinis, ſed ex doloris atrocitate ſpaſmum vel criſpaturam, ut loquitur, canalis illius exortam, obicem ponere, adeoque calculorum propulſionem remediis contracturam iſtam demulcentibus procurandam, judicans. Quo ipſo adſenſum utique meretur Helmontius, cùm & calculorum ſummè dolorifico de tranſitu plurimi ægroti graviſſimè conquerentes multoties ſe ſiſtant, & membranosâ nervis ſimillimâ, atque à plexu nervorum ſexti paris coſtalium, nec non à lumbis prodeuntibus nervis inſtructâ gaudeant ſubſtantiâ, quæ cùm non poſſit non eſſe ſenſûs exquiſitiſſimi, facilè à moleſto impingente corpore, ſive diſtendente tantùm, ſive unà aſperioribus angulis lancinante, irritari, inque convulſiones & contracturas concitari poterit. Quanquam non ſolam ſpaſmodicam illam coarctationem locum ſemper habere, non minùs concedi debeat, cùm & inæqualis atque aculeata calculorum quorundam figura tranſitum difficilem reddere queat; cui etiam tortuoſus ureterum ſitus momenti aliquid addere videtur; nec ſilentio prætereundum, quod obſervat. anatom. 67. adnotavit Cl. Kerckringius, ſæpe nimirum lapillos minuſculos parietibus meatuum iſtorum urinariorum adhærentes à ſe inventos eſſe, qui viam transeuntibus aliis occludere potuerint.

OBSERVATIO CXII.

Calculus in uretere dextro, & lapilli in veſica fellis.

Anno 1627. cadavere D. I. I. P. diſſecto, in veſica urinaria quatuor calculi pondere unciæ unius & ſemiſſis inventi fuerunt, itemq́ in rene dextro ad ureteris orificium unus pondere drachmæ dimidiæ; in veſicula quoque fellea continebantur lapilli ſeptendecim. Ex ſched. D. Greg. Queccii.

SCHOLION HELLWIGIANUM.

HIſtoriolam hanc è ſchedis Gregorii Queccii, Medici quondam Norimbergenſis percelebris, & affinis mei, deſcripſi; optarem certè, fuſiorem ut dediſſet. Cùm autem hic in ſchedis iisdem refert, ſe ſextiduo ante obitum duos alios calculos avellanæ magnitudine, medicamentis propuliſſe, conjecto, ægrum dolore nephritico ſimul inſigni, & iſchuriâ quoque infeſtatum fuiſſe, ob calculum ad ureteris orificium morantem, ſicque viribus exhauſtum, accedente ſimul obſtructione veſiculæ felleæ lapillis adimpletæ, quæ utplurimum lethalis, mortem oppetiiſſe.

ADDITAMENTUM SCHRÖCKII.

QUanquam felleæ veſicæ calculi letales quandoque inducant hydropes, aliasque adfectiones; quandoque tamen absque mortis diſcrimine generationem eorum fieri, probabile eſt; cùm eosdem interdum per alvum excerni, adeoque naturam ab ingratis iſtis hoſpitibus ſe liberare, præſtantiſſimorum Medicorum conjectura exſiſtat. Hinc Excellent. D. D. Joh. Ferdinand. Hertodius, cùm in Anno IV. Miſcell. German. Curioſ. obſerv. 99. graviſſimum Principis cujusdam Celſiſſ. icterum deſcripſiſſet, eumque à deturbatis per ſeceſſum ultra centum grandini-

dinibus flavis, inſtar nucis avellanæ, optimè ſe habuiſſe, addidiſſet, ubinam latuerint? quærens, minores veſicæ felleæ adjudicaverat. Cui non abſimilem hiſtoriam diffuſiùs à Thom. Mermanno delineatam, in ejus Conſultat. lib. 4. conſult. 10. exhibuerat D. Thiermairius; & Nobil. D. Frider. Hoffmannus pag. 463. Clav. pharmaceut. Schröd. ab uſu radicis curcumæ quendam, acutiſſimis dextri hypochondrii doloribus, usque etiam ad Medicorum deſperationem, adflictum, aliquot ſubluteo colore ſplendentes lapillos per ſeceſſum ejeciſſe, ſalvumq; evaſiſſe, memorat, quos ſanè ex fellis folliculo ſeceſſiſſe, non minùs determinat. Sic & Cl. Paulus Barbette lib. 4. Anatom. pract. cap. 2. §. 6. de veſica fellea agens, calculos in ea nonnunquam colligi, tradit, addito Scoti cujusdam exemplo, qui quatuor ſeptimanarum ſpatio ducentos pluresve calculos per alvum excreverat, Conditi tamen alicujus cholagogi uſu curatus.

OBSERVATIO CXIII.

Calculi in utroque rene inventi.

A*Nno 1627. D. I. E. à W. A. O. T. cadavere aperto, in dextro rene multi calculi reperti fuerunt, quorum maximus ponderavit unciam unam & inſuper grana viginti quatuor; in rene ſiniſtro etiam latuit calculus pondere unciæ ſemiſſis, minùs granis triginta quinque.* Ex ſchedis D. Gregor. Queccii.

SCHOLION SCHRÖCKII.

CAlculos in utroque rene inveniri, nihil ſingulare eſſe videtur; ſi tamen magni exſiſtant, majorem admirationem pariunt. Quos inter inprimis notare lubet, quos Illuſtr. D. Anton. de Pozzis Anno IV. Ephem. Germ. Cur. obſerv. 29. & 32. deſcripſerat, pondere & mole inſignes, qui nullo tamen dolore, urinæ ſuppreſſione, aliove aliquo ſigno, ſui præſentiam in vivo

corpore declaraverat. Magni etiam & diverſis coloribus imbuti, imò ex parte albicantes & marmorei fuerunt calculi, quos in Illuſtriſſimo Domino repertos Exc. D. Thiermairius recenſet in novo Conſilior. Opere lib. 3. conſultat. 2. [quod maxima ex parte jam elaboratum ſequenti anno typis Auguſtanis in lucem, quâ eſt digniſſimum, emiſſurus fuiſſet, niſi fata eundem nuper bono publico eripuiſſent,] mihi quoque ab Illuſtriſſima Vidua, paucis poſt obitum diebus, dum Monachium, cum Parente meo, valetudinis Ejus curandæ causâ vocato, abieram, monſtratos; qui quidem dolores quoſdam nephriticos per intervalla excitaverant, urinæ tamen liberum fluxum non impedierant. In quibus certè doloris abſentia, convulſivas membranarum pelvis renalis ac ureterum contractiones haud adfuiſſe, ſerumque ideo ſenſim ad latera defluere potuiſſe, credibile reddit. Ubi non poſſum non Viri cujusdam Clar. ſententiæ meminiſſe, qui à calculo in ureteribus hærente vix impediri unquam, vel diu ſaltem, urinæ transitum, putabat, cùm ad latera liber urinæ deſcenſus concedatur; idque ex hoc fundamento, quòd aliquando in ureteris medio calculum ovi columbini molem penè æquantem, nullâ tamen præſente urinâ, invenerit. Id quod equidem ita ſe quandoque habere, haud negaverim, præcipuè ubi calculus inæqualior, omni ex parte ureteris circumpoſiti latera minimè attingit, adeoque humori aliqualem transitum præbet, nec non ubi Helmontiana illa ſpaſmodica contractio abfuerit: Hoc tamen jam notare liceat, iſtam urinarii ſeri abſentiam, ejusdem ad latera factum decurſum non neceſſariò inferre, cùm aliâ etiam ex cauſa abeſſe potuerit, nempe ex impedita ſeri à ſanguine in renibus ſecretione; id quod ex Anatome Nob. Matronæ colligo, quæ A. 1674. poſtquam 16. dierum graviſſimâ iſchuriâ laborâſſet, tandem defuncta, nec in veſica, nec in renibus lotii quidquam exhibuit, ureteris verò utriusq; principio à calculis grandiuſculis obſtructo.

OBSER-

OBSERVATIO CXIV.

Calculus è muliere gravida proſiliens.

A*Nno Chr. 1669. uxor G. L. gravida, ultimis impregnationis menſibus, ſæpius alvi conſtipatione, dyſuriâ, ac doloribus nephriticis acerbiſſimis affligebatur, multisq; aliorum remediis defatigata, demum conciliante me, poſt clyſma emolliens & carminativum, pulveris antinephritici mei conſueti doſin certam bis in die aſſumſit, & intra triduum calculus ſatis grandis ſub figura canonis angularis incurvati, quali fabri murarii, vel lignarii uti ſolent, magnitudine dimidii digiti auricularis, proſiliit, cum urinâ primùm craſsâ, & iteratâ vice copiosâ atque ſaburrâ multâ permiſtâ, paucisque poſt diebus, ſine omni ferè dolore, aut ulteriori incommodo feliciſſimè parturiit.* Sub praxi propr.

SCHOLION SCHRöCKII.

Cùm proſiliiſſe dicatur calculus hic, meritò alterius exempli recentiſſimi, ex fida relatione mihi communicati, facienda eſt mentio: dum femina quædam, 52. annorum, Sara Oſſungerin, ex Beyerberg, loco quatuor milliaribus ab Onoldo ſito, plurimis jam retrò annis ventre tumida, & absque levamine plurimorum remediorum, thermarum & acidularum uſum experta, proximè demum elapſo tempore verno, ad obortam noviter in vicinia aquarum medicatarum Weihenzellenſium ſcaturiginem delata, ab earum potu maximos & vix tolerabiles in ventris dolores inciderat, quos tandem calculus ovalis figuræ, & craſſitie ac magnitudine ferè nucem vomicam adæquans, pondere drachmarum duarum cum totidem granis, magno cum impetu, ac ſi è manubaliſta fuiſſet exploſus, proſiliens profligavit, atque ventre detumeſcente, priſtinæ ægram ſanitati reſtituit. In memoriam etiam hîc revoco hiſtoriam, quam Nob. D. D. Joh. Theodor. Schenckius Exerc. anatom. pag. 554. & ſeqq. recenſuit,

ſuit, mulieris nempe, quæ poſt atroces perpeſſos dolores, calculos duos cum fragore exploſerat; quos ex veſica, magno ſanè naturæ conatu, ejectos fuiſſe, notatæ ibi circumſtantiæ perſuadere volunt. Nec diſſimilis admodum eſt hiſtoria, quam obſervatio 7. Anni VI. Ephem. Cur. legendam exhibuit. Quamvis ipſo in utero calculos quoque generari, plures Medicorum obſervationes teſtentur; quos inter facilè palmam (ſi quæ inviſis iſtis debetur tortoribus,) ille merebitur, quem Bartholinus cent. 4. hiſtor. anatom. 64. quatuor librarum pondere, colore fuſco, & multis eminentiis præditum deſcribit. Hoſce ad uterinos calculos quidam illum etiam referunt, quem Hippocrates lib. 5. Epidem. â muliere ſexagenaria, Dyſeridis ancilla, prodiiſſe, ſcripſit, quæ juvencula, cùm venere uteretur, doloribus vehementer adflicta fuerat; quem fortè in ipſo uteri collo, intra tunicam internam rugoſam latitâſſe, dicere licebit, ut ideo ab adpulſu membri genitalis virilis, fortiùs in circumpoſitas partes membranoſas adactus, aſperitate ſuâ eaſdem pungens, dolores iſtos intulerit; quales etiam calculos in uteri vagina à ſe inventos Regnerus Graafius tract. de mulier. organ. generat. inſerv. cap. 7. memorat.

OBSERV. CXV.

Poſt iſchuriam novendialem calculorum ſicca ejectio.

ANno Chr. 1650. *Vidua quædam Ratisbonenſis, doloribus nephriticis & iſchuriâ usque ad diem nonum, ſimul unà ſymptomatibus gravibus laborans, tandem poſt aſſumtam emulſionem terebinthinæ, primùm magno cum conatu, ac ſubſequente ingenti fragore ſeu crepitu, plures quàm viginti calculos piſorum & lentium magnitudine, planè ſiccos, unicâ vice ſaltem, nullo concomitante mucore vel urinâ, enixa eſt, eâdemq; die poſtmodum urinam craſſam, turbi-*

turbidam, & alterâ die pellucidam, puram, per plures vices reddidit, cæteraq́ ſymptomata indies evanuerunt. Sub praxi propr,

SCHOLION HELLWIGIANUM.

MUlti temerè in doloribus nephriticis naturam diureticis fatigant, & calculos exeuntes ſeroſo & mucoſo ſuo vehiculo, cum ægrorum vitæ diſpendio, defraudant. Mulier hæc quadragenaria & ultra, corpore obeſo, crudis alimentis utplurimum fruens, & irregulariter vivens, indeq́; malis ſuccis ſcatens, flatulentis & nephriticis doloribus ſæpius infeſtabatur, & cùm in motu calculi ac doloribus acerbis, accedente iſchuriâ novendiali, ex Medici prioris præſcriptione, in principio diureticorum fortiorum uſui nimis inſtitiſſet, calculi ſero mucoſo, tanquam vehiculo ſuo genuino, diſpoliati in ureteribus commorantes, anſamque tam laborioſæ iſchuriæ præbentes, ſeſe demum lentè in veſica acervârunt. Natura autem conſervationis ſuæ ſolicita denique medicamento alio, à me, priori Medico tunc ægrotanti ſubſtituto, ritè ſubminiſtrato, adjuta eò tutiùs atque faciliùs, quò & veſicæ cervix in fœminis, quàm in viris, brevior, rectior, ac latior eſt, unico niſu & flatulento crepitu tot calculos à viſcoſo vel mucoſo humore, tunc ſimul in eadem veſica ſubſiſtente, lubricos redditos protruſit, ſubſequente mox hunc naturæ niſum per vices mucore craſſo, ſubalbo, priusquam urina lucida & pura promanaret. Exin, repeto, perſpiciendum, quàm inconſultò agunt, qui nimio diureticorum fortium uſu calculos propellere annituntur; de quo lubeat legere diſquiſitionem elegantiſſimam Matthiæ Unzeri lib. 1. de nephrit. cap. 17.

ADDITAMENTUM SCHRÖCKII.

QUamvis nimium & inconſideratum diureticorum in nephriticis doloribus uſum nemo prudens, varias ob cauſas, facilè adprobaverit; utrùm verò craſſioris illius & mucoſi excrementi è corpore eliminatio culpari ſimpliciter mereatur, non i-

niquè

niquè dubitatur; cùm hac ratione cauſa materialis, quæ facilè accedente ſpiritu lapidifico, in calculoſam duritiem concreſcit, tollatur, adeoque non evacuata majori præſentis jam antea calculi incremento anſam præbeat. Licet etenim ſerum iſtud craſſum & mucoſum ad lapidum generationem neceſſariò ſemper haud requiri, tum alia, tum lapidea illa cryptarum ex limpidiſſima aqua, concrementa, abunde docere queant, quandoque tamen idem in ſaxum obrigeſcere, clariſſimè, ex Jul. Cæs. Scaligeri relatione pateſcit, dum Exercit. 108. de ſubtilit. num. 30. hunc in modum loquitur: *Quidam eminxit vitreum, ſanè ex illa nobili Praxagoræ pituita. Dum mingeretur, albuminis mollitie, emiſſum vitri duritie ac ſplendore. Senatoris filius ejecit pultis modo multos ac maximos, qui aëris contactu poſtea in gypſeam tum ſpeciem tum firmitatem concrevêre.* Quod etiam recentior Nob. D. Joh. Henr. Brechtfeldii obſervatio teſtatur, quæ Volum. 3. Act. med. Hafn. obſ. 70. proſtat. ubi puella bimula materiam albam mucilaginoſam emiſiſſe cum urina, ſcribitur, quæ ſtatim ab aëre externo in ſubflavum oblongum riguerit, duritie quemvis alium calculum æquantem; à qua ſanè muccagine albedinem & duritiem calculorum derivare libuit Helmontio tract. Aliment. tartar. inſont. §. 28. eandemq; veræ calculi materiæ junctam, à ſemine Duelech petreſcere, cap. 2. de Lithias. cap. 3. conceſſit.

OBSERV. CXVI.

Nephritici dolores cum iſchuria novendiali in gravida.

Uxor cujusdam Senatoris Ratisbonenſis Nob. quæ ſæpius ante & ſub prægnationis tempore dyſuriâ & doloribus nephriticis non leviter vexata fuerat, A. 1672. iterum gravida circa ultimos geſtationis menſes immenſis nephritidis doloribus infeſtata, ac

ſimul

ſimul novendiali iſchuriâ laboraverat, concomitantibus capitis gravedine, vigiliis, ciborum faſtidio, ſingultu, & dolore ſtomachi, nec non tumore ventris flatulento notabili, ſed remediis penè omnibus incaſſum adhibitis, ob metum abortus ac mortis cæteri denique Medici unà cum ordinario in conſilium vocati, unanimiter ſtatuerant, emulſionem terebinthinæ præſcribendam eſſe, quam cùm ægra ob graveolentiam abhorreret, Pilulas terebinthinæ cum morbo huic appropriatis præparatas, per vices obtulerunt, à quibus mox ſublevata, initiò urinam copioſam, craſſam, & leviter tinctam per vices reddidit, ac calculis duobus non admodum magnis ſubſecutis, è mortis faucibus erepta, poſt paucas ſeptimanas fœtum vivum & ſanum feliciter enixa eſt. Ex obſerv. propr.

SCHOLION SCHRÖCKII.

FEminas calculo laborantes, ſi gravidæ reddantur, facillimè mori, teſtatur Dominic. Panarolus pentec. 3. obſerv. med. 8. cauſamq; adſignat ureteris ab uteri craſſitie majori compreſſionem, unde calculus transire illum nequeat; ex quo dolor maximus excitetur, renesque cum ureteribus tumefacti transitum urinæ denegent, quæ remeando maſſam ſanguineam primò corrumpat & poſtmodum interficiat. Quæ quidem permeandi difficultas circa ultimos geſtationis menſes, in majorem ſcilicet amplitudinem tum extenſo utero, non neganda; tantam tamen impendere poſſe ureterum compreſſionem, quæ calculo cuivis viam omnino ſemper præcludat, minimè videtur adſerendum, inprimis cùm ille à naturali ſubſequentis urinæ adfluxu ulteriùs propelli potenter queat, atque exempla cum levamine excretorum, poſt perpeſſos dolores nephriticos, calculorum idem evincant; quæ inter hoc quoque Auctoris noſtri habetur, præcipuè ſi ab uſu diureticorum largior ſeri adfluxus procuretur; quo ſanè nomine, ſi nullo alio, diuretica prægnantibus haud eſſe nociva, dici poſſet. Quamvis enim à nonnullis periculoſus remedii hu-

jus in gravidis uſus determinetur, rectiùs tamen ab aliis tutus ſatis adſtruitur; quos inter inprimis Cl. Thiermairius lib. 1. Conſil. medic. cap. 12. in ſchol. terebinthinam in nephriticis, ipſis etiam gravidis, adæquatum eſſe remedium, pronunciat, imò potentiſſima diuretica, ipſasq; cantharides feliciter in gravida adhibitas memorat Tulpius lib. 4. obſerv. med. cap. 26. Licet autem quivis inconſideratus eorum uſus, vel potiùs abuſus, tum abortum faciliùs provocare, tum variorum incommodorum auctor eſſe queat, prudentia tamen Medici, quæ in aliis etiam quibusvis corporibus ſemper hîc perquam neceſſaria eſt, illa omnia evitare novit. Cæterùm gravidis, ſi nephriticis doloribus corripiantur, majus quàm aliis feminis impendere periculum, non eſt improbabile; cùm præter cauſam ſuperiùs adſignatam, dolorum acerbitas ſanguinis præternaturalem commotionem inducat, viresq; admodum dejiciat, unde non abortus tantùm perniciosus, ſed & totalis virium, in utero gerentibus utplurimum imbecillium, reſolutio faciliùs inſequi poterit.

OBSERV. CXVII.

Iſchuria usque ad diem quintum, ſine dolore immorans, temerè pro lethali habita.

D. *P. M. conſtitutionis ſcorbuticæ, aliquando ad diem usque quintum iſchuriâ laboranti, nullo dolore, nullo virium lapſu, nec ſymptomate alio gravi tunc præſente, Medicus quidam audacter nimis mortem momentaneam annuntiaverat, ſed iſte imperterritus, quum ego alteri apertè contradicebam, eodem die ex uſu ſpiritus terebinthinæ, brevi horarum poſt ſpacio, urinam primùm craſſam, lividam, ac copioſam eminxit, absque tamen ſabulo,*

qua-

qualem aliàs ſub finem paroxyſmorum arthritidis vagæ reddere ſolitus fuerat, ſicq́ præſagii periculum evitavit. Sub praxi propr.

SCHOLION SCHRÖCKII.

ISchuriam, ſi intra ſeptimum diem non finiatur, letalem pronunciant Medicorum non pauci; quod equidem utplurimum ita accidere, obſervationes comprobant; idque ob viſcerum à regurgitante ſero oppreſſionem, febris accenſionem, & virium ſuffocationem fieri, creditur; cujus regurgitationis rationem expoſuit Nobil. D. D. Joh. Dan. Major in Hiſt. anatom. calculor. Sperling. Sæpe tamen incertum hoc & fallax, niſi evidentiora alia inſtantis mortis concurrant ſigna, eſſe prognoſticum, atq; morbum iſtum ultra prædictum terminum, ad 9. 11. vel etiam 20. usque diem extendi, ægrosque nihilominus evadere, nonminùs exemplis docemur. Quod præ cæteris fuſiùs demonſtravit Gaſp. à Rejes Elyſ. jucund. quæſtion. camp. quæſt. 87. ſuâque id, & aliorum: Schenckii, Foreſti, Tornamiræ, Horſtii, Arnoldi Villanovani, Fonſecæ, Jachini, Hildani, Zacuti, Piſonis, experientiâ confirmavit. Alia quoque ſimilia tum alibi, tum in Miſcellan. German. Curioſ. Ann. II. obſerv. 30. 176. An. III. obſ. 39. Ann. V. obſ. 159. & Ann. VI. obſ. 112. habentur. Quamvis autem hæc urinæ ſuppreſſio nonnunquam, poſt ſeptimum diem ceſſans, ſalutem largiatur; ſemper tamen illud non fieri, & quosdam nihilominus mori, experimur; cujus ſpecimen ſuggerit noſter Welſch. hecatoſt. 2. obſerv. med. phyſ. 10. dum iſchuriam undecim dierum, à rejecto calculo, quidem ſublatam, confertim tamen mirâ copiâ urina cùm proflueret, viribus ſubitò proſtratis, altero die mortem ſubſecutam fuiſſe, refert, haud diſpari ratione ab aqua hydropicorum, aut pure in abſceſſibus, videlicet magnis, & empyemate; adeoque addendum id judicat aphor. 27. Hippocr. ſect. 6. quem ſupra in Schol. Obſerv. LXXXV. adduxeram, ubi nempe à pure empyicorum aut aqua hydropicorum

corum univerſim effluentibus mortem omnino ſubſequi, traditur. Nec contemnenda eſt ratio, quam Panarolus pentec. 5. obſerv. 17. adfert, dum nempe lotium in maſſam ſanguineam remeans, eandem corrumpendo, & partes vitales obruendo, occidere adſerens, ſubjungit: *Et etiamſi poſtea mingant, tamen febre ſuperveniente, ex dicta corruptione ægroti è vita diſcedere coguntur.* Et Tulpius lib. 2. obſerv. medic. cap. 45. poſt diem undecimum neminem à ſe viſum ſcribit, qui periculoſum hoc Syrtium æquor enavigaverit, cùm diuturnior illa mora urinam adeo acrem & veſicam ita effœtam reddiderit, ut ne præſtantiſſima quidem medicamenta poſſint ab interitu vindicare, licet dolor abſceſſerit, lotiumque iterum effluxerit; quod quidem ita ſe quandoq; habere, nemo negare poteſt, quandoque tamen fallere, fide digna exempla evincunt.

OBSERVATIO CXVIII.

Calculus veſicæ, præter Medicorum cognitionem, per octennium immorans.

ILL. B. D. S. ab E. cùm ultra octo annos, dolores vehementer lancinantes circa pubem, non ſine gravis quaſi ponderis ſenſu, paſſus, & ſæpius de irrito conatu mingendi conqueſtus erat, Medicorum quorundam conſulta, ut qui forſan ex non benè perceptis, ac conſideratis querelis, iſchuriæ flatulentæ modò curationi inſtiterant, auxilium illi & ſolatium fruſtrarunt, usq; dum Benedicto Widemann, lithotomo Auguſtano celebri, catheterem ad veſicam usq; immittente, & errorem Medicorum demonſtrante, certam de calculi propè veſicæ orificium hærentis notitiam haberet. Proinde meis conſiliis æger, etiamſi non ad eliminandum hoſtem, attamen ad leniendos ſaltem dolores, faci-

facilitandam mictionem, atque calculi majorem augmentationem impediendam, utebatur, ſicq́ ſexennium inſuper placidè ſatis ætatem ſuam protendebat, præter quòd opus illi fuerit, interdum ante mictionem, calculum, cathetere argenteo immiſſo, ob orificio meatus urinarii amovere & retrudere. Septuagenarius deniq́ apoplecticus diem ſuum obiit, exciſo poſt mortem calculo rotundo, oblongo, nucis penè juglandis magnitudine, & propè orificium meatus urinarii firmiter inhærente. Sub praxi propr.

SCHOLION HELLWIGIANUM.

QUòd ſecundùm vulgare Practicorum effatum ſenes præ infantibus privilegium quoddam exemtionis de morboſo veſicæ calculo habeant, ac rariùs afficiantur, nemo me perſuadebit, & certè in praxi mea multoties utrosque, ſenes nempe & infantes eodem morbo afflictos reperi. Etenim cùm è doctiorum Medicorum mente, calculi veſicalis cauſa in infantibus ſit urina craſſa ſpiritu ſalino prægnans, à chyloſi humoris cruditate proveniens, æquè & eadem cauſa tam facilè in ſenibus erit, qui devergente ætate, calore viſcerum coctioni dedicatorum nativo in dies depauperati crudos & craſſos humores generant, ac turbidas urinas in veſica, debilitatâ ob ſenium facultate expultrice, colligunt, inde & plerumque dyſuriâ infeſtari ſolent.

ADDITAMENTUM SCHRÖCKII.

CAlculi ſigna nonnunquam etiam exercitatiſſimos fallere ſolent; ita ut abſens adeſſe, & præſens abeſſe videatur, idq́; non Medicis tantùm, ex concomitantibus ſymptomatibus judicium ferentibus, accidere ſolet, ſed & Lithotomis infidâ catheteris exploratione contentis ſæpius imponit; cujus ſpecimen occurrit apud Thom. Bartholinum cent. 4. hiſt. anat. 28. & Magnus ille Johann. Crato in Conſiliis à Laur. Scholzio collect. cons. 315. *nec ipſi*, ait, *calculi in veſica perpetuò ſunt infeſti: imò cum pituitoſo humore veſtiuntur, ſæpe ante vitæ exitum vix deprehen-*

hendantur. Quanquam ubi plurima calculi præſentiam indicantia, & paſſim ab Auctoribus notata ſigna occurrunt, Medicus minùs de inviſo hoſpite illo dubitare queat. Omnium autem imperitiſſimi, ſi non nequiſſimi ſunt, qui lithiaſis loco, varios alios comminiſcuntur morbos, & inprimis venereæ luis ſuſpicione ægrorum famam indoctè vel malitiosè lædere audent; quale exemplum feminæ calculoſæ pro venerea miſerè tractatæ, expulſo autem, digitorum adminiculo, calculo, curatæ habet Job. Mekeranus obſervat. chirurg. cap. 53. Cujus etiam ſpecimen præteritis annis hac in Urbe obſervavimus bonæ indolis in Juvene, ab imperito verò hac in re Chirurgo, pro venereo, non ſine aliqua famæ macula, aliquandiu peſſimè tractato, usque dum tandem immanibus confectus doloribus, duos inſignes calculos in veſica exhibuiſſet; licet ab ipſo etiam Lithotomo, cæterùm non inexperto, contra Medici doctioris adſertum, à calculi labe immunis fuerit proclamatus.

OBSERV. CXIX.

Calculi veſicæ exſectio.

Puer ſeptennis, per quatuor annos & ultra calculo veſicæ laborans, vix unquam absq; inſigni dolore urinam reddere potuit, niſi corpore ſupino decumbens, ac in altum curvatis & contractis cruribus, tunc copioſam ſatis, & in altum proſilientem reddebat. A. 1665. curæ & ſectioni Lithotomi cujusdam commiſſus puer, impavidè & animosè Lithotomi operationem ſuſtinuit, imò calculum, hoſpitem ſibi tam infeſtum ac exemtum, ipſis oculis contemplari geſtivit, & manibus tractavit; ſed qui ſub cura alioquin ſatis morigerus fuit, & benè ſe habuit, en! tertiâ curationis hebdomate, ſuperveniente calore febrili cum parvo delirio, præter ſpem moritur. Calculus exciſus fuerat triangularis ad cylindri penès formam recedens, in inferiori parte

te quodammodo craſſior, atq; in unius lateris medio perpaululum incurvatus, ponderis ſemuncialis. Sub praxi propr.

SCHOLION HELLWIGIANUM.

PUeri hujus affectum plures pro ſtranguria flatulenta agnoverant, usque dum accerſitus ego, ex dolore acerbo, tumore circa pubem ſubduro, motu in veſica tremulo, ac urinæ ſtillicidio, calculum, & quidem magnum, in veſica adeſſe prænuntiavi, nec niſi ſectione curari dixi, cui Parentes ab initio aſſentiri nolebant. Demum ob toties ingruentes & ſeſe adaugeſcentes dolores miſerti pueri, DEO atque Lithotomo rem comiſerunt. Hic, purgato prius & præparato corpore, inciſionem aggreſſus, pyramidalis formæ plagam in interfœmineo, ſeu medio, inter ſcrotum & anum, ſecundùm longitudinem incidit, & calculum exemit, vulnere mox, adhibitis priùs ſanguinem ſiſtentibus ac balſamo vulnerario, ritè & convenienter deligato; verumtamen neſcio ex qua cauſa, num ex negligentia Lithotomi, vel ex errore diætetico pueri, in tertia curæ hebdomate, exoritur calor febrilis inſignis cum parvo delirio, & in plagæ ſuperiori & acuminata parte notatur gangræna, hinc triduo poſt puer moriebatur. Aperto cadavere ac inſpectâ veſicâ, hanc flaccidam prorſus, & ſabulo ac pure fœtido plenam inveni. Audivi etiam, Avum meum maternum, Conradum Mœrl, acerbiſſimos nephritidis dolores multoties ſenſiſſe, ſed ex perſuaſu aliorum per inciſionem Lithotomi alicujus Veneti famoſiſſimi, conceſſiſſe ſibi ex veſica eximi calculum oblongum, rotundum, magnitudine & figurá ovi gallinacei, præter quod in ſuperficie laterali paululùm planior fuerit; erat autem avus eo tempore ſeptuagenarius ætate & ultra. Enimvero omnibus tunc feliciter peractis, ac vulneris plagæ cicatrice inductâ, bimeſtri poſtea, cùm Avus iterum per quatuordecim ferè dies in Urbe deambulaſſet, febriculam initiò cum rigore ſentiens, & indies debilior, doloreque a-

cuto

cuto & ardente in veſica infeſtatus, cum dyſuria gravi, paucos intra dies vitam cum morte comutavit; aperto cadavere, in veſica ulcuſculum parvum conſpiciebatur, cum invadentis gangrænæ indicio. Hinc confidenter ſcribo, Hippocratem prudenter jurejurando diſcipulos ſuos obſtrinxiſſe, ne ipſi calculo laborantes ſecarent, ſed expertis hujus artis negotium hoc committerent; idque ex Franciſci Ranchini ſententia, ob cauſam duplicem: primò ut calumniam effugerent, ob imminens è veſicæ ſectione periculum, dum aphoriſmo 18. ſect. 6. Hippocrates docuerat, veſicæ vulnera lethalia eſſe; dein ut dignitatem medicam conſervarent, dum turpis & Medicorum manu indigna videtur operatio hæc. Ex quibus liquet, Hippocratis etiam temporibus operationes tales non de Medici honeſtate fuiſſe, ac operationes ejusmodi ſingulares, tanquam Medicorum manus ſubminiſtrantes extitiſſe. Quod enim ad Medicum ſpectat, ſufficit illi, ejusmodi corpora, quæ operationis iſtius indigent, convenienter per venæſectionem, purgationes, victumq; idoneum præparare, priùs verò ægrorum temperamentum, ætatem, vires explorare, ac de periculo præmonere. Chirurgi verò, vel Lithotomi erit, artis ſuæ benè exercitatum eſſe, dignoſcere num calculus liber, vagus, vel veſicæ adnatus, num absque evidenti periculo eximendus, tempus commodum eligere, in opportuno & tuto loco ſectionem inſtituere, ſcalpellum providè admovere, calculum, quâ potis erit, absque veſicæ laceratione totum, non truncatum eximere, reliquias tempeſtivè abſtergere, ac vulneris plagam dextrè curare. De quibus ſingulis Varandæus in tractatu de morbis renum & veſicæ cap. 1. breviter quidem, ſed nervosè ſcripſit.

ADDITAMENTUM SCHRÖCKII.

UT brevis ſim, Medico circa lithotomiam verſanti, non corpus tantùm per venæſectionem, purgationem, diætam &c. pro

pro exigentia præparare, & an dolorificæ ac periculoſæ iſti operationi par eſſe queat, temperamentum, ætatem, vires conſiderando, diſpicere, deque periculo præmonere incumbit; ſed & ipſi operationi præſens eſſe, neutiquam dedecere ipſum poteſt, non ut otioſum aliquem & inutilem ſpectatorem, ſed tum ut ſymptomatum ingruentium diſcrimini maturè obviam ire, tum etiam Lithotomum, ſi minùs dextrè operetur, tempeſtivè de errore admonere, ejusque emendationem urgere valeat; qualis etiam non minimus eſt quorundam Agyrtarum, qui hiſtrioniam ſuam in foro exercentes, magna cum temeritate, ut credulo popello eò majus deprædicatæ ſcientiæ ſuæ exhibeant ſpecimen, calculoſos in pegmate, aëre libero, imò ſæpe udo ac frigido, ſecare audent; cùm tamen aërem frigidum omnibus vulneribus eſſe inimicum, omnibus Chirurgis notum ſit, utpote qui calorem naturalem exſtinguere, ac ſanguinis in vulnerata parte liberum motum impedire, eundem incraſſare, ac conſequenter inflammationem, aut etiam gangrænam inducere valet. Unde & peritiores Chirurgiæ Scriptores lithotomiam in aëre tranquillo, & arte vel naturâ temperato inſtituendam eſſe, monere obſervamus; quare etiam Celſus opportuniſſimum curationi vulnerum tempus vernum judicaverat lib. 5. de re med. cap. 26. Et Exc. D. D. Joh. Joach. Bechero lib. 1. Phyſ. ſubterr. ſect. 5. c. 1. num. 29. aër noſtris in regionibus, groſſis & acribus atomis refertus, magnum vulneribus, niſi ab eo muniantur, incommodum adferre dicitur.

OBSER. CXX.

Calculus veſicæ prægrandis tutò & feliciter exemtus.

 Anno

A*Nno Chr.* 1652. *Civi cuidam Auguſtano, annorum ætatis quinquaginta duorum à Benedicto Widemanno, calculus rotundus, ovalis, pondere unciarum duarum per ſectionem tutò & feliciter è veſica exemtus fuit, absque ulla veſicæ læſione, hominequè poſthinc per plures annos multò commodè & pancraticè vivente.* Ex obſervat. propr.

SCHOLION HELLWIGIANUM.

UT cunque calculi veſicæ per inciſionem exemtio periculoſa ſit, attamen & præter periculi metum, ac tutò fieri poſſe, poſteriorum ſeculorum induſtria & experientia perbellè docuit, dummodo cautè & artificiosè operatio hæc perficiatur, ſimulac anni tempus, ægri temperamentum, ætas, vires, nec non calculi magnitudo & locus attentiori priùs animi acie expendantur. Et certè in ætate virili (licet veteres Medici, niſi æger novem annos attigiſſet, nec annos quatuordecim exceſſiſſet, ac tempore verno, operationem hanc concedere noluerint) & cùm calculus notabiliter fluctuare, nec veſicæ tunicis adnatus ſentitur, ſectio quòd feliciori ſucceſſu fiat, exempla multa habemus. De methodo autem eximendi calculum Ambroſ. Paræus, Hieron. Fabricius ab Aquapendente, Franciſc. Ruſſetus, Dan. Sennertus lib. 5. Inſtit. medic. part. 1. ſect. 2. cap. 13. &c. legantur.

ADDITAMENTUM SCHRÖCKII.

UNicum hoc de Cive illo Auguſtano, M. A. H. libet addere, eundem nempe à lithiaſi in poſterum immunem, ætatis annum ſeptuageſimum quintum attigiſſe. Poſtquam enim Ann. 1676. menſ. Februar. ciborum nauſeâ, pectoris compreſſione, diarrhœâ, pedum tumore hydropem minante, & involuntariâ quandoque fecum alvinarum excretione, cum urina crudâ & ſpicei coloris, laboraſſet, à Parente meo, Divinâ cooperante gratiâ, reſtitutus, ut non tantùm benè iterum adpeteret & concoqueret, ſed & vigore pedibus detumefactis reddito, prodeun-

di

di rurſus in publicum facultatem obtineret; attamen non diu poſt, ob diætam minimè laudabilem, prioribus malis recrudeſcentibus, & ſtranguriâ, vertigine, tandemq; lethargo accedentibus, 16. d. Julii ſupremum lucis diem clauſerat. Ipſam autem calculi magnitudinem & figuram, ex utraque parte conſpiciendam, quam vivus ipſe æri incidi curaverat, ſi renovatam huc adponerem, occaſione ſic ferente, non ingratum fore judicavi.

OBSERVATIO CXXI.

Calculus veſicæ rarâ magnitudine.

A*Nno Chr.* 1646. *in plurimùm Reverendi Theologi, M. Johannis Sauberti, quem dolores arthritici & nephritici acutiſſimè per plurimos annos ſæpiſſimè afflixerant, ætatis demum ſuæ anno quinquageſimo quinto demortui in veſica urinaria calculus triangularis incredibilis magnitudinis, angulis quidem obtuſis, & in medio parùm depreſſior ac planior, in latere utroque rotundior, cylindricæ figuræ penè ſimilis, ponderis civilis inſuper decem unciarum inventus.* Ex obſerv. propr.

SCHOLION HELLWIGIANUM.

NAturæ & educationi in generatione morborum multum certè tribuendum eſt, quarum deviationi ſi in pueritia non ritè & tempeſtivè occurrimus, priusquam habitum, & totius corporis malam diſpoſitionem inducunt, miræ Medicis & ægris tribulationes indè exſurgunt. Æger hic à cunabulis ſimpliciſſimo quidem victu, ſed admodum crudo, pro Parentum fortuna tenui, educatus, in adoleſcentia Studioſorum nobilium famulitio ac Muſarum ſtadio dicatus, utrisque pro ingenii ardore nimiùm intentus, itemque corporis decenti exercitio deſtitutus, ex mala & intempeſtiva concoctione cruditates in corpore accumulaverat, ac ſuccedentibus annis, multis morbis gravibus infeſta-

feſtatus, in virili & matrimoniali ſtatu præcipuè arthritide & lithiaſi ſæpiſſimè. Sed cùm multorum celeberrimorum Medicorum conſilia ingenioſiſſima, ac medicamenta plura, tam exotica quàm inquilina, Hermetica & Galenica, fruſtra adhibita fuiſſent, ſectio verò anceps & periculoſa in tam debili, macilento, ac doloribus, & curis publicis & privatis exhauſto corpuſculo, diem ſuum iſte communi naturæ curſu, nec non omnium bonorum luctu, obiit. Aliàs veſicæ calculi figuram valdè variant; quidam etenim ſunt angulares, ovales, rotundi, cylindrici, oblongi, alii plani, ſerrati, aculeati, glabri, aſperi, prout Natura ludit, vel à multo corporis, ac affluentis ſeri motu adcretio adjuvatur. Memini me Noribergæ anno circiter hujus ſeculi quadrageſimo ſeptimo in veſica puelli biennis demortui diſſecta vidiſſe caculum totam veſicæ cavitatem opplentem, figuræ ſphæricæ tam exactæ, ut quilibet Mathematicus vix exactius circino circinare poſſit.

ADDITAMENTUM SCHRÖCKII.

MAgnum hunc magni Viri calculum Epiſagm. obſervat. medic. 61. delineatum exhibet noſter Georg. Hieron. Welſchius; cui ob magnitudinis raritatem meritò adjunguntur, quos Celeberrimi Viri deſcripſerunt: D. Thom. Bartholinus cent. 5. hiſt. anatom. 57. D. Martin. Bernard. à Berniz Ann. II Ephem. Curioſ. obſerv. 140. D. Henr. Oldenburgius Act. Philoſoph. Angl. Ann. 1667. 3. Jun. Relat. 4. D. Olaus Borrichius cent. 4. Epiſtol. medic. Bartholinian. 92. D. Joh. Jacob. Leibnizius in Memorab Biblioth. Norimberg. pag. 16. D. Frider. Loſſius lib. 3. obſ. med. 53. D. Gregor. Horſtius lib. 2. Epiſt. med. ſect. 5. Joh. Bapt. Helmontius tract. de lithias. cap. 3. §. 40. Henr. ab Heer obſerv. med. 26. Henr. Salmuthus cent. 2. obſerv. 85. Iſaac Cattierius obſ. med. 3. & Joh. Schenckius lib. 3. obſervat. medic. Anno etiam 1675. Menſ. Octobr. ex Civis & Patritii

Augu-

Auguſtani, Nob. D. O. L. veſica, maximis duarum & dimidiæ horarum cum tormentis, non minori tamen ægri cum magnanimitate & patientia, ingens calculus, ſeptem uncias cum dimidia ponderans, cujus hic figuram molemque ſpectandam offero, extractus fuit, & quamvis ob ſummam virium proſtrationem, & arteriarum plurimis horis ceſſantem pulſationem, æger animam agere jam crederetur, Divinâ tamen gratiâ, recollectis iis, evaſurus videbatur, niſi crudelior diarrhœa, tertiâ poſt ſectionem hebdomade, decimonono ſcilicet die, eundem mortalium numero exemiſſet.

OBSERVATIO CXXII.

Calculus veſicæ putaminis ovorum inſtar, fruſtillatim excretus.

R*Ev. & Ill. Pr. J. G. C. de H. E. R. ſæpiſſimè queſtus eſt de dyſuria pergravi, verùm ſuadente me, cùm ingruentem affectum ſentiret, præmiſſo mox clyſmate conveniente, aſſumſit aliquoties in brodio vel juſculo quodam guttulas aliquot ſpiritus terebinthinæ, vel ſpiritus putaminum ovi ſtruthiocameli, urina exinde non duntaxat facilior fluebat, ſed & interdum fruſta magna ovorum putaminis inſtar unà reddebantur, acri cum dolore.* Sub praxi propr.

SCHOLION HELLWIGIANUM.

IDem fœmellæ cuidam cælibi Norimbergæ, ſed militum violentiâ defloratæ, contingebat, ut plerunque tales laminas ſeu putamina unà cum urina reddiderit, attamen non cum tanto dolore; diabete inſuper hæc, vel urinæ incontinentiâ laborabat perpetuâ, ob orificium cenſeo veſicæ per vim laxatum & debilitatum.

ADDITAMENTUM SCHRöCKII.

AN calculus renum & veſicæ frangi poſſit per medicamenta, tritiſſima apud Medicos eſſe ſolet quæſtio, à pluribus eorum

rum negativè deciſa. Quibus equidem lubenter largior, rariſſimè ſperatum obtineri effectum, & vanas utplurimum eſſe pollicitationes, certam eâ ratione curam ſpondentium. Quorum amplus admodum occurrit catalogus. *Certè*, inquit Bartholinus cent. 3. epiſt. med. 80. *quot calculoſi, tot ſingularia remedia numerantur. Quia uni raro prodeſt, alteri quod profuit.* Diverſa humorum in corpore humano natura medicamentorum longiori itinere ad renes & veſicam deducendorum virtutem immutare diverſimode valet; nec calculorum una eſt conditio, qui gypſei, duriores, veſicæ adhærentes, muco obvoluti &c. eſſe ſolent. Nec mirum inſuper, rationalem per interna remedia abſolvendam curationem adhucdum latere, & ſi quæ contingat, ignorari tamen, quo modo illa ſucceſſerit; cùm ipſa calculorum generatio nondum in apricum planè ſit deducta. Poſſe tamen confringi quandoque ſaxa illa, in Anno IX. Ephem. Curioſ. probabile quadantenus reddere conatus fui. Idem etiam variorum Auctorum fide hiſtoricâ comprobavit Johann. Schenckius lib. 3. obſ. medic. Vidit D. Olaus Borrichius (Volum. 1. Act. med. Hafn. obſ. 87.) calculum juglandis minoris magnitudine & ſiliceæ duritiei, in fruſta fabis æqua confractum in puero ſexenni exiiſſe, certas fracturæ notas ſecum adferentia. Et Nicol. Binningerus calculum renalem ſponte in magnas portiones diviſum, fruſtillatim fuiſſe excretum, refert cent. 3. obſerv. 85. Alios ut taceam. Quanquam ſæpe quosdam ſuaviter ſeipſos hìc decipere, negare haud ſuſtineam; cujus evidens ſpecimen occurrit apud Nicol. Tulpium lib. 4. cap. 36. deraſorum ſcilicet à majori in veſica calculo fragmentorum, non quidem medicamentorum ope, ſed aliorum inæqualium calculorum continuo occurſu abſcedentium.

OBSERV.

OBSERV. CXXIII.

Veſicæ exulceratio.

S. *R. cùm ante annos ſeptendecim aliquando in Auſtria ſuper foſſam tranſiliiſſet, protinus circa pubem dolorem ſentiebat valde moleſtum, quaſi intus in corpore quid diſruptum & læſum fuerit, nullâ tamen ſubſecutâ rupturâ viſibili. Poſthinc ſæpiſſime paſſus eſt dolores lancinantes circa orificium præcipuè meatus urinarii, dyſuriam quoque interdum cum inſigni ardore, urina itidem poſt acerbiſſimos dolores aliquoties ut lotura carnis rubicunda apparuit cum filamentis ſubnigris ac ſedimento craſſo, turbido, vel ſaburrâ ſabuloſâ rubrâ permiſta, & quotiescunque biberet æger vinum generoſum, aut cereviſiam recentem & non benè defæcatam, ſive acidum quid, ſeu nimis ſalſum guſtaret, ſive longè nimis & celer deambularet, mox dolores exacerbabantur denuò, eaq; de cauſa, præter aliorum opinionem, prædixi, veſicæ exulcerationem adeſſe, ſeu ex calculo olim magno & aſpero ad meatum urinarium violenter penetrante & veſicam lædente, ſeu ex ruptura in ſaltu ſuperiùs memorato obortam. Hinc conſului, aſſumtis mundificantibus & conſolidantibus internis, ſimul unà vino inpoſterum tenuiori ac probè diluto, cereviſiâ hordeaceâ benè defæcatâ, vel decocto ex diureticis & dolorem mitigantibus, vel emulſionibus, attamen moderatè pro potu frueretur; cibis crudis, nimis ſalitis, & acidis, ac aromate multo abſtineret, longos & citatiores greſſus vitaret, itemq; affectiones animi graviores moderaret. Ex quorum diligente obſervatione non exiguum levamen habuit, ac dolores multò rariùs, nec tam ſeverè illum exagitarunt. Donec Anno 1673. æſtu quidem aëris tunc temporis valdè ſæviente, ſiti, ciborum faſtidio, rigore & calore febrili quodam, atq; vigiliis defatigatus, dyſuriam continuò cum dolore circa pubem acutiſſimo, urinâ prorſus turbidâ, tartareâ, permixtis etiam pure multo & grumulis interdum ſanguineis ad ſeptimanas aliquot toleraret, æternam requiem exoptans, ærumnoſam vitam reliquit.* Sub praxi propr.

SCHOLION SCHRÖCKII.

VEſica cùm membranoſæ ſit ſubſtantiæ, & perpetuo ſeri ſalſi, quod urinam vocamus, adfluxu irrigetur, ſi continui ſolutionem patiatur, non adeo promtè ſanationem admittit, facileque ideo exulcerationem incurrit; quam non tantùm violentæ externæ invaſiones, ſed & calculi inprimis aſperiores, imò humores acriores & corroſivi, atque medicamenta nonnulla multoties excitant; quæ ulcera ſi diutius negligantnr, aut minùs debitè tractentur, pro incurabilibus utplurimum habentur. Hinc curam palliativam adjudicat Guil. Rondeletius Method. cur. lib. 3. cap. 48. ſi ulcera iſta profunda exſiſtant. Imò tantopere quandoque increſcit malum, ut Nicol. Tulpius lib. 3. obſ. medic. cap. 2. miſerrimam indè mortem ſecutam obſervaverit, veſicâ nempe à duobus calculis attritâ, atque fœdè à pure conſumtâ, urinâ verò, proprio utpote receptaculo deſtitutâ, liberè per abdomen fluctuante; Unde & illa ipſa cura palliativa eſruſtranea hîc exſtitiſſet. Quamvis operam artis non planè evanidam ſemper eſſe, vel ſolus experientiſſimus Guil. Fabricius Hildanus edocere queat, cent. 3. obſervat. chirurg. 69. ulceris veſicæ graviſſimi curationem deſcribens. Non minùs feminam miſerandum in modum à ſordido & acri veſicæ ulcere divexatam, fruſtra adhibitis ſiccantibus & detergentibus efficaciſſimis, tandem continuo aquæ Spadanæ uſu (qua de videndus Henricus ab Heer in ſua Spadacrene, inprimis cap. 8.) deploratum iſtud malum debellâſſe, Tulpius refert lib. 2. cap. 53. Ulcus quoque diuturnum in collo veſicæ cum acerbiſſimis & ferè intolerabilibus cruciatibus, urinæ ardore & ſtranguria, per opiata &c. curatum recenſet D. Petrus Kranz apud Gregor. Horſtium lib. 2. Epiſt. med. ſect. 6. Unde etiam Theriacam veſicæ exulceratæ ſuccurre poſſe, non dubitat Joh. Baptiſta Silvaticus lib. 2. de ther. cap. 15. cùm præter exſiccandi, adſtringendi, mordaces humo-

humores contemperandi virtutes, dolores etiam adſiduos & moleſtiſſimos obſtupefaciendo mitigare valeat.

OBSERV. CXXIV.

Veſicæ abſceſſus in muliere pro gravida habita.

ANno 1648. Noribergæ mulieri ruſticæ per plures menſes venter inferior ſeu hypogaſtrium ita indies intumuerat, ut Medici quidam, obſtetrices, atq; mulieres eam, & quidem non unico, ſed plurimo fœtu gravidam judicarent; menſtrua etenim ſubſtiterunt, mammæ diſtendebantur, imò cùm poſtremis menſibus lac interdum effluere viderent illæ, mammasq; rurſum flacceſcere, abortum metuebant. Miſera autem undecimo demum menſe, ob virium lapſum, ac reliquo corpore tabe conſumto, mortua eſt; cadaver, præſente me, & aliis Medicis, & mulieribus aliquibus, à Chirurgis in hypogaſtrii regione fuit diſſectum, atq; in abdomine putreſcente, præter viſcera naturalia nihil, quàm humor lentus, fœtidus ad libras duas, tresve inventus eſt & exemtus, atq; in veſicæ urinariæ, quæ inſigniter intumuerat, parte anticâ ſuperiore tunica exterior diſrupta viſa eſt, cum magno ibidem abſceſſu, pure multo ac fœtido ſubtus ſcatente, quod intra ambas veſicæ tunicas amplum ſpacium ambiebat, illæsâ penitus tunicâ interiore; Uterus verò in ſuo deſtinato loco, ſine omni labe, vacuus, & contractus latuit. Tunc & maritus demortuæ referebat, ſe modò reminiſci, quòd uxor ante annum & ultra vaccam quandam emulſerit, ac ab iſta calcitrante circa pubem violenter percuſſa fuerit, dolorem ac locum læſum neglexerit, & exinde in hoc malum inciderit. Ex obſerv. propr.

SCHOLION SCHRöCKII.

NOn tantùm conceptûs initium feminæ plerunque neſciunt, & infida admodum deprehenduntur eſſe ſigna de illo adte-

 ſtan-

ſtantia; ſed & procedente tempore, atque intumeſcente jam ventre, multæ ſe gravidas æſtimantes decipiuntur. Id quod variis à cauſis oriri poteſt. A veſica tumida atque abſceſſu defœdata exemplum hîc propoſuit Auctor noſter: à purulenta in abdomine aqua Joh. Rudolph. Salzmannus in Obſervat. anat. Virginem gemino tumore ſteatomatoſo diſtentum abdomen gerentem, à rudibus ac inſcitis obſtetricibus, gemellos ab ea geſtari confiſis, impudicitiæ inſontem fuiſſe accuſatam, teſtatur Nicol. Tulpius lib. 2. obſerv. med. cap. 33. Nobilem Matronam hepate adeo vaſto præditam, ut univerſum abdomen in molem ingentem extenderet, ab imperita obſtetrice, gravidam jam altero anno creditam refert Thom. Bartholinus Diſſ. anatom. de hepat. defunct. A ſanguine menſtruo reſtagnante idem quandoque evenit, uti præter Hippocratem, lib. de nat. pueri, plures alii obſervarunt; quo redeunte, ventris moles paulatim ſubſidet ac detumeſcit. Idem in atretis, uteri orificio ab obtenſa membrana denſa occluſo, accidere Rodericus à Caſtro lib. 3. de morb. mulier. cap. 8. exiſtimat, refluâ ſcilicet menſtruorum materiâ ingentem in ventre tumorem & tenſionem faciente. Cachecticam, quæ ſe gravidam credebat, producit Henricus ab Heer obſerv. medic. 14. Et falſæ graviditatis ex cacochymia ſeroſa exemplum notatur in Anno II. Ephemer. Curioſ. obſerv. 260. Hydropico ventre turgentes ſæpe etiam fœtum geſtare creduntur: Sic ſuperfœtationem falſam, quam mentitus eſt motus aquarum hydropicarum, expoſuit l. c. Nob. D. Paul. Amannus obſ. 186. Hydropem à tumore meſenterii, pluribus veſiculis aquâ limpidâ diſtentis referto, ſuſpicionem prægnationis moviſſe, notat Tulpius l. c. cap. 34. De molis aquoſis graviditatem mentientibus agit Nic. Binningerus cent. 3. obſerv. 70. & de matricis aquoſo hydrope ſimilem hiſtoriam deſcribit Petr. Borellus cent. 3. hiſt. 26. Ubi etiam hydropem matricis ventoſum in alia de-

pre-

prehenſum adducit, vento cum impetu emiſſo curatum. Sic & aliam infinitis borborygmis editis liberatam memorat Cl. D. Ol. Borrichius Volum. 3. Act. medic. Hafniens. obſerv. 46. Senſim verò diſcuſſis flatibus hypochondriacis, falſam impraegnationem excitantibus, ad priſtinum ſtatum abdomen mulieri detumuiſſe, prodit Bartholinus Volum. 2. dd. Act. obſerv. 3. Qualia quoque flatulentæ [ut & aquoſæ] graviditatis exempla plura indicavit deſideratiſſimus Sachſius noſter in ſchol. ad obſerv. 1. Anni I. cit. Ephem. Ipſe etiam Hippocrates d. l. idem edixerat, uteris nempe ſpiritu diſtentis & intumeſcentibus, mulieres ſe concepiſſe exiſtimare. Et hac ſimilitudine juvenculas non paucas, flatus pro fœtu geſtantes, meminit deceptas Bartholinus cap. 2. de inſolit. part. viis, quod & hiſtoriâ ſpeciali in principio Ephemeridum German. Curioſ. confirmat. Quid de molis propriè ſic dictis referam? quas carnem quandam vitioſam & informem eſſe, omnes norunt; qualem à caſtiſſima Vidua, non ſine periculo famæ, geſtatam narrat Theod. Kerckringius obſerv. anat. 81. Videlicet, *ſi qua ventre nonnihil intumeſcat virguncula*, ut idem Kerckringius præfatur, *continuò in partem deteriorem cadit ſuſpicio; ſi qua Vidua tantillum diſtendatur, vix pudori ſuo poteſt conſulere apud homines*; quos tamen alma veritatis genetrix, tempus, in iſtorum confuſionem & ignominiam, mendacii tandem publicè convincit, omnesque inhumanas ſuſpiciones diſcutit.

OBSERVATIO CXXV.

Dyſuria rara.

Civis quidam Ratisbonenſis perhoneſtus, & œnopola, qui biennium ferè in conjugio ſecundo transegerat, incidit diverſo tempore in dolores inconſuetos circa pubem, licet à natura jamdudum nephritide quoq; levi vexabatur, ac quoties debitum maritale

eum monebat, ſenſit quidem circa lumbos ac inguina, titillationes, abſque virgæ tamen erectione & ſpermatis ejectione, cùm is ab initio virum ſeſatis præbuiſſet, inq́; priori conjugio liberos genuiſſet. Anno verò 1672. dyſuriâ quadam prægravi per vices diverſas affligi incipiebat, atq́; doloribus intenſiſſimis, parturientium more, præcipuè in interfemineo, infeſtari, ita ut, dum conabatur urinam reddere, natura præter naturalem intentionem perversè commota, alvum laxaret, & viciſſim, dum alvus ſe exonerare voluit, inversè veſicam levaret, usq́; dum Anno 1673. hyberno tempore iterum tantâ mejendi ſimul difficultate, ventrisq́; teneſmo per plurimos dies decubuit, ut ob dolorum ſævitiem & vigilias continuas, virium infirmitatem, ac vitæ periculum vereretur. Clyſmate demum ex mero lactis vaccini, cum pugillo uno alterove florum chamomillæ decocto, additoq́; colaturæ ſacchari communis pauco, ſæpius iterato, inſeſſuq́; lactis vaccini calidi uſus, cùm nobiliora medicinalia & thermæ non proficerent, ſumtoq́; interdum ſpiritu vel pilulis terebinthinæ, dolores ſucceſſivè mitigabantur, urina largior & mucoſa, poſtmodum per vices & ſingulatim materia ſolidior, lævis tactu ac limoſa, colore incarnato, figurâ rotunda, in medio quidem planior & depreſſior, magnitudine ſeminis lupini majoris cærulei, ſperma humanum redolens, lentè prodibat.

SCHOLION SCHRÖCKII.

VItium hîc aliquod proſtatarum vel veſicularum ſeminaliũ unà adfuiſſe, non improbabile mihi videtur; quod præter impotentiam veneream, & doloris ſedem, excretæ etiam materiæ qualitas indicat; à quorum corpuſculorum fortè intumeſcentia meatus urinarius compreſſus dyſuriam excitaverat, viciniatisque ratione teneſmus ortum ſumſerat; unde evanidum illud, morâ longiori acrius redditum, & inſpiſſatum ſperma, enematis ac inſeſsûs ope mitigatis, emollitis atque laxatis partibus iſtis, à ſumto poſtea terebinthinato medicamento, expelli cum εὐφορίᾳ poterat.

OBSER-

OBSERV. CXXVI.

Urinæ mictio ſanguinea.

V*Irgo quædam, cùm ab infantia cereviſiæ triticeæ aſſueta, Ordini poſtea religioſo dicata, hordeaceam & lupuloſam bibere contigiſſet, ſingulâ æſtate bilioſo vomitu perſæpe affligebatur, è cujus deniq; vehementi quodam inſultu Anno* 1665. *ſine dubio rupturam vaſis cujusdam venoſi paſſa, mictum ſanguineum copioſum, nec absq; torſione ventris circa umbilicum, per quatuordecim dies habuit, cum filamentis & ſedimento craſſo ſubatro. Aſt, DEO adjuvante, inter octiduum medicamentis & diætâ conveniente ritè præſcriptis, priori ſanitati reſtituta fuit, ac poſtmodum hordeaceam & lupuloſam cereviſiam ſemper devitans, nunquam tale malum ſenſit.* Sub praxi propr.

SCHOLION SCHRÖCKII.

MIctionis ſanguineæ magna eſt diverſitas, cùm modò ex renibus & ureteribus, modò ex veſica, urethra &c. ortum trahat; interdum purus ſanguis excernatur, interdum urinæ permixtus, eoque ſenſu propriè nomen illud apud nonnullos promeritus; nunc fluidâ formâ, nunc coagulatus & quaſi vermiformis, ruptis, corroſis, vel aliter reſeratis vaſis prodeat. Inprimis autem ipſa etiam in cauſa occaſionali ingens occurrit differentia: Ex caſu ut variarum partium hæmorrhagiæ oriri ſolent, ita & per urinarium canalem, læſis atque diſruptis ejus vel vicinorum locorum vaſis ſanguiferis, eadem ſæpe accidit; cujus exempla occurrunt apud Galenum 6. de loc. adfect. cap. 4. Hieron. Cardanum curat. admir. num. 27. Amatum Luſitanum cent. 5. curat. med. 45. Regn. Graafium tract. de viror. organ. generat. inſervient. pag. 148. & ſeqq. Idque in delapſis ex alto ſæpius ſe vidiſſe, Petr. Foreſtus lib. 24. obſerv. med. 7. teſtatur. Calculos aſperitate ſuâ renes inprimis ſæpiſſime pungere & vaſa dilacerare

rare obſervamus: Sic Clonigum Abderitanum, qui renum doloribus vexabatur, ſanguinem paulatim minxiſſe, Hippocrates lib. 7. de morb. vulg. ægr. 125. ſcribit. In renum (non minùs & veſicæ) exulceratione idem fluxus, teſte etiam Hippocrate 4. aph. 75. & 81. contingit, apertis & corroſis à pure acriori vaſorum texturis; Ubi inprimis notare juvat obſervationem Henrici ab Heer, in matrona ulcere renali laborante habitam, quæ non tantùm à clyſteribus & ſuppoſitoriis adplicitis, ſed & aniſi ſemine, Zingibere Sinico, cortice nucis moſchatæ in India conditæ, aut aliis medicaminib⁹ primo tantùm gradu calidis, adſumtis lotium effuderat ſanguineum, particulis nempe eorum acribus ſanguini & puri communicatis, illum ad majorem rarefactionem compellentibus, hoc verò ad novam corroſionem ſollicitantibus. Spontaneam, &, ut multi interpretantur, repentinam ac copioſam, absque cauſa manifeſta externa factam ſanguinis mictionem à venulæ alicujus renalis ruptura derivat Hippocrates ſect. 4. aph. 78. quod ab humorum multitudine & craſſitie fieri, Galenus in Comm. explicat, dum nempe à ſanguine craſſiore nimiumq; adfluente arteria vel etiam vena diſtenta, ob novi ſanguinis continuum adfluxum tandem diſrumpitur; quam rupturam ulcera diuturna atque vix ſanabilia ſequuntur juxta Aretæum de ſign. diuturn. lib. 2. cap. 3. Ab hepate autem procedere, ſi citra dolorem ſponte fluxus ille prodeat, multi ſunt qui exiſtimant. Obſtat tamen Johann. Fernelius lib. 3. pathol. cap. 13. in errore verſari eos, ſcribens, qui urinam cruentam jecoris imbecillitati tribuunt, cùm vix intelligi queat, ſanguinem alicunde cum urina præterlabi, citra renum adfectionem, cui tamen Hieronymus Reuſnerus in ſchol. ad cap. 22. Jodoc. Willichii de urin. probat. ſeſe non contemnendis rationibus oppoſuit. Nec incredibile eſt, Naturam à nimia ſanguinis copia gravatã uti diverſas alias, ita hanc quoque viam, reſeratis vaſorum extremi-

tati-

tatibus, eligere, quâ ſe ob onere liberet; imò non hanc ſolùm, ſed & alias quoque partes, veluti ipſam inprimis urethram pro emiſſario conſtituens. Quamvis propriè ab hepate ſemper illum transmitti, non ſimpliciter dixerim; cùm idem cordi, imò univerſo corpori adjudicari debeat, præſertim ubi plethoræ tantùm, non alicujus in hepate imbecillitatis ſigna concurrant; qualem fuiſſe Secretarium illum plethoricum, innuere videtur Exc. D. Valentin. Andr. Möllenbroccius, cujus in Anno I. Ephem. Cur. obſ. 88. meminit. Renes tamen inſontes omninò hîc ſemper haud exſiſtere, credo, ſed ſuum etiam quandoque conferre ſymbolum, ſi debiles ſint & laxi, adeoque majori in copia adfluentis ſanguinis impetum coërcere nequeant, eündem, reſeratis magis & dilatatis arteriarum oſculis, unà cum ſero naturaliter ibi ſecernendo, in tubulos urinarios effluere permittentes; præcipue ſi acrioribus particulis, ſtimulantibus nempe & rodentibus, ſanguis abundet; in quibus ſanè, renum debilitati junctis, urinæ ſanguineæ cauſam quæſiverant Gregor. Horſtius part 1. lib. 4. obſ. med. 34. Frider. Loſſius lib. 3. obſerv. med. 56. & Philipp. Höchſtetterus dec. 1. obſerv. med. caſ. 2. Cui ſanguinis ubertati & acredini, vaſorumq; renalium laxitati adjudicanda etiam quandoque videtur ſanguinis mictio, equitationem duriorem, aliave concitatioris motûs genera excipiens; cujus ſpecimen apud beat. Sachſium in ſchol. ad Eph. l. c. Joh. Schenckium lib. 3. obſ. med. Laz. Riverium cent. 2. obſ. 13. &c. occurrunt. Ab immoderata venere ſanguinem in orgaſmum actum, & ad genitalia copioſè adfluum, nonnunquam viam extra vaſa adfectare ac excerni, notum eſt, quod Jac. Hollerius in duobus adoleſcentibus vidit, ceu refert Comm. ad ſect. 4. aph. Hipp. 78. ab aliis pluribus etiam animadverſum: idque nec Ariſtotelem latuit, qui lib. 1. de gener. animal. cap. 19. ſemen incoctum aut per vim emiſſum, videlicet cùm ultra modum quis re venereâ u-

titur,

titur, cruentum aliquibus prodiiſſe narrat; quamvis ſanguinem hunc non tam ut rudimentum ſpermatis conſiderandum eſſe, credam, quàm potiùs ex arteriis ad membrum virile, & etiam veſiculas ſeminarias ac proſtatas accedentibus exire, ita ut frequentiori & immoderato rei venereæ in uſu, exhauſtâ materiâ ſeminali, & debilitatis partibus iſtis, ſanguis turgens eò faciliùs extra limites ſuos ibi feratur atque perrumpat. A nimio allii & porri eſu, acredinem ſero communicantium & loca urinaria excoriantium, ſubſecutum ſanguinis mictum notarunt Joh. Matth. de Gradibus in Comm. ad Raſem, & Petr. Foreſtus l. c. obſ. 12. Cantharides, ſive internè à laſcivis, confortandæ veneris causâ, adſumtas, ſive etiam externè ſaltem in veſicatoriis &c. partibus diverſis impoſitas, idem ſæpe præſtâſſe, inductâ unà ſtranguriâ, plurimi Auctorum monuerunt; & ipſe in milite Civitatis hujus præſidiario comperi, qui diuturno dolore iſchiadico laborans, tandem, neſcio cujus ſuaſu, veſicatorio tali, adfectæ parti impoſito, in moleſtiſſimam ſtranguriam & ſanguinis mictionem, tanto cum mortis metu, ut etiam funeralia jam pararentur, inciderat, ſolo tamen Emulſionis ex hordeo, amygdalis, ſem. melonum, oculis ♋. &c. paratæ uſu à me ſanatus. Quem cantharidum effectum ad occultas qualitates à quibusdam referri cùm videret Henricus ab Heer obſ. med. 9. eos ut ad ignorantiæ aſylum confugientes caſtigaverat, addens: *Nonne malim me hominem*, h. e. *plurimarum rerum inſcium fateri?* adeoque idem cum illis reipsâ adſerens. Wolfg. Höferus lib. 3. Hercul. med. cap. 4. in nervoſum membranoſumque genus valde debile, atque tenerrimi ſensûs cauſam rejicit; quo ſanè in partibus iſtis obſcœnis qui præditi ſunt, proclives magis ad hunc adfectum eſſe non negaverim; optimè tamen explicavit id Celeb. D. Borrichius Vol. 4. Act. med. Hafn. obſ. 80. qui cùm ſmicroſcopio cantharidem ſubjeciſſet, mille ſpinis inhorreſcentem vidit, quas cuticulam pene-

penetrantes, ad reliquas etiam partes, ipſamq́; veſicam pervadere demonſtrat, quæ naturâ delicatior & minùs oblita nativo muco, aculeorum iſtorum moleſtas punctiunculas, à cantharidum ſale volatili adjutas, perſentiat; atque hoc ipſo dein & ſanguinis, copioſiùs ad dolentem locum confluentis, præternaturalem extravaſationem facilè inſequi, & eroſis atque exulceratis vaſorum oſcillis, eundem effluere poſſe, veroſimile videtur; qua de re etiam legi meretur Th. Willis pharm. rat. part. 2. ſect. 3. cap. 3. Sanguinis jam puri, jam urinâ mixti, maximo cum dolore & ardore exſtillationem, ab hauſtis, Circulatoris ſuaſu, ſpiritûs terebinthinæ ferè duabus unciis, recenſet Guil. Fabricius Hildanus cent. 5. obſ. chir. 52. ubi ſanguinem à volatilibus ſulphureis liquoris iſtius terebinthinati atomis in maximum motum & expanſionem concitatum, acribusq́; particulis armatum, iſtis in locis exitum fuiſſe molitum, ſtatuere licet. Menſtruum ſanguinem, naturali relicto tramite, quibusdam hoc modo fuiſſe evacuatum, præter plures alias, evincit juvencula illa, cui, occalleſcentibus à partûs difficultate venarum in uteri collo oris, fluxum talem contigiſſe, fidem facit Th. Bartholinus diſſert. de inſol. part. viis cap. 5. Idem à conſuetis hæmorrhoidibus ſuppreſſis quandoque in viris contingere, Hildanus cent. 2. obſerv. chir. 11. Foreſtus d. l. obſ. 9. Thom. Reineſius epiſt. 44. & ſeqq. ad Neſteros, Exc. D. Joh. Matth. Neſterus Ann. IIX. Eph. G. C. obſ. 23. & D. Joh. Theod. Schenckius Exerc. anat. pag. 561. adnotarunt. Quo etiam referre libet periodicam ſanguinis mictionem, hæmorrhoidũ vel etiam menſtruorum fluxui ſimilem, quam Cæl. Aurelianus lib. 5. tard. paſs. cap. 5. Aretæus lib. 2. de ſign. diuturn. cap. 3. &c. explicarunt; à cujus retentione varia oboriantur mala, idq́; Paſtor ille apud Salmuthum cent. 3. obſ. med. 47. expertus fuit, cui periodicus ille quaſi menſtruus fluxus à Medicaſtra coërcitus, letalem medelam attulit; cùm ſanguis, natu-

naturali quaſi curſu violenter inhibito, & à ſuperflua copia hoc modo ſe non expedire valens, neceſſariò turbarum in corpore variarum auctor fiat. Imò criſin quandoque per loca illa contingere, Amatus Luſitanus cent. 1. curat. med. 93. in juvene, ſanguineâ febre adflicto deprehendit, qui ſexto die, cruore cum urina prodeunte, ſanitati reſtitutus fuit; & febres per ſimilem excretionem nonnunquam criticè ſolutas fuiſſe, experientiam teſtari, Henr. Salmuth cent. 2. obſ. 70. admonet; illum tamen in variolis & morbillis periculoſum admodum, imò letalem aliquoties obſervavit; quod & Parenti meo, non ſine magno dolore (Vid. Ann. III. dd. Eph. obſ. 76.) tum in propria, tum alia Mercatoris filiola videre contigit; exemplis quoque confirmat Höchſtetterus l.c. caſ. 7. 8. & 9. conſentiente pariter Bartholino cent. 4. hiſt. anat. 45. ubi & in peſte peſſimum ſignum eſſe edocet. Morbum regium à maxima ſanguinis nigri copia ſponte ex membro virili promanante ceſſâſſe, refert Marc. Donatus lib. 4. hiſt. med. mirab. cap. 29. Huc etiam reponere liceat, quod habet Joh. Rhodius cent. 2. obſ. med. 19. Plazzonum nempe vulneratâ thoracis parte dextrâ, 5. vel 6. dierum ſpatio merum ferè ſanguinem per urinæ vias emiſſum vidiſſe; ubi Natura, factâ metaſtaſi admirandâ, extravaſatum in vulnerata parte ſanguinem ad remotas illas vias amandâſſe videtur; quâ ratione ipſum aliàs empyicorum quoque pus ſæpius expurgare conſuevit.

OBSERVATIO CXXVII.

Mors ex thermis Piperinis, ob fiſtulam veſicæ urinariæ.

ILL. D. F. D. P. A. 1654. è febre tertiana exquiſita, quâ per trimeſtre ferè laborârat, reſtitutus, corporis macilenti & raræ texturæ, temperamenti bilioſi, fiſtulam veſicæ urinariæ ex malè curato

rato vulnere per multos annos habuit, tandem perſuaſus alieno conſilio, ad thermas Piperinas in agro Curienſi ſitas profectus, ſenſit ex earum uſu incendium corporis permagnum, cum inſigni capitis dolôre, & membrorum debilitate, ideò relictis thermis, in Italiam properavit, aſt in itinere mortuus eſt. Ex obſerv. propr.

SCHOLION SCHRÖCKII.

MUltarum quidem thermarum uſum in fiſtulis, etiam graviſſimis, percurandis ſæpe conducere, præter experientiam, tum plures alii, tum inprimis Paulus Barbette lib. 3. Chirurg. cap. 5. admonet; & in ſpecie Rhæticas illas, Piperinas dictas, ulceribus inveteratis atque difficilis curationis mirum in modum prodeſſe, Guil. Fabricius Hildanus, Epiſt. de iis, adnotat; inque fiſtulis utiliter adhiberi, Martin. Rulandus, aliiq; teſtantur. Attamen non conduxiſſe huic ægroto, Auctor noſter memorat. Cui quidem vis illa exſiccans & conſolidans in remedium cedere potuiſſet, niſi aliud diſſuadere uſum ejus debuiſſet. Ut enim ſupponam, in ipſa cæteroquin curandi methodo omnia ritè fuiſſe obſervata; huic tamen Italo, conſtitutione corporis bilioſo, remedium hoc non conveniebat. Ut enim Exc. D. D. Eliæ Rudolphi Camerarii verba ex theſ. 6. Diſp. de Acidul. uſu externo mutuem, *temperamentum nimis, ut vocant bilioſum, particularum in ſanguine ſulphurearum & acrium major debito, ſeroſarum mitium minor quantitas, ad febrem hecticam aut lentam tabificam proclivitas, ad ſanguinis ebullitionem facilitas*, immerſionem in aquas iſtas medicatas prohibent. Idq; inprimis in Rhæticis thermis iſtis, profundo in antro latentibus, verum redditur, in quo vapores, liberâ exhalatione impeditâ, concluſi, caput faciliùs impetunt, ſanguiniq; confuſi, eundem exagitant. Accedit ſtrepitus tum torrentis, tum aquæ etiam thermalis, quæ ex alto maximo cum impetu in amnem cadit, in multis ſomnum interrumpens, impediensq;, unde ſpiritus & ſanguis incaleſcunt, mox febris aliaq; ſymptomata ſequuntur; uti Hildanus l.c. loquitur.

OBSERV. CXXVIII.

Vulnus inguinis lethale.

M. *P. St. Norimbergenſis, & Medicinæ Candidatus, cùm An. 1628. in Academia Patria Altdorfenſi ebrioſus, evaginato gladio noctu alteri cuidam occurriſſet, ab illo itidem petitus, & in inguine dextro prope veſicam punctim læſus, vulnere quidem non lethali, ſtatim tamen exanimis concidit.* Ex obſerv. propr.

SCHOLION SCHRÖCKII.

RAtum cùm ſit, inguinis vulnera per ſe & propriè non eſſe letalia; quid repentinam in hoc juvene mortem attulerit, dubitari poteſt. Quamvis enim rudior aliquis letalitatem exin adſtrueret, quòd immediatè mors à punctura illa inſequuta fuerit, nimiùm tamen is hallucinaretur, ridendus potius & explodendus vulneris arbiter. Neſciunt ſanè tales vim Hippocratici aphoriſmi omnium primi, quo non ſolùm Medicum, & ægrum, & adſtantes, quæ ad morborum curationem ſive vitæ conſervationem faciunt, obſervandorum admonere voluit Hippocrates; ſed & res externæ ritè ut ſint comparatæ, requirit; quas inter non ultimum locum vehementiores animi adfectus, ira, & terror, obtinent, expreſſis verbis à Galeno in Comment. memorata. Quorum utique magnæ poteſtati cauſam ſubſequutæ in hoc juvene præproperæ mortis adſcribi poſſe, non ſine ratione adſtruitur, præcipuè cùm jam antea à liquore inebriante, ſanguini & ſpiritibus confuſo, horum naturalis motus perturbatus, ipſiq; inquinati ac debilitati fuerint; unde facilè flagrans antea in adgreſſorem ira, atque ſuperveniens ex inflicto vulnere terror ſpiritus ſuffocare & expellere potuerunt. Ipſa ebrietas quid non in peſſundando homine efficit? Ut alias taceam tragœdias, quot, quæſo, mortales convulſione, aphoniâ, apoplexiâ interemit!

Notum

Notum id præcipuè fuit Coo noſtro, qui ſect. 5. aphor. 5. ebrium, quem vox derepentè deficiat, convulſum mori, perhibuit, niſi eum febris prehendat, aut quâ horâ crapula ſolvi ſolet, vox redeat. Exempla ſi deſideres, præter plures alios Auctores, dabit Petr. Foreſtus lib. 9. obſervat. 27. in ſchol. aliudque maximè obſervandum Bald. Timæus reſpons. medic. 35. pellionis nempe ebrioſi, poſt litigium cum militibus habitum, ſubitò exſpirantis; cujus mortis cauſam Vir doctiſſimus, poſt peractam diligentem cadaveris inſpectionem, nullum in capite ac reliquo corpore plagæ, contuſionis, ictûs, aut vulneris veſtigium exhibentis, à nimia ebrietate, vehementi excandeſcentiæ junctâ, deduxerat, ſuffocatis nempe ſpiritibus vitalibus, aut obſtructo nervorum principio, apoplexiam inducente. Animi pathemata, inopinatò & vi quâdam irruentia, quid valeant, neminem fugit, ſive jucunda, ſive adverſa exſiſtant; ut non magno animi dolore tantùm, ſed & lætitiâ multos ſubitò occubuiſſe, hiſtoriæ loquantur; idque eò faciliùs ira & terror efficere valent, ſi ab accedente continui ſolutione ſive vulneratione ſpirituum conceptacula & organa, in quibus operationes ſuas exercent, nervi &c. lædantur, adeoque ipſi etiam incolæ vel ſpiritus offendantur. Exempla horum proſtant plurima; ex quibus à Daniele Beckero quæſt. 10. de cultrivoro Boruſs. recenſita, videlicet cujusdam à levi vulnere in abdomine accepto, nullo tamen inteſtino nec ventriculo læſo, intra dimidiæ horæ ſpatium defuncti, alteriusque ex parvo inter lites vulnere ſuræ inflicto, confeſtim exanimati, hîc notâſſe ſufficiat; quibus & hiſtoria à Balduino Ronſſeo epiſt. medic. 12. memorata addi debet, ab omnibus de vulnerum letalitate minùs peritè & exactè judicaturis probè conſideranda.

OBSER. CXXIX.

Vaſorum emulgentium & ſpermaticorum mira divaricatio.

A*Nno Chriſti 1626. in ſubjecto anatomico ſexûs virilis inventa vaſorum emulgentium & ſpermaticorum figura ac divaricatio talis: Emulgentes tam venæ quàm arteriæ, quæ aliàs bifurcatæ in renum ſinus ſeſe abſcondunt, utroq; in latere in multos, arteriæ quidem in ſenos, venæ autem in quinos veluti digitos ſcindebantur. Eædem parte ſiniſtrâ, quà à truncis ſuis abſcedebant, canali quodam mediæ utriusq; emulgentis obliquè parti infixo invicem jungebantur. Vena ſpermatica dextra non ex trunco venæ cavæ, ſed ex angulo illo recto, quem emulgens cum cavæ trunco efficit, oriebatur. Siniſtra non ex emulgente prodibat, ſed ex medio illius canalis, qui ſiniſtras emulgentes medius copulabat. Arteria ſpermatica exortu, quem ſub emulgente lati pollicis intervallo habebat, unica tantùm erat, paulò ſupra cruralium divaricationem, ipſa quippe in duos ramos diducebatur, ut exortu unica, progreſſu duplex videretur.* Ex ſchedis D. Gregor. Queccii.

SCHOLION SCHRÖCKII.

MAgnus in vaſis hiſce recenſitis ſæpius obſervatur Naturæ luſus; cujus ſpecimen unum alterumq; hîc attingere placet. Emulgentem quidem, ſic olim, rectiùs autem Cl. Hornio renalem dictam, venam arteriamque quod concernit, utroque in latere hæc & illa communiter unica eſſe ſolet, quæ tamen bipartito ortu à rene procedit. Aſt *vaſa hæc raro*, ſcribente Thom. Bartholino lib. 1. Anat. reform. cap. 17. *ſibi ſimilia aut unius numeri, ſed aliquando ſenis, quinis, quaternis, ternis, plerumq; binis ramulis diſtinctè renes adeuntia, idq; vel utroq; latere, vel alterutro, rarò unico.* Sic Gabriel Fallopius in Obſervat. anatom. geminas inſi-

inſignes tum venas tum arterias emulgentes ad utrumq; renem accedentes à ſe viſas recenſet ; Ambroſ. Paræus in calculoſo quatuor utriusque generis ramos in parte ſiniſtra, tres in dextra comperiit, lib. 2. de corpor. human. anatom. cap.25. Cl Jo. Rudol. Salzmannus utrumque, venoſum & arterioſum, vas in ſiniſtro latere duplex obſervavit, ceu in epiſt. ad Gregor. Horſtium ſcribit, quo de vid. hujus lib. 1. epiſt. medic. ſect. 11. Et in Obſervatis anatom. à Theodoro Wynants edit. Anno 1613. 24. Septembr. in decollati cujusdam cadavere plures ſe utroque in latere & venas & arterias emulgentes reperiſſe, memorat; prout etiam geminam venam renalem in anatomiis A. 1608. 5. Febr. nec non A. 1609. 10. Febr. celebratis. Quod à Salzmanno notatum licet viderit Isbrand. Diemerbrœck lib. 1. anatom. cap.17. vix tamen unquam obſervatum fuiſſe putat, ut ex uno rene duæ prodierint emulgentes; quales tamen à ſe quoque Ann. 1668. Menſ. Novembr. in humano cadavere viſas ac publicè demonſtratas fatetur. Sed & aliis, duplicem hanc, imò triplicem ut cernerent, contigiſſe, teſtes ſunt: Ill. Thom. Bartholinus cent.1. hiſt. anat. 38. & cent. 2. hiſt. 54. Exc. D. Caſp. Theophil. Bierlingius Adverſar. curioſor. 26. D. Theod. Kerckringius Spicileg. anatom. obſ. 49. D. Tamponet in Zodiaco Medico-Gall. Nic. de Blegny Ann. I. epiſt. 4. obſerv. 6. Johann. Bauhinus apud Jo. Georg. Schenckium lib. 3. obſ. med. Andr. Laurentius hiſtor. anatom. human. corp. lib. 6. cap. 23. Salomon Albertus apud Tobiam Knoblochium diſputat. anat. 7. cap. 1. nec non Reald. Columbus lib. 15. de re anatom. Arterias quoque ſolito ſimplici numero, præter jam indigitatas, plures notarunt Anatomici: præfatus Bartholinus cent. 1. hiſt. anatom. 38. ſiniſtram trifidam, quarum infima ab iliaco ramo dextro oriebatur; triplicem lævam jam citatus Bauhinus ; duplicem in latere dextro D. Johann. Van Horne apud Exc. Gerard. Blaſium comment.
in

in cap. 5. Syntagm. anatom. Vesling. [ubi & trium in ſubjecto à Falcoburgio diſſecto fit mentio,] Salzmannus d. l. A. 1617. 7. Febr. & Adrian. Spigelius apud Cl. Jo. Rhodium obſervat. anatom. 38.; quatuor in parte ſiniſtra ramos Jo. Veslingius apud eundem Rhodium obſ. 39. Singularis etiam fuit illa emulgens vena, quam in ſtrangulato vidit Dominic. Panarolus, ceu pentecoſt. 5. obſerv. med. 24. refert, quæ quidem unico trunco è cava prodiens, paulò poſt tamen in duos diviſa ramos, iterumq; coaleſcens in unicum deſinebat, propè renem, ad morem aliarum, iterum diviſum. Omnium maximè mirum, quod Petro Pawio A. 1595. in cadavere virili cernere contigit, dextrum ſcilicet renem caruiſſe emulgente, ſolâ arteriâ eidem implantatâ; vid. Obſerv. anatom. 16. addit. cent. 4. hiſt. anat. Barthol. Cujus tamen loco aliam aliquam adfuiſſe venam, omninò neceſſe eſt, tum circulari ſanguinis motu id requirente, tum ſanâ cuilibet ratione id dictitante. In vaſis præparantibus ſive ſpermaticis ſic vocatis eandem varietatem notarunt ſeduli cadaverum Scrutatores. Uti enim communiter arteriæ ex ipſo aörtæ trunco, venæ autem dextræ è cava, ſiniſtræ ab emulgente læva prodeunt: ita ortus hic non ſemper ſe offert: qua ratione, dextram quoque venam ſæpius ab emulgente enatam deſcripſerunt Joh. Riolanus anthropogr. lib. 2. Thom. Bartholinus cent. 1. hiſt. anat. 32. D. Nathan. Fairfax Act. Philoſoph. Reg. Angl. A. 1667. 11. Novembr. cap. 4. D. Gerard. Blaſius d. l. cap. 6. Jo. Rhodius obſervat. anatom. 44. & Salzmannus loc. ult. cit. ubi & arteria dextra ab emulgente prodibat. Ambo utriusque lateris vaſa ex emulgentibus venis arteriisque orientia vidit Dominic. Panarolus pentec. 2. obſ. med. 35. In ſimplici quoque numero exceſſiſſe Naturam ſcimus: Binas eodem in latere venas advertit Columbus l. c. duplicem ex utraque parte, tum in exortu, tum in progreſſu Salzmannus A. 1608. 9. April. & A. 1617. 7. Febr.
duas

duas dextras; quas etiam nonnunquam in libidinoſis, dextro præcipuè in latere invenit Riolanus in anthropogr.; quibus jungendus cum Galeno Andreas Veſalius lib. 5. de human. corp. fabr. cap. 13. & D. Bierlingius l. c. obſ. 29. Tres à trunco cavæ in eodem latere ortas, medio tamen in itinere in unicam coaleſcentes, bis terve obſervavit Exc. Dominic. de Marchettis Anatom. cap. 6. Ipſe etiam A. 1669. Menſ. Januar. in publica infanticidæ diſſectione inventam, & ab Exc. D. D. Joh. Arnoldo Friderici, numeroſo Spectatorum cœtui ſpectandam fuiſſe expoſitam, recordor, venam ſpermaticam dextram geminam, quarum una craſſior ex emulgente dextra, altera ex cava oriebatur, in deſcenſu tamen aliquot invicem anaſtomoſes paſſæ. Sic & arteriæ ſeminariæ interdum luxuriant; quarum quatuor in virgine quadam ſe obtulerunt Kerckringio Spicileg. anatom. obſ. 32. non minùs tres quatuorque ſeminales arterias ſæpe videre datum fuît Corn. Gemmæ lib. 2. art. cyclognom. Quanquam non *ſæpe*, ſed *nonnunquam* ab eo ſcriptum mallet Diemerbrœck l. c. cap. 21. cùm numerus auctus adeo rarus ſit, ut ex ſexcentis Anatomicis vix unus eum viderit. Imò defeciſſe vaſa hæc, majorem multis admirationem peperit; quod, præter alios, de arteriis adfirmant Jo. Rhodius obſ. anat. 42. Salzmannus obſ. anat. An. 1601. 30. Jan. & prælaudatus Bierlingius obſ. 12. De venis autem Kerckringius loc. cit. Nugari tamen videntur Cl. Regnero Graafio tract. de viror. organ. generat. inſerv. omnes Anatomici, qui dicunt, aliquando unam, aliquando utramque arteriam deeſſe, quia, ſi vas ſanguinem referens adſit, neceſſariò adferens unà adeſſe debeat, & contra: Adverſus quem prælaudatus Theod. Kerckringius obſervatione ſuâ memoratâ in arenam procedit, defectumque illum arteriarum iſtarum ab aliis ſuppleri poſſe, judicat, quæ ſanguinem illum à venis revehendum adferant. Quod ægrè ferens Graafius in tract. de mulier. organ. generat. inſerv.

cap. 11. præmaturè nimis cenſoriam in ſe virgulam erectam, verba ſua non probè intellecta, & ejusdem ſe cum Kerckringio fuiſſe ſententiæ, demonſtrat. Ut adeo ſolo in nomine diſſenſus iſtius cauſa latuerit, arterias ſpermaticas quaſcunque adpellante Graafio, quæ ad teſtes ſanguinem advehunt, ſpermatis elaborationi dicatum, Kerckringio autem illas tantùm nomine hoc donante, quæ communiter ex arteria magna deſcendere conſueverunt. Diemerbrœckius tamen neutri favere videtur, dolumque hîc vel errorem latuiſſe putat, qui procedere ex eo ſoleat, quòd magnam propter arteriarum harum tenuitatem, ſæpe illas per imprudentiam, aut nimiam in ſecando feſtinationem abſcindi contingat, adeoque inveniri ampliùs nequeant. Id quod licet accidere interdum, præfractè haud negaverim, non tamen causam hanc ſemper in medium eſſe adducendam, mihi perſuadeo, cùm in iſta ſpermaticarum abſentia, aliæ tamen ex declivioribus aortæ partibus, uti ramis iliacis & hypogaſtricis, ad teſtes perreptâſſe deprehenſæ fuerint. Venas autem ſanguini tum advehendo, tum revehendo, uno eodemque inprimis tempore, poſſe inſervire, nemo facilè hac ætate conceſſerit, præcipuè in iſtiusmodi exilioribus, ſed longioribus canalibus, quales præparantes iſti venoſi exſiſtunt; Quamvis enim arterias ipſas aliqui in venas inſeri deprehenderint, prout Exc. D. Alard. Hermann. Cummenus Ann. 3. Ephem. Germ. Cur. obſ. 103. in lupo, vulgaribus arteriis ſeminalibus deſtituto, ramum ex arteriæ magnæ ramo iliaco venæ ſpermaticæ implantatum vidiſſe ſe, refert; ſanguinem tamen, quem continebant, venoſo refluo permixtum, in cavam, & indè in cor fuiſſe refuſum, antequam vel nutriendo teſticulo, vel ſemini conficiendo inſervire potuiſſet, maximè eſt credibile; niſi fortè illæ ipſæ arteriæ oſculis ſuis non in venarum cavitatem hiaverint, ſed tenuiori tantùm membranâ ambo vaſa connexa & involuta, reipsâ verò disjuncta, contrarium ſanguini motum conceſſerint.

OB-

OBSERV. CXXX.

Tumor ſcroti rarus.

Senſi ego in auctumno Anni 1671. ſcrotum mihi indies paulatim intumeſcere usq; ad capitis infantilis magnitudinem. Tumor erat undiq; rotundus, ſed paulò longior, molliter intenſus, ita ut ambo teſticuli notabiliter tactui occurrerẽt; nulla exinde mihi moleſtia vel dolor in ſedendo aut ambulando unquam fuit, præter quòd penis, muſculorum pari primo ab humore flatulento è peritonæo affluente laxato, in ſcrotum retraheretur, & urina ſurſum ac arcuatim plerumq; in mingendo proſiliret. Tumoris hujus cauſam humorem flatulentum p. n. extra tunicam erythroidem ſub tunica, darto nominatâ collectum ſuſpicabar, eoq; cùm per ſemeſtre usq; infeſtatus fuiſſem, absque ullius medicamenti interni & externi adhibitione, tumorem hunc per diaphoreſin & transſudationem ſpontaneam per poros cutis exterioris, hoc in loco, paulatim iterum evanuiſſe, credo. Ex obſerv. propr.

SCHOLION SCHRÖCKII.

AD tumorem hunc conſtituendum licet flatulentum humorem ipſa in ſcroti cavitate, tunicam erythroidem inter & dartum dictam, collectum contribuiſſe aliquid, nolim ire inficias, ipſum tamen ſcrotum, & inprimis dartum haud planè inſontia fuiſſe, ſuſpicor; præſertim cùm in hac carnoſa membrana arteriarum numeroſa adſit ſeries, per quas humor ille flatulentus cum ſanguine adfluere ibique deponi poterat, ab obſtructis frigore auctumnali &c. poris, in ætate inſuper jam annis gravata, exitu excluſus. Quin ſubſiſtens tale in ſcroto craſſum & pituitoſum ſerum, ab accedente ſanguine foveri, excitari, reſolvi atque expandi potuit: Qualium ideo flatulentarum intumeſcentiarum, ut plurimorum aliorum tumorum, originem & naturam in fermentatione & turgeſcentia quærere placuit Martino Kergero lib. de ferment. ſect. 3. cap. 3. §. 2. tympaniam in-

 ſpe-

ſpecie ab aëris exitum non habentis expanſione, cujus fermentatio cauſa ſit, deducenti. Auguſtin. Thonerus lib. 4. obſ. med. cap. de tumorib. obſ. 9. in puero ſexenni ſcrotum à dyſenteria valde intumuiſſe, refert, quod tamen reſolventium & carminativorum &c. uſu iterum detumuerit; quæ utique ſi Auctor noſter in uſum trahere voluiſſet, ipſi quoque conduxiſſent.

OBSERVATIO CXXXI.

Scroti totius cum teſticulis exſciſſio.

ANno Chriſti 1659. cujusdam piſtoris ſervus juvenis in oppidulo Bavarico, ad pontem Danubianum Ratisbonenſium ſito, cùm è concionibus quadrageſimalibus à Monacho Franciſcano ibidem peractis, multa de caſtimoniæ laudibus memoriâ concepiſſet, ac in tantam præſumtionem incidiſſet, quòd non niſi exſciſsâ virilitate, caſtus vivere poſſet; die Feſto corporis Chriſti, cùm omnes domeſtici, præter unicam ancillam, ad proceſſionem ſolitam abeſſent, isque dies aliquot melancholicus circumiviſſet, hominum conſortium fugiens, tunc ſolus in lecto permanens, cultrum abſconditum arripuit, ac uno impetu ſibi ſcrotum cum duobus teſticulis, intactâ tamen virgâ, tam exactè abſcidit, ut ne vix veſtigia partis abſciſſæ conſpicerentur. Et licet inſignem vulneris hæmorrhagiam in initio pateretur, attamen intra tres ferè ſeptimanas, adhibitâ decenti curâ, feliciter ſanatus & menti reſtitutus fuit, atq; ulterius in opificio ſuo hîc & alibi inſerviit. Sub praxi propr.

SCHOLION SCHRöCKII.

O Simplicem ſanctitatem! Quamvis non ſolum hunc juvenem dementia illa ceperit; cui nempe meritò ruſtici cujusdam filium, Syntaxeos ſtudioſum, modeſtum quidem, ſed ſcrupuloſum & melancholicum, comitem damus, cujus Malachias Geigerus cap. 9. pag. 74. Microcoſm. hypochondr. mentio-

tionem facit, qui ſtimulis carnalibus admodum agitatus, cultello ſcriptorio easdem partes uno tractu abſcidit; nec non Monachum, ob zelum caſtitatis, colem ſibi pubetenus prorſus amputantem, quem vidiſſe ſeſe, Benivenius cap. 68. de abdit. morb. cauſ. refert. Quibus equidem jungendi videntur, quos Salvator apud S. Evangeliſtam Matthæum cap. 19. vers. 12. ſeipſos, propter regnum cœlorum, caſtràſſe dicit; quod tamen non de membrorum abſciſſione, ſed pravarum cogitationum & libidinis ipſius oppreſſione ac extinctione intelligendum eſſe, rectiùs multi interpretantur; quamvis & ipſe Origenes, voluptates fugiens, Zelo DEI (ſed tamen non ſecundùm ſcientiam) ferro genitalia truncaverit, ut de ejus erroribus in Epiſt. ad Pammachium & Oceanum, adverſus Origeniſtas D. Hieronymus ſcripſerat; quale facinus *truncatorum corporum violentam pudicitiam* eleganter in Epiſt. ad Demetriadem adpellat. Et *maledictioni*, ut rectè perhibet D. Chryſoſtomus homil. 63. in Matthæum, *obnoxius, qui membrum abſcindit, etenim quæ homicidarum ſunt, talis præſumit, & Manichæis, qui detrahunt creaturis, tribuit occaſionem, & eadem cum Gentilibus membra detruncantibus iniqua agit: abſcindere enim membra, dæmoniacæ tentationis eſt, imò ita concupeſcentia non ſit manſuetior, ſed moleſtior.* Adeoque hoſtis hic acerrimus non ferro, ſed precibus & temperantiâ eſt ſubjugandus. Hunc cum frænare neſciret ille apud Felicem Platerum lib. 1. obſerv. p. m. 249. ne novis pœnis, libidini poſitis, ſubjiceretur, à chirurgo utrumque teſtem exſcindi ſibi ſtultè & infeliciter curaverat; cui illud D. Pauli 1. Epiſt. ad Corinth. cap. 7. ℣. 9. dictum fuiſſet obſervandum, melius nempe eſſe nubere, quàm uri, atq; durum illud ac tyrannicum ad remedium, in proprium corpus ſæviendo, confugere; præcipuè cùm hac ratione libidinis flamma non extinguatur, nec tam voluntas, quàm poteſtas ſaltem peccandi tollatur. Hos ſi furoris quadam ſpecie percitos dicerem,

non errarem. Aretæus certè lib. 1. de morbis chron. cap. 6. cùm varias maniæ differentias explicâſſet, aliam tandem ejus ſpeciem ſubnectit, qua laborantes propria membra, tibiæ cantu &c. incitati, dilacerent, piâ cogitatione Diis ſuis tanquam id poſtulantibus gratificantes; quod furoris genus à perſuaſione quadam duntaxat proficiſcatur, cùm in cæteris temperantes ſint atq; modeſti; Qui, ſi credimus Hieronymo Mercuriali lib. 3. Variar. lection. cap. 15. Cybeles ſacerdotes fuerunt, Galli vocati, Corybantes & Curetes. Hanc enim Deorum matrem creditam à ſacerdotibus caſtratis, quod Samiâ teſtâ ipſos feciſſe, Plinius lib. 35. Hiſtor. natural. cap. 12. ſcribit, magno cum tibiarum cornicinumque ſtrepitu fuiſſe cultam legimus; qua de pluribus egit Natalis Comes lib. 9. Mytholog. cap. 5. & 7. Athenienſium quoque Hierophantas, non quidem crudeli vulnere, ſed non excuſandâ magis cicutæ ſorbitione ſe caſtrâſſe, in Schol. ad Obſ. 42. monui. Propriè aliàs dictos maniacos, quos non voluntaria inſania, ſed morboſa corripuerat, ex mentis iſta alienatione, partes genitales ſibi abſtuliſſe, conſtat; qualis fuit Muſicus ille celebris apud Henr. Smetium lib. 10. Miſcellan. Medic. A. 1563. qui pedibus brachiiſque per vincula lata conſtrictus, clanculùm unguibus ſcroto dilacerato, utrumque teſtem avulſerat, mortis tamen factus candidatus; & Sacerdos, quem Paulus Zacchias Tom. 1. quæſt. medico-legal. lib. 5. tit. 2. quæſt. 2. §. 21. teſtes cum ipſo ſcroto ac pene ſibi abſcidiſſe, refert, pariter mortuum, poſtquam eodem furore ductus acubus pectus corque confodiſſet. Nec non alius, cujus hiſtoriam tradit expoſition. in Nard. Ant. Recchi hiſt. animal. Mexic. Joh. Faber pag. 733. & 734. Rabie quoque amoris concitatus ille Oeconomus, cujus Franciſcus Roſſetus lib. de partu cæſar. ſect. 4. cap. 6. meminit, omnia, quæ amoris morbum cauſabant, membra exſtirpaverat. Maniacis quidem (quod & de elephantiacis tradit Aëtius tetrab. 4. ſect. 1.

cap.

cap: 122.) caſtrationem poſſe prodeſſe, nonnulli exiſtimant, præſertim cùm hac ratione temperamentum immutari, fortem animum exui, atque effeminationem induci, Eunuchi teſtes (quamvis inteſtati) ſint indubii; quam curandi viam, poſtquam omnia, potentiſſima etiam remedia, absque emolumento tentata fuiſſent, in adoleſcente quodam maniaco conſuluit Samuel Fomius, apud Lazar. Riverium in obſervat. communic. num. 32. qui à furore quidem liberatus, viciſſim tamen delirium melancholicum incidit; quam imperfectam curationem Mich. Boudewyn part. 1. ventilabr. medico-theolog. quæſt. 24. intuitus, rejicere eandem maluit. A maniacis hiſce non multùm recedunt Adoleſcens ille, Combalus, apud Lucianum, & Nobilis apud Bald. Timæum lib. 3. caſ. medic. 46. quorum ille ad Regis ſui, Seleuci, iram declinandam, atque invidorum periculoſas calumnias arcendas, utrumque iſtud amoris pomum ſpontè exciderat; hic verò inflammatione eorum laborans, & à vehementi dolore in rabiem quaſi actus, arrepto cultello, unà cum ſcroto abſtulerat. Non minùs inſana & ridicula admodum fuit caſtratio piſtoris, cujus hiſtoriam tradit Martinus Akakia Com. ad art. parv. Gal. qui conjugem pudicam & probam de adulterio ſuſpectam habens, teſticulos ſibi amputaverat, teſtes olim futuros impudicitiæ uxoris, ſi fortè ex alio concepiſſet. Quin & parentes, auri ſacrâ fame ducti, filios in Aulis Magnatum ſervituros, & præcipuè vocis jucunditate delicatas aures paſcituros, maſculinâ parte iſtâ privari qui concedunt, maniacis impiâ & graviſſimâ mentis ſuæ depravatione ſunt proximi, imò, voluntariâ dum laborant inſaniâ, longè deteriores. Quot enim pueri carnificinam hanc ſubeant, (ut de infibulatione, compreſſione, contuſione ac compunctione teſticulorum nil dicam,) tum ut vocis ſuavitate placeant, tum Gynæcéis inſerviant, eſt notiſſimum; meritò tamen à plurimis damnatam, atque à Domitiano

alüs-

aliisque prohibitam, quos citat Henr. Salmuth Comment. in Guid. Pancirolli lib. 2. rerum memorabil. tit. 2. pag. m. 89. 93. Nec de caſtratione, quæ in herniarum cura communiter ab Orchotomis iſtis erronibus exercetur, multa proferam; qua min curanda enterocele (niſi inveterata fuerit, maxima, aliisque remediis fruſtra tentata) planè illicitam & periculis plenam Thomas Fienus tract. chirurg. 10. cap. 4. edixerat; cui, niſi hernia fuerit carnoſa, fruſtrà priùs medicamentis tentata, nunquam ſubſcribere debeat Medicus, monente Joh. Sculteto part. 1. Armament. chirurg. tab. 39. Quò magis ergo peccaverat nuper rudis ille apud nos Agyrta, Johann. Brandt, qui civi cuidam noſtrati enterocele ſiniſtri lateris laboranti, dextrum ſanum teſticulum temerario maximè auſu abſtulerat, ipſisque dein Medicis, Conſulari juſſu in ſceleris qualitatem candidè inquirentibus & teſtantibus, contumeliosè inſultaverat. Non admodum diſſimile infortunium à Manticulario [cujus familiæ & iſti ſimiles Errones jam dudum adſcripti,] expertus fuerat ruſticus, ponderoſam collo adpenſam crumenam geſtans, quam nempe caligis reconditam ſimul & ſemel cum membro virili & vitæ filo abſciſſam, perdiderat, uti recenſet Guil. Fabricius Hildanus cent. 3. obſerv. chir. 89. & Chirurgus ille in Anno primo Miſcell. med. phyſ. Gallic. Nicolai de Blegny epiſt. 2. obſ. 6. memoratus, latronum malitiâ penitus genitalibus membris privatus. Sed quod iſtæ rationales beſtiæ fecerunt, ab irrationalibus quoque, porcis nimirum, patratum novimus; ceu illi accidit, quem vidit Gregor. Horſtius, lib. 1. epiſt. med. ſect. 19. qui prima in pueritia teſtes cum pene à morſu porci penitus amiſerat; & qualem Nob. Joh. Theodor. Schenckius Exerc. anat. 8. pag. 646. deſcribit, cui ſub pueritia ad parietem humorem ſaccatum exoneranti ſcrofa cum porcellis per plateas deambulans genitalia avulſerat. Magis excuſandi videntur Nigritæ illi Africani, Caffres dicti, quos ho-

ſtibus

ſtibus devictis atque captivis, ne liberos, pariter olim hoſtes evaſuros, generent, exſcindere genitalia, tradit Hugo Linſchottanus in part. 2. Ind. Orient. cap. 41. Quibus tamen non comparandi Antropophagi illi Americani Canibales, quos hoſtibus ſuis, mactationi deſtinatis, membrum virile amputare, ex Dappero in Deſcript. Americ. lib. 1. cap. 3. eluceſcit. Illa tamen caſtratio, quæ pœnæ loco adjudicatur, præ reliquis omnibus majori æquitate nititur; parte peccante delicti pœnam luente; quod aliquibus olim Gentibus in uſu fuiſſe, Hiſtorici referunt, & in ſpecie de Ægyptiis antiquis Diodorus Siculus lib. 1. teſtatur; Romanorum etiam conſuetudinem adducit Henr. Salmuth Comment. alleg. p. m. 86. 87. idque Perſis adhuc in uſu eſſe, referunt exemplisq; confirmant Cl. Adam. Olearius Itinerar. Perſic. lib. 4. cap. 44. & lib. 5. cap. 38. nec non Petrus della Valle part. 2. Itinerarii ſui, epiſt. 5. qui non didymos tantùm, ſed & ſcrotum ipſa cum virga auferre conſueverunt. Quod etiam Turcarum Imperatoris juſſu, in faciendis Eunuchis obſervari, præter alios, apud Petrum Bellonium lib. 3. obſerv. cap. 29. legitur; quam quoque Aſiaticorum barbariem Busbequius epiſt. 3. memorat. Scilicet cùm exſectis unicè teſtibus, Spadones, quorum miniſterio in Gynæcéis utuntur, rei venereæ peragendæ nihilominus apti fuerint deprehenſi, totam illam externam virilitatem amputando, inidoneos planè ad eam reddere maluerunt. Quamvis ſolis orbatos didymis, ad actum iſtum celebrandum planè ineptos à nonnullis reputari haud ignorem; prout Cl. Thom. Cornelius Conſentinus progymnaſm. phyſ. 5. *non deſunt*, inquit, *qui narrent de mulieribus, quæ ex concubitu cum caſtratis viris aliquando conceperint, quod tamen non minùs difficile ſcitu, quàm factu reor: Quippe non licet exſectis concumbere, niſi cum impudicis mulieribus, à quibus vix unquam extorſeris veritatem.* Et Platerus l. c. quosdam Eunuchos duxiſſe uxores recordatus, de quibus hæ non fu-

 erint

erint conqueſtæ, honeſtatis fortè causâ hoc intermiſſum arbitratur, & ne per divortium, præſertim ſi vir putatus dives, uxor verò pauper exſtiterit, hæc fameſcere cogeretur. Ipſe tamen Conſentinus canem, ab arte inteſtatum, alios generâſſe, ſibi compertum, alii etiam idem de equis & tauris fatentur. Id qua ratione fieri queat, Th. Bartholinus Anatom. reform. lib. 1. cap. 23. edocet, ſcribens: *Supererat ſine dubio in veſiculis ſeminalibus ex teſtium generatione, quod ſemel ſufficeret: ſin ſæpius, jam alter teſticulus fuerat relictus.* Ipſe vidi canem libidinoſum admodum, licet duobus orbatum teſticulis, cui tamen tertius inſuper in inguine latebat, contrectatione facilè obſervandus. Aliàs ſpe prolis Eunuchos quidem fruſtrari, aſt ſemini ſimilem humiditatem emittere, atque ad venerem incitari, rectè cum Bartholino concluditur. Hinc etiam attollere ficulam, opus concupiſcentiæ & caloris vocat Jo. Ant. Lindanus Medic. phyſiolog. cap. 7. §. 40. calorem enim cum ſanguine influum, ſi non ſit nimiùm effeminatus, inflare agitante ſpiritu animali, quem concupiſcentiæ æſtus continenter impellit, unde fiat quaſi naturalis priapiſmus &c. Licet autem ob teſtes ablatos nullus ſeminalis humor excerni poſſe videatur, contrarium tamen indè adparet, quòd ille non à ſolis iſtis ſuppeditetur, ſed etiam à veſiculis ſeminariis proſtatisq; diverſus à teſticulari influat; quæ ſanè partes in caſtratione non auferuntur, adeoque in actu venereo ſemen ſuum effundere poſſunt.

OBSERVATIO CXXXII.

Tubercula in glande penis.

OBſervavi ſub Comitiis Imperii Ratisbonenſibus Anno 1664. *in Nobili adoleſcente phymata ſeu tubercula parva, rotunda, in exteriori parte carnoſa glandis penis ſub præputio pronata,*

ta, ex conſilio medici Galli floccis lintei albi deraſis & ſiccis impoſitis cum ſucceſſu bono diſturbata. Ex obſerv. propr.

SCHOLION SCHRÖCKII.

Φῦμα quid ſit, Joh. Gorræus explicat lib. 21. Definit. med. duplicem ejus ſignificationem ex Paulo Ægineta docens, quarum altera generalis & communis, omnes æquè tumores ἀποστηματώδεις in quacunque corporis parte p. n. exortos denotans, hiſce adoleſcentis tuberculis convenire videtur, à ſero craſſiore in parte iſta ſubſiſtente pronatis; quæ quidem à cauſa aliqua externa fuiſſe oborta, ſuſpicari liceret, ſi per Galenum, cujus ſententiam Gorræus adducit, integrum foret, dum is Comm. 1. in lib. 6. Epidem. tumores hos prorſus ſine cauſa aliqua externa provenire ſcribit, maximè ſi extra corporis ſuperficiem extuberent. Hoc verò non obſtante, ſi tubercula iſta cum verrucis, myrmeciis, & thymis eodem ſub genere comprehendi dicerem, fortè non errarem. Similia ſanè ab impuro coitu propullulare ſolent; in quo ſi virulentus admodum glandi & adnexo præputio adfricetur humor, eò difficiliorem reddit curationem, & non exiguum membro genitali minatur periculum. Talis puſtula omnibus illicò, qui cum proſtibulo illo Bononienſi, cujus apud Joh. Schenckium obſ. med. lib. 4. Andreas Petrus Peruſinus meminit, in glande excitabatur, quâ penis vitæ cum periculo paucis horis arrodebatur, niſi vel ſectione, vel uſtione, etſi dubio ſæpe eventu, occurreretur. Aliàs ubi magna corrupti humoris malignitas non adeſt, nec altiùs radices egit, faciliùs cura ſuccedit; in qua ſecreti loco ſabinam commendat Hieronymus Fabricius ab Aquapendente in Operationib. chirurg. Cui tamen radicis petaſitæ pulverem Adrianum Spigelium prætuliſſe, Cl. Georg. Hieron Welſchius Mictomimet. cent. 2. obſ. 26. monuit; Utrumque autem, præter calefaciendi & ſiccandi facultatẽ, etiam attenuandi ac diſcutiendi virtute pollere, eſt notiſſimum.

 OBSER-

OBSERVATIO CXXXIII.

Phimoſis.

Cùm Norimbergæ adhuc praxin medicam exercerem, hortulani cujusdam puellus biennis propè apiarium cubans ſive dormiens, ab apicula fortè ictus, penis glandem cum ardore dolere, ac intumeſcere ſentiebat, ita ut & præputium vix retrahi potuerit. Quocirca ex conſilio meo, parentes ſtatim linteis lacte vaccino tepido imbutis membrum involverunt, ac ſæpius iterando, extremitatem pennulæ oleo tepido amygdalorum dulcium tinctam foramini glandis, ac inter præputium & glandem inſeruerunt, indeq; puellus brevi fuit ſanatus. Quod & poſtea Ratisbonæ quoque actitavi, dum puer quidam novennis ob pruritum ex adfluxu forſan humoris ſalſi, glandis carnem, retracto præputio, nimis fricaſſet, & inflammationem magnam abſq; ulcere quidem, cum inſigni intumeſcentia cauſaſſet, ut tardè & difficulter glans obtegi quiverit; quem adfectum aliàs paraphimoſim appellare ſolemus. Sub praxi propr.

SCHOLION SCHRÖCKII.

NOn ſordidos tantùm ſcortatores, graviſſima propter fornicationis delicta, hoc phimoſeos malo, ut certiſſimo iræ divinæ indicio, ſæpiſſimè graviter corripi, ipſiusque membri virilis jacturam aliquando incurrere, animadvertit Guil. Fabricius Hildanus cent. 5. obſerv. chir. 58. verùm ipſos etiam miſeros infantes, imò adhuc lactentes, haud eſſe ab eo immunes; cùm nonnunquam ex prava nutricis diæta humor acris ad genitalia infantis decumbat, ibique pruritum excitet; unde propter genitalium confricationem ac urinæ acrimoniam humores flatulenti & pituitoſi ad partes iſtas confluant, præputium mirum in modum extendentes, nonnunquam etiam ab urinæ acrimonia inflammatione ſuperveniente. Quem tamen adfectum duriori rejectâ ineptiſſimorum barbitonſorum methodo, molliori curâ tolle-

tollere monſtrat. Nec tantùm à nutricum errore, ſed & alias ob cauſas eundem, alterumque ei oppoſitum, oriri, ſuaviorique modo fuiſſe edomitum, præſentes Auctoris noſtri Obſervationes docent. Quamvis nec omnes adultos, quos phimoſis vel paraphimoſis vexat, ſordido iſti ſcortatorum numero includere conveniat, cùm etiam (ut de phimoſi ab ipſa nativitate, primæ conformationis vitio, infeſtâ nihil dicam) in primo ac forti conflictu venereo hanc præputium incurrere, Exc. D. D. Jo. Theodor. Schenckius Exerc. anat. 8. pag. 651. ſcribat, atque paraphimoſeos exemplum habeat Hildanus l. c. obſ. 56. ſponſi cujusdam juvenis, nunquam antea venerem experti, cui ex nimia violentia frœnum abruptum atque præputium retrorſum fuit detruſum, maximo cum dolore & totius membri virilis tumore. Sic & juvenem noviſſe ſe ſcribit Petr. Foreſtus lib. 26. obſerv. 7. cui, crebriùs cum nuper ducta uxore venerem exercenti cutis illa, cole valdè inflammato, reduci poſtea non potuerat. Quos tamen leniora tantùm topica facilè curâſſe conſtat: In utroque adfectu, ex fervido coitu procedente, ſi glans tumida remanens diu foveatur aquâ frigidiſſimâ, detumeſcere eam, ſicque præputium attolli vel deprimi poſſe, notat Jo. Riolanus, ſecretum id vocans admirabile, Enchirid. anatom. pathol. lib. 2. cap. 31. Cùm viciſſim ſcortatoribus hoc malo correptis, ob virulentiam, quæ utplurimum iſtis mercedis loco communicatur, impacti humoris difficilior medela communiter obtingat; licet & illos facillimâ quandoque operâ curari, & quendam lactis tantùm muliebris tepidi loturâ fuiſſe ſanatum, ex obſervatione Marcelli Cumani, in Sylloge obſerv. medic. à Welſchio noſtro recenſitâ, compertum ſit.

OBSERV. CXXXIV.

Calculus in meatu urinario commorans.

Civis quidam Ratisbonenſis penè ſexagenarius nephriticis doloribus ſæpius infeſtatus, tandem aliquando calculum in cole vel meatu urinario commorantem ſentiens iſchuriâ inopinatò adfligebatur, cum dolore & tumore membri genitalis notabili; igitur, conſulto Medico, Chirurgus accerſitus, totum membrum externè oleis emollientibus & diſcutientibus tepidè atq; perſæpe illinens, injectoq; oleo tepido amygdalorum dulcium lubricatâ viâ, calculum digitis blandè balanum verſus deducens, terebrâ, quali ſphærulæ ſclopetariæ è vulnere trahuntur, balano inſertâ, calculum oblongum, rotundum, aſperum, nuclei dactylorum figurâ & magnitudine, ſine omni læſione ulteriore tunc exemit, & infuſo poſtea tepidè pro diluendo exaſperatum forſan meatum lacte vaccino, æger ex ærumnoſo hoc adfectu liberatus evaſit. Sed biennio poſt iterum in eundem adfectum cum iſchuria gravi incidens, alio Medico atq; Chirurgo vocatis, ob infelicem curæ ſucceſſum, præ virium imbecillitate & doloris ſævitia, è vita deceſſit. Sub praxi propr.

SCHOLION SCHRÖCKII.

CAlculos in urethram devolutos, vel in eadem concretos, præter dolorum acerbitatem, urinæ quoque difficultatem inducere, crebrior oſtendit experientia; aſt longiori tempore inhærentes nec dolores concitare, nec lotii effluxum remorari, rariores inter caſus meritò reponitur. Tale quid puero cuidam apud Nicolaum Tulpium obſ. med. lib. 4. cap. 34. accidit, cui ab ineunte ætate in medio urethræ ductu, quinque & viginti calculi inſtar maximorum piſorum, ſuccreverant, ne minimo tamen impedimento exituræ urinæ illato; quod pariter haud induxe-

duxerunt illi phaſeoli magnitudine, per tres & quatuor menſes absque dolore retenti, quos vidit Dominicus Panarolus pentecoſt. 5. obſ. med. 29. quales etiam absque ullo inſigni dolore per annum in medio urethræ hærentes deſcribit in Schenckii lib. 3. obſ. med. D. Jo. Bauhinus. Aliàs extractioni eorum invigilandum eſſe, ipſa ratio dictitat, ne temporis progreſſu mole adaugeantur, facilè in ægroti interitum ceſſurâ. In qua tamen peragenda violentiam vitare præcepit Rodericus à Fonſeca lib. 2. de calculor. remed. cap. 10. cùm à partis iſtius ſenſibilis multa agitatione nervorum diſtentiones & mortales excitentur inflamationes. Suctu tutiſſimè calculos etiam aſperrimos elici, Tulpius l. c. lib. 3. cap. 8. teſtatur, unco autem, aliis uſuali, qui glabram nempe urethræ tunicam exaſperet, rejecto. Sic & terebra, à Paræo lib. 16. Oper. chirurg. cap. 39. propoſita, in fruſta calculum comminuens, diſplicet Marc. Aurel. Severino Chirurg. efficac. part. 2. cap. 135. hoc inprimis incommodi pariens, quòd calculus ejus ope diſſiliens urethram graviter allidendo pungere queat. Quam ob cauſam ſatius eſſe putat, inſtrumento ibi deſcripto, vel etiam ſectione factâ eundem extrahere; quam chirurgiam plurimi quoque alii adprobarunt, in loci tamen pro vulnere faciendo electione diſcrepantes, multis infernam, aliis ſupernam, quibusdam lateralem membri partem præferentibus. Aëtius tetrabibl. 3. ſerm. 3. cap. 5. primam illam ex Philagrio non admittit, cùm ferè ſemper in fiſtulam abeat, perq; eam poſtea urina excernatur; quamvis Henrico ab Heer, vulneris conſolidationem impedire, labiisq; ejus callo duratis, foramen apertum relinquere magis placeat obſerv. medic. 7. ut aliis fortè ſecuturis calculis exitus præbeatur: ob fortuitos tamen iſtos eventus, tædioſum talem meatum efficere, haud neceſſarium aut artifice dignum opus exſiſtit. Aëtio verò vulnuſculum ſupernè inflictum magis arridet; aliis tamen pariter improbatum, quòd ex-

cur-

currentia ibi craſſiora vaſa ſanguinea hæmorrhagiæ metum incutiant; quam tamen cauta Chirurgi manus devitare poteſt; cujus ſanè feliciter peractæ curationis ſpecimen præbet Amatus Luſitanus cent. 5. obſerv. med. cap. 91. Hinc plures lateralem præferunt aperturam, quæ vulneris iſtius citiorem, tutiorem, & jucundiorem conſolidationem ſpondeat; cujus quidem ſingulare exemplum ſuggerit Henricus Roonhuſius part. 1. chirurg. obſerv. 27. dum urinario è ductu viginti quinque calculos connatos & piſa mole æquantes à ſocero ſuo, ſectione laterali factâ, eductos fuiſſe, & vulnus intra octiduum perfectè ſanatum, recenſet. Aſt ſi obſervatio hæc eadem ſit cum illa, è Tulpii l. 4 obſ. med. c. 34. ſupra adducta, quod plurimæ circumſtantiæ ſuadere videntur, cuinam ex iſtis fides adhibenda foret major, incertum, dum colem propè lineam intermediam in muſculis urethræ dilatationi dicatis, adeoque in parte inferiori apertum fuiſſe, memorat Tulpius. Nec ſanè negandum, hunc ipſum locum tutò etiam ſecari poſſe; quod aliquot abhinc annis in puero ruſtico duodecenni verum deprehendi, cui Lithotomus noſtràs, Joh. Chriſt. Krönerus calculum, ciceris majoris magnitudine, & multis eminentiis aſperum, ibidem extraxerat, vulnuſculo brevi iterum perſanato. Cæterùm cutem membrum involventem, verſus glandem trahendam, illudque ſupra calculum vinciendum, ne retrocedere is queat, (quod tamen digitis ſupra infraq; impoſitis, commodiùs perficere docet Exc. D. Jo. Jacob. Wepferus in ſchol. 11. ad Ann. 3. Ephem. Germ. Cur. obſ. 167.) plurimi cum Paræo animadvertunt, quò, calculo exemto, laxatæ denuo cutis inque priorem locum remiſſæ pars ſana vulneratum aquæductum contegere, & urinæ ibi effluxum eò faciliùs arcere queat. Sectionem tamen omnem rejicit Johann. Scultetus part. 1. armament. chirurg. Tab. 40. ſi ex anguſtiore loco calculus exierit, puta ex veſicæ collo & orificio, multò magis ex latiore, ut eſt virgæ canalis, eum protrahi poſſe, concludens.

OB-

OBSERV. CXXXV.

Mammillæ juvenis lacte turgentes.

Cùm Monſpelii in Gallia ſtudio medico vacarem, narravit mihi Gothofredus Zehmen, Schleuſingenſis, vir-juvenis doctus, pius, & fide dignus, quòd Pariſiis juvenem viderit, cujus mammillæ præter ſexûs naturam adeo turgebant, ut &, quandocunq; libuerit, merum lac ex illis guttatim expreſſerit. Ex obſerv. propr.

SCHOLION SCHRÖCKII.

Quamvis utplurimum verum comperiatur illud vulgatiſſimum: Lac habet in mammillis; Ergo peperit, vel prægnans eſt; non tamen perpetuam in eo veritatem eſſe, adeoque Virgines rivulis illis dotatas amiſſæ virginitatis ſuſpicionem præter meritum incurrere, vel ex eo ſatis adparet, quòd non tantùm Hippocrates ſect. 5. aphor. 39. expreſsè contradicat: *Quæ neque peperit*, ſcribens, *neq; gravida eſt, ſi lac habet, à menſtruis defecta eſt*, uti Cornel. Celſus lib. 2. de re med. cap. 8. interpretatur, ſed etiam recenter natarum puellarum juvenumque mammillas lacte ſtillâſſe, fide digniſſimorum hominum relatione conſtet, quorum inprimis teſtimonia plura congeſſerunt Exc. Viri, D. Simon Scholzius, & D. Phil. Jacob. Sachſius Ann. 2. Miſcell. German. Cur. obſ. 135. D Gerard. Blaſius Comm. in cap. 9. Syntagm. anat. Vesling. & D. Jo. Chriſtoph. Bitterkraut cap. 10. Threnod. med. Quibus meritò jungimus exemplum à Cl. Jo. Rhodio not. in Scribon. Largum, compos. 82. notatum, quo Veslingium, dum Cairi per quinquennium commoraretur, viros lactantes in Ægypto conſpexiſſe refert. Exc. D. Gregor. Horſtius generoſum quendam vidit Baronem, carnoſum & corpulentum, qui quoties voluit, è mammis lac exprimebat; vid. ejus lib. 1. de Nat. hum. exercit. 7. quæſt. 8. Cui ſimilem conſpexit Nob. D. Joh. Schmidius juvenem, cui mammæ protuberantes

compreſſæ lac reddebant copioſum, aquoſum tamen, ſæpe etiam ſpontaneo fluxu induſia madefaciens; & Vincentius Alſarius Crucius de quæſit. per epiſtol.cent.2. quæſt. 100. à Gaſp. Taliacotio ſibi relatum, ſcribit, dum quendam intra carcerem detentum inviſeret, ex ejusdem mammis lac multum, ſed aquoſum valdè manibus ſuis expreſſiſſe. Ipſe quoque quadrati & obeſi habitûs juvenem, J. V. Candidatum, in Academia Salana noveram, qui prominentibus è mammis ſuis lac poterat exprimere. Imò puellularum mammillas lacteum emiſiſſe humorem, præter exempla tum ex Cardano & Camerario, tum propria obſervatione petita, & à prælaudato D. Schmidio An. 8. dict. Miſc. obſ. 86. propoſita, aliud inſuper Johann. Rhodius cent. 2. obſ. med. 37. exhibuit, Spigelii nempe juſſu A. 1624. in Theatro anatomico obſtetricem puellæ octo dies natæ papillis lac expreſſiſſe. Sic & in brutis idem quandoque deprehenditur; prout Petr. Andr. Matthiolus, tres in Bohemia hircos lac affatim effudiſſe, lib. 3. epiſtolar. auctor eſt; idem de hirco & cane lactante docet Henricus Salmuth Comm. in Guid. Panciról. lib. 2. rer. memorab. tit. 10. pag. m. 215. Quibus addatur canicula Melitæa, quæ nunquam mater, nunquam gravida fuerat, quotidiano tamen felis ſuctu lac tandem copioſum præbuit, deſcripta à Theod. Kerckringio Spicil. anat. obſ. 21. Optimè autem Horſtius l. c. cùm, datâ materiâ & efficiente, ſequi effectum in actionibus partium, præmiſiſſet, Virgines lac generare poſſe, concludit, quia glanduloſa mammarum ipſis adſit ſubſtantia, ad quam materia lactis transmitti queat; & revera transmitti, dicendum, ſi lactis materia ſit chylus, cum ſanguine per arterias thoracicas & mammarias ad glandulas mammarum delatus, [quod inprimis egregiè docet Cl. Thom. Cornelius Conſentinus progymn. phyſ. 6.] earumque vi à ſanguine ibidem ſecretus; ſi itaque arteriarum oſcula laxiora & patentiora exſtiterint, quæ chylo ſeceſ-
ſum

ſum paranti exitum concedant, in ipſis etiam Virginibus lac colligi poſſe, vero eſt conſentaneum; quod etiam in Viris lactifluis locum obtinet, quos ob locorum coarctationem, corporis denſationem, & hinc glandularum parvitatem, Hippocrates lib. de glandul. lac minimè, ordinario ſcilicet naturæ curſu, habere ſcripſerat; quemadmodum viciſſim mulieribus pectus, mam̃as, reliquumq; corpus laxum & molle eſſe, edixerat.

OBSERV. CXXXVI.

Lac muliebre corruptum noxium.

ANno Chriſti 1654. Fæmina quadam nobilis, temperamenti ſanguineo-bilioſi, aliquando poſt partum gemellarum, lichenibus in facie, brachiis & pectore obſeſſa, & doloribus colicis adflicta, nihilominus gemellas lactans, infantes ambæ ventris tormina perſæpe patiebantur, & vix admoti matris ubera abhorrebant, inde ſuſpicio de lacte corrupto orta, quod & colore ſubflavum, ac guſtu amarum inventum fuit. Ideoq; ex conſilio meo, præmiſſo univerſali & alterante in puerperio quidem, catelli lactentes per dies aliquot bis terve, priùs quàm infantes ſugerent, uberibus admoti, & ſic extracto priùs pejori lacte, reliquus lactis liquor albus ac ſubdulcis infantibus ultrà non nocuit; catellorum verò unus cum magna tortura & convulſis cruribꝰ intra biduum vitam perdidit, atq; alter tortis collo ac cruribus miſerè ſupervixit. Sub praxi propr.

SCHOLION SCHRöCKII.

LActe, adpropriato illo à Natura noviter natis infantibus alimento, quæ fœtus proprios, ipſo ejulatu illud præ fame depoſcentes, enutrire recuſant matres, quamvis ad lactandum aptiſſimæ, alienis tamen uberibus eoſdem committentes, ipſi Naturæ repugnare, atque novercarum potiùs mereri titulum, extra omne dubium eſt poſitum; quas acriter propterea multi repre-

 hen-

henderunt, incommodorumque metuendorum gravitatem expoſuerunt; quæ inter variorum morborum periculum, & indolis vitioſæ implantatio præcipuum ſibi locum vindicant. Ut enim genitricis lac infantis conſtitutioni ſimile admodum exſiſtit, cùm integro novem menſium ſpatio, connexione mutuâ, vitam quaſi eandem & unicam hic & illa vixerint, eodemque alimento ſingulæ eorum partes nutritæ fuerint: ita peregrinum adſcititiæ nutricis lac ſugens dein recens in lucem editus infans, magnam eo ipſo ſubire tenetur mutationem, magnâ utpote in lactis qualitatibus, ſubjectorum ratione, occurrente differentiâ; quæ ſanè mutatio in tenello corpuſculo non adeo absque periculi metu eſſe poteſt; præſertim ſi nutrices morboſâ aliquâ laborent labe, quam lucro intentæ ſummoperè celare conantur; atq; hac ratione puerulus ille, apud Lazar. Riverium cent. 2. obſ. med. 95. luem veneream fœdamque ſcabiem à nutrice acceperat; alterque ille, à noſtro Georg. Hieron. Welſchio in Epiſagm. ſuor. obſ. 90. memoratus; palatum penè omnem à veneno, cum lacte nutricis lue iſtâ infectæ hauſto abſumtum tradit Exc. Carol. Raygerus annot. in Jac. Rolandi agloſſoſt. c. 7. Cui videlicet impuritati iſtud hominum genus ſæpius eſt expoſitum, cùm ad lactandi munus famæ utplurimum pejoris feminæ deſtinentur, & quibus ab impura venere talis fœditas facilè communicatur; ut de inordinata earum diæta, quam ſæpe clam, palam frequentant, parùm dicam, cujus damnum in debile lactantis corpuſculum recidit; unde & infantes ex catharticorum à nutrice adſumtione purgari, experientia docet, ab Hippocrate etiam lib. 6. epidem. ſect. 5. monſtrata, ubi cucumeris ſilveſtris & elaterii à muliere & capra comeſtionem, pueris quoque in purgationem cedere innuit. Quantum verò lactis bonitas vel vitium ad indolis ac ingenii ornatum aut depravationem faciat, multorum exemplis multi conantur oſtendere. *Infantes*, ſcribit Exc. D. Sebaſt.

baſt. Wirdig lib. I. Medic. ſpirit. cap. 25. §. 26. *alieno lacte nutriti, utplurimum degenerant, & ad naturam nutricum naturaliſantur; ex lacte & ſpiritibus nutricum aſſumunt naturas nutricum & mores: Lacte humano cicurantur ferociſſima animalia, ob ſpiritus temperatos, quos unà cum lacte ſugunt; ut contra homines ferino lacte educati ferini fiunt & feroces, ut Romuli teſtatur exemplum & Remi. Agnus aliàs balans lacte caprino nutritus hirquit*; ut adeo Huartus in ſcrutin. ingenior. cap. 23. benè cum Platone ex Dialog. de natur. unam earum rerum, quæ maximè ingenium ac bonos hominis mores corrumpat, malam eſſe in eſu potuque educationem ſtatuat, ita ut, ſi cerebrum, ex ſero delicato generatum, craſſis & malè temperatis cibis nutriatur, ſapientiæ adquiſitio non parum indè inhibeatur. Subjungitque Huartus: *Nutrix ſi & conſiderata prudensq́ ſit, multum utilitatis ingenio quoque conferet. Lac enim ejus & calidum & ſiccum eſt: quibus duabus qualitatibus multa illa frigiditas atque humiditas, quam ex utero matris ſecum aſportavit infans, facilè corrigetur.* Licet non ignorem, alium quendam Virum Clar. vanitatem in metu iſto, quaſi mores inoleſcerent, ac indoles ex natura lactis configuretur, arguere; cùm non adeò facilè mores imbibantur, nec conſtitutio ſanguinis vel corporis ita promtè mutabilis ſit, lac quoque in mammis haud ita diu immoretur, ut conformitatem naturæ hauſerit, quia non per modum metamorphoſeos ex ſanguine, ſed ſolà duntaxat ſeparatione ab eodem producatur. Aſt ſi imbecillem in corpore & innatis ſpiritibus recens natorum, facileque à potentioribus adventitiis imutandam vel ſubjugandam naturam; ſi lactis recenter è ſanguine per modum ſecretionis generati, ſpiritibusque vitalibus non planè orbati, adeoque calentis è mammis muliebribus infantis in corpuſculum diu continuatam derivationem conſidero, non poſſum non ab ejusdem ſententia deflectere. Quamvis diligentiori poſtea educatione ceream puerorum naturam

turam mutari, atque pravam ſpirituum inclinationem emendari faciliùs poſſe, non diffitear; quam etiam in crudeliſſimo Nerone poſſibilem fuiſſe, credit Jul. Cæſ. Baricellus in hortul. genial. qui à benigniſſimis progignitoribus oriundus, à crudeliſſima autem nutrice lactatus & connutritus, pravam inclinationem vincere potuerit. Cùm tamen lactis defectus & vitia, mammarum ulcera, aliaque poſt puerperium invadens morborum cohors, non mox emendari ſemper apta, quin & circumſtantiarum aliæ, matres, quò minùs lactationi prolis ſuæ vacare poſſint, interdum prohibeant, easque excuſent, nihilominus tamen lacte humano nutrire infantem ſi adſit voluntas, haud parva in nutricum electione adhibenda eſt circumſpectio; de qua Cl. Dan. Sennertus tract. de infant. curat. part. 1. cap. 1. Ill. D. Franc. Ignat. Thiermair lib. 1. conſil. medic. cap. 2. in ſchol. Rodericus à Caſtro lib. 4. de nat. mulier. cap. 12. aliique videri poſſunt.

OBSERV. CXXXVII.

Malacia fœminarum.

Cùm Noribergæ adhuc praxi operam darem, accidit, ut mulier quædam gravida, cùm in foro publico tranſiret tabernam piſcium induratorum & ſalſamentorum, conſpecto dolio halecum muriâ conditorum, malaciâ ſtatim, prægnantibus conſuetâ, infeſtata, halecum ex muria crudorum ita penè duodecim, ſine omni noxa & ventriculi offenſa eſitaverit.

Alia quoq; gravida ibidem ad macellum ambulans, cùm videret hominem nudis cruribus ad balneum in vicinia feſtinare, inſtanter rogavit, ut ſuræ nudæ morſus binos concederet infigere, poſito pretio; uno conceſſo, ſed altero præ dolore denegato, fœmina mœſta abiens paucos poſt dies gemellos peperit, unum vivum, alterum demortuum.

SCHO-

SCHOLION SCHRÖCKII.

DEpravatus adpetitus, quem picam vel malaciam vocant, in quàm varia inſolita, abſurda & noxia feratur, abunde ex hiſtoriis notum; hinc piſces & gammaros vivos, angues, lacertas, araneas, lanam, corium, pelles crudas, crines, ſtercora, tartarum, atramentum, frumentum crudum, lignum, carbones, picem, reſinam, ſtramen, goſſypium, ſtupam, fila, chartam, ellychnia & emunctoriorum contenta, lapides, arenam, lutum, terram, cretam, rubricam, fictilia, calcem vivam, ceſpites ſulphureos, glaciem, ceruſſam, plumbum &c. quasdam devoràſſe, legimus. *Mirum*, ut cum Marcello Donato lib. 4. medic. hiſtor. mirab. cap. 1. loquar, *avidiſſimè expeti, quæ aliàs ſano guſtu & ventriculo exſiſtente, aſpernari ſolent, imò ita abhorrere, ut ne tantillum, quamvis magno pretio pollicito, deguſtarent.* Hæc ſcilicet animi quandam imbecillitatem, errorem, vel delirium arguunt, ſuavitatem aliquam in rebus inſuaviſſimis ſibi imaginantis. Quamvis enim ventriculi fermentum à conſtitutione naturali recedens hîc occurrere, negari minimè poſſit, adeoque res illæ inſuetæ medicamenti ſæpe vices ſubire queant, ita ut vitioſum eſurinum humorem emendare, obtundere, ac quaſi præcipitare valeant, unde etiam mirabiles Pulveris cachectici in morbo hoc percurando effectus reſultant, tantopere à Laz. Riverio cent. 4. obſerv. med. 93. commendati; phantaſiæ tamen læſionem concurrere, utiq; certum eſt; quam eleganter expreſſit D. Bernhardus Swalve ventric. querel. & opprobr. p. m. 292. ſtomachum his verbis, electivum certorum ciborum adpetitum explicantem, producens: *Simplex certè meum expletionis deſiderium eſt maneťq. Cerebrum imagine hujus vel illius capitur, diſtinguit ac dijudicat*; Cujus deliramenta ex aliis ejus perverſis inclinationibus abundè conſpicitur, & præclaris exemplis ab Henr. Salmutho cent. 1. obſ. med. 41. & cent. 2. obſ. med. 63. illuſtratur, feminæ nempe

pe partui proximæ, libidine barbam lanii proceriorem vellicandi captæ, & virginis, quæ fœtore veterum librorum à blattis & tineis exeſorum, ſituque prorſus corruptorum unicè delectabatur, illisque naſum totos dies immittebat; Sic & aliorum naſum allii, ſterquiliniorum, aſæ fœtidæ &c. odori inhiare notum eſt. Conferantur quoque binæ obſervationes à Nathan. Fairfax in Act. philoſoph. Angl. Num. 29. cap. 5. §. 5. productæ, mulieris videlicet ventum ex follibus, & alterius fragorem carbonum foſſilium pedibus contritorum adpetentis, ideoque phantaſiæ in cerebro aberranti à Viro Clar. adtributæ. Hinc adfectum illum, præter medicamenta humoris fermentalis diſcraſiam emendantia, rationis adminiculo exſtirpare ſtudent Medici, periculum ab inordinato iſto adpetitu metuendum exponentes, alioque modo ſpiritus in rectam viam reducentes: qua ratione virginem pellium illarum argenteo vel aureo colore nitentium deſiderio captam, dolo & artificio curatam memorat Dominic. Panarolus pentec. 3. obſ. med. 28. Qualis verò potentia ſpiritus, cerebri incolas, ad miras iſtas voluptates diſponat, dictu eſt perquam difficile; cùm conſuetudo quidem in nonnullis, (quæ ſanè in puellis, cretæ &c. eſui, ad putatitiam formam & pallidam elegantiam inducendam, primò ſtudentibus, poſtea ſenſim adſueſcentibus deprehenditur, ab Ant. Günth. Billichio lib. 2. obſerv. ac paradox. chimiatr. cap. 12. hunc in modum reprehenſis: *Qui plumbum voraret, nemo hactenus tam fuit plumbeus, præter virgunculas fatuas ac ſtolidas, quibus non ſatis erat ceruſſatam habere faciem, niſi & in ſtomacho vim fuci experirentur, plumbarentque interanea. Sic periiſſe juvat, & ob cadaveroſæ formæ infelix aucupium marceſcere* &c.) non ſemper tamen locum hîc inveniat; ut adeo ſingulari idioſyncraſiæ locum primarium concedendum eſſe, optimè determinet Ill. D. Academiæ Naturæ Curioſor. PRÆSES, D. Joh. Michaël Fehrius in Ann. I. Miſcell. Curioſ. obſ. 83.

Cæte-

Cæterùm imaginationis vitioſæ luculentum etiam exemplum præbet deſiderium carnis humanæ, non cujusvis, ſed hujus vel illius ſubjecti, in altero exemplo ab Auctore noſtro propoſitum; quod depravati & laſcivi animi ſignum meritò vocat Rodericus à Caſtro lib. 3. de morb. mulier. cap. 9. atque haud dubiò ſimilibus adpetitionibus naturalibus laborare plerasque omnes, jocatur, quem tamen adpetitum ratione moderentur & evincant prudentiores, conſtantes atque honeſtæ. Quibus itaque nec gravidam illam adnumerare licebit, cujus Ludovicus Vives com. ad cap. 25. lib. 27. D. Auguſt. de civit. Dei meminit, morsûs cervicis juvenis cujusdam denudati ardore flagrantem, & quæ abortum penè feciſſet, nî, avidè infixis dentibus, memordiſſet; nec illam, quam, ex Parentum ſuorum relatione, brachium viri cujusdam ter momordiſſe, eodemque die tres infantes enixam fuiſſe, Salmuth c. 1. obſ. med. 41. recenſet, nec non quam Joh. Langius lib. 2. epiſtol. medic. 12. morsûs humeri piſtoris denudati, alteramq; nudi pedis ſacerdotis, ut & aliam maritum ipſum percharum devorandi deſiderio captam refert; quibus quoque addenda Donati hiſtoria de gravida, morſu viri cujusdam toroſi & ſucculenti armos adpetente, & poſt primam avulſam carnem, à nova laniena cùm repulſa fuiſſet, præ mœrore ac dolore gemellos parturiente, uno vivo, altero mortuo; id quod etiam in Auctoris noſtri obſervatione, & prima illa ex Langio indigitata contigit. Cujus eventûs cauſam Donatus in ſpiritus vitales ex mœrore imminutos, atque humores fœtui alendo deſtinatos aliò averſos, nec ad uterum delatos rejicit, unde infantem alimento, quo illum mater explere voluerat, vel elangueſcere, vel emori contingat, Quamvis ubi, ſanguinem ſpiritibus vitalibus dotatum, & humorem nutritium uno eodemque tempore æqualiter ſemper ad gemellorum utrumque ferri, nec, uno per alimentum refecto, ad alterum demum idem transmitti, conſideramus, ratio

tio hæc exigui ſit momenti, meritoq; abſtruſiorem aliquam ſubeſſe cauſam, neceſſum ſit; modò eventus in iſto fœtûs vivi ac mortui partu fortuitus non exſtiterit.

OBSERV. CXXXVIII.

Clitoridis mira excreſcentia.

Ruſticæ cuidam Bavaricæ clitoris in tantum excreverat, ut longitudinem dimidii cubiti adæquaret, in craſſitie verò pollicem viri robuſti, atq; ſic impedita vix erecta incedere, aut munia ſua domeſtica exquiſitim obire poſſet. Idcirco A. 1659. Ratisbonæ in auxilium vocatus chirurgus & lithotomus Auguſtanus, David Schafnerus, unico inflictu mulieri huic clitoridem usque ad pubem abſcidit, adhibitisq; ſanguinem ſiſtentibus ac epuloticis, intra breve tempus eam decori naturali reſtituit; pars abſciſſa autem corrugata poſtea brevitate ſuâ anteriorem pollicis articulum vix æquabat. Ex obſerv. propr.

SCHOLION SCHRÖCKII.

CLitoridis corpus, exiguum ſatis tam junioribus, quàm adultioribus eſſe proceſſum, leviter inter nymphas prominentem, in demortuis verò, diſſipatis ſpiritibus, vix emicantem, ex Anatomia conſtat; quam utplurimum uvulæ non relaxatæ magnitudinem ferè per naturam obtinere, Regnerus Graaf tract. de mulier. organ. generat. inſervient. cap. 3. tradidit. Nonnunquam tamen excreſcere admodum, legitur; quod modò naturali quaſi ex incremento, absque ſubſtantiæ vitio, contingit: modò revera morboſa tota exſiſtit; qualem Auctoris noſtri recenſitam fuiſſe, non eſt dubium; Quo reducendæ non minùs: illa dimidii digiti magnitudine, in tumorem deſinens, pilæ luſoriæ parem, undique verrucoſum, à Cl. Joh. Rhodio cent. 3. obſerv. med. 42. deſcripta: porrò deformis illa, collum anſerinum craſ-
ſitie

ſitie & longitudine æquans, ex Platero in obſervationibus Schēckianis producta; Sic & in Ægyptiis quibusdam mulieribus colli anſerini magnitudine prominentem vidit Veslingius, populare illud vitium eſſe cenſens, ut habet Rhodius l. c. unde etiam antequam exuberet, ab iisdem amputari, tunc præcipuè cùm nubiles virgines ſunt elocandæ, jam olim Aëtius tetrab. 4. ſerm. 4. cap. 103. ſcripſerat, ipſo quoque chirurgiæ modo addito; quo ſpectat etiam tumor aquoſus in Epiſagm. obſ. med. 78. ab Exc. Georg. Hier. Welſchio memoratus; ut & quod ex Antonio Menjoto Illuſtr. Thom. Bartholinus cent. 3. epiſt. med. 94. notat, in furore ſcilicet uterino φλόγωσιν concipere eandem & maniſeſtè tumere. Illius verò, quæ præter molis exceſſum, nihil præternaturale habet, exemplum tradit, præter alios, Dominic. Panarolus pentecoſt. 4. obſerv. med. 4. in meretrice Picena, pueri 12. annorum mentulam æmulantis, & ex frequenti fricatione ad talem magnitudinem productæ, nec non Nicol. Tulpius lib. 3. obſerv. med. cap. 35. ad longitudinem dimidiati digiti vel quandoque etiam longiùs excedentis, ſuaq; craſſitudine colem puerilem haud malè referentis; quo utroque laſcivæ feminæ iſtæ, in ſexùs virilis æmulationem nefandè abutentes, Tribades, à D. Apoſtolo Paulo in epiſt. ad Roman. cap. 1. ℣. 26. Bartholini judicio lib. 1. Anatom. reform. cap. 34. reprehenſas, ſeſe præſtiterunt. Et hanc particulæ illius excreſcentiam, hermaphroditarum ſpeciem in quibusdam mentiri, non eſt dubium; quod exemplo Graafius l. c. illuſtrat, tantam nempe in infante cum membro virili ſimilitudinem habuiſſe, referens, ut ab omnibus maſculus fuerit creditus, fraude tamen naturæ poſt mortem ab adcurata partium diſſectione detectâ.

OBSERV. CXXXIX.

Ruſtica imperforata.

Par conjugum ex plebe ruſticana ſe invicem Ratisbonæ coram Conſiſtorio Epiſcopali, de impotentia maritali coarguentes, divortium petebant. Præſes conſiſtorialis, poſt multas altercationes, ad certiorem litis deciſionem, per certas perſonas, more veteri, utrorumq; conjugum inſpectionem corporalem decreverat. Quâ factâ, culpa in uxorem recidit; hæc etenim præter naturam, licet vicennali major ætate fuerit, imperforata inventa eſt. Igitur per chirurgum ex artis lege inciſio facta, poſthinc concordes ſatis in conjugio iſti vixerunt, atq; liberos progenerarunt. Ex obſerv. propr.

SCHOLION SCHRÖCKII.

EX hoc, imperforationem ſive arctationem non ſimpliciter ſolvere matrimonium, abunde eluceſcit, ſi nimirum arte ſit curabilis; qua de materia inprimis prolixiùs egit Paul. Zacchias tom. 1. quæſt. medico-legal. lib. 3. tit. 1. quæſt. 7. & tom. 2. lib. 9. tit. 3. quæſt. 5. ac tit. 9. quæſt. 2. §. 16. nec non tom. 3. conſil. 72. ubi absque ullo dubio talis atreta chirurgiæ ſeſe ſubjicere tenetur; confer Mich. Boudewyns Ventilabr. medico-theol. part. 2. quæſt. 19. Inprimis verò tutò ſatis fit operatio, ſi exteriùs, nec profundè admodum pudenda ſint connata, membranâque tegantur, facilè cultello diſcindendâ; quod duabus in puellulis obſervâſſe ſe, & miniſterio lithotomi corrigendum curâſſe, ſcribit Nobil. Jo. Henr. Meibomius Commentar. in jusjurand. Hippocr. cap. 15. §. 41. Varia etiam unitorum ab ortu vulvæ labiorum ſectione curatorum exempla habent Clar. Henricus à Moinichen obſerv. anatom. 13. Jo. Nicol. Binningerus cent. 2. obſ. 61. Philipp. Grulingius curat. 5. Job. Meckeranus obſerv. chirurg. cap. 52. Henr. Roonhuſius hiſtor. chirurg. lib. 2. Guil. Fabricius Hildanus cent. 3. obſerv. chir. 60. & 61. Hieron. Fabri-

bricius ab Aquapendente in Operat. chirurg. Petr. Foreſtus lib. 26. obſerv. 7. & lib. 28. obſ. 55. Rodericus à Caſtro lib. 1. de morb. mulier. cap. 1. & Balduin. Ronſſæus epiſt. medic. 14. Aſt penitiores ſi partes occluſæ fuerint, atque poſt ulcus magnum malè curatum firmiter unitæ partes callum jam contraxerint, difficiliùs, interdumq; nullatenus ſuccedit curatio; cujus ſpecimen in muliere exhibet Felix Platerus lib. 1. obſervat. cui à difficili partu orificium uteri coaluerat, fruſtra cauterii potentialis ope tentatum, cervice uteri poſt mortem ſpiſſiſſimâ ac veluti cartilaginosâ, & transverſi digiti craſſitie concretâ adparente; exemplum tamen talis ex partûs difficultate, gangrænam inducente, clauſuræ feliciter ferro ſublatæ l. c. habet Roonhuſius. Ut adeo ad has potiùs, quàm illas Gaſp. Taliacotii opinio trahenda ſit; quâ chirurgicas inter operationes cum exitio frequenti, & ſævis cruciatibus conjunctas, illam quoque membrorum genitalium coalitionem in mulieribus concernentem recenſet, lib. 1. de curtor. chirurg. cap. 20. Ipſam verò curationis rationem tum alii, tum Aquapendens, Roonhuſius, Rodericus à Caſtro l. c. & Joh. Scultetus part. 1. armament. chirurg. Tab. 43. edocuerunt.

OBSERV. CXL.

Menſtruus fluxus per oculos.

MEmini puellæ ſeptennali Norībergæ ſingulis menſibus per ſemeſtre, vel ultra, ritu menſtruorum communi, ex oculis humorem loturæ carnium ſimilem guttatim emanâſſe, purgato tamen corpore, & adhibitis cucurbitulis cum ſcarificatione, malum hoc ceſſâſſe, ac dum ea tredecimum ætatis annum attigerat, juſto demum tempore menſtrua per uterum ritè fluxiſſe. Sub praxi propr.

 SCHO-

SCHOLION SCHRÖCKII.

MEnſtrua, determinato à Natura fonte neglecto vel obſtructo, variis è corporis partibus, quâ datâ portâ, exitum moliri, uti è capitis vertice, naribus, gingivis, dentibus, ore, mamis, umbilico, alvo, inguine, manu, genu, pede, talo &c. Practicorum obſervationes & experientia monſtrant. Per oculos etiam egreſſa, præter Auctoris noſtri exemplum, Excell. D. Thom. Bartholinus cent. 1. hiſtor. anat. 16. notavit, à Dominico Sala feminam quandam plethoricam fuiſſe curatam, ſcribens, cui ex oculi angulo fluxerant. Eundem ſanguinem, guttis ſanguineis, lachrymarum inſtar, ex oculis erupiſſe in virgine ſanguinea, ſedecim annos nata, Rembert. Dodonæus cap. 15. obſerv. med. recenſuit; quem, ut & Salom. Albertum orat. de ſudore cruent. Ludov. Mercatum lib. 1. cap. 7. de mul. adfect. & Ant. Mus. Braſavolum comm. ad aphor. 25. ſect. 4. Hipp. ſimilis fluoris teſtes adduxit Schenckius lib. 4. obſervat. medic. Sanguis nempe in muliebri ſexu, ob fœtûs generationem abundans, ubi conceptio facta non eſt, ſingulis menſibus, ſingulari Naturæ providentiâ & conatu, efferveſcentiam aliquam vel fermentationem ſubiens, extra uterum evacuatur atque depletur; cujus vaſis quacunque ex cauſa obſtructis & exitum denegantibus, ſanguis ille in orgaſmo conſtitutus, alias vias tentans, in debiliori aliqua parte, ac ubi ſanguiferorũ ductuum oſcula magis patent hiantq;, tandem erumpit; qui extraordinarius fluxus moleſtus cùm ſit & conceptionis impedimentum adferre queat, meritò curam requirit medicam; quæ tam in obſtructione uterina reſeranda, quàm ſanguine ad loca iſta revellendo conſiſtit; ubi inprimis Venæſectionem in talo utilem ſæpe operam præſtitiſſe, compertum habetur.

OBSER.

OBSER. CXLI.

Uteri hæmorrhagia lethalis in gravida.

ANno 1673. Ratisbonæ Matrona quædam nobilis & ingenua fœtu gravida, quinto conceptionis menſe hæmorrhagiâ uteri improviſò adfligebatur tam vehementi ac immodicâ, cum virium debilitate, ut ſæpius in animi deliquium incideret, & pro agonizante haberetur, fœtu tamen ſemper ſe in utero naturaliter movente; cui malo quidem venæſectione atq; variis & nobiliſſimis medicinis obviam itum fuit, ſed omnia penitus incaſſum, ac fluor iſte per iteratas vices usq; ferè ad ultimum geſtationis menſem continuavit, quo fœtus demum debilitatus in utero ſubitò moriens, matri quoque mortem attulerat. Sub praxi propr.

SCHOLION SCHRÖCKII.

QUanquam ex menſtruo ſanguinis ceſſante fluxu non minimum factæ conceptionis ſignum deſumatur, multoties tamen illud fallere, quotidiana docet experientia; prout etiam ingravidatio ex eodem, ſtato tempore redeunte, haud infallibiliter negatur; cùm non tantùm præter naturæ intentionem uteri hæmorrhagiæ, absque inſequente abortu, quandoque accidant; ſed in multis etiam plethoricis, tum in principio graviditatis, tum toto geſtationis tempore, nullâ tamen indè in embryonem noxâ redundante, ſed ipſiusmet potiùs in ſalutem, à copia ſanguinis aliàs facilè ſuffocandi, aut alia in graviſſima ſymptomata conjiciendi, Natura à ſuperfluo ſanguine ſeſe eâ ratione liberare ſtudeat; ubi inprimis rarum admodum notari meretur exemplum in Anno III. Ephem. Germ. Curioſ. obſ. 348. propoſitum, gravidæ ſcilicet, cui nunquam menſes fluxerant, niſi cùm prægnans eſſet, & cùm fluere inciperent, factæ imprægnationis certum ſignum dederant. Unde Hippocraticum aphoriſmum,

ſect.

ſect. 5. aphor. 60. exceptionem pati, atque de eo ſolùm, quod ſit utplurimum, & cum vehementia, intelligendum eſſe, patet, quo nempe, menſtruis purgationibus curſum ſuum in prægnante tenentibus, benè valere fœtum, impoſſibile eſſe, judicat; non tantùm quòd ſanguinis in orgaſmo conſtituti efferveſcentia ſive fermentatio ipſi etiam fœtui, eidem cum matre circulationi ſanguinis expoſito, communicetur, ideoque varios morbos à motu illo concitatiori oriundos, producere valeat, ſed etiam placentæ uterinæ ab ipſo utero ſeparatio hac ratione ſit pertimeſcenda. Quamvis enim ſint, qui menſtrui ſanguinis rivulum non ex ipſo utero, ſed ejus tantùm vagina & collo oriri ſtatuant, communi tamen naturæ curſu ex ipſa uteri cavitate exſtillare, rationibus & experimento confirmat Regner. Graafius cap. 9. tract. de mulier. organ. generat. inſerv. Licet & hîc diverſis experimentis ſuffulti alii, contrarium adſerant, quos inter eſt Reald. Columbus lib. 6. Anatom. & Sever. Pinæus cap. 2. de gravidit. & partu natur. Ubi ſanè, nemini ut fidem detraham, utrumque locum fluxui iſti eſſe expoſitum, dicere licebit, ita ut ille modò ex ipſo utero, modò ejusdem collo, modò ex utroque accidat, prout natura huc vel illuc magis inclinat, viasq; laxiores & patentiores hîc vel ibi invenit.

OBSERVATIO CXLII.

Partus faciles.

MEo tempore Matrona quædam nobilis & perhoneſta fuit Noribergæ, Juriſconſulti ac Conſiliarii cujusdam uxor, quæ quotiescunq; pariendi hora inſtaret, ſemper ſtando, cum dorſo menſæ innixa, ad partum laboravit, & ſub labore pro mitigandis partûs doloribus, micas panis ex hydromeli continuò manducavit, facilè ſic feliciterq; ſemper levata fuit.

Item.

Itemq́; mulieres quasdam villicanas vidi, quæ Noribergæ in horto meo ſuburbano, tempore belli Svedici hoſpitabantur; eæ poſt levem partûs nixum, ſtatim è lecto ſurrexerunt, ipſæq́; è partu recentes, vitulum, vel juvencam, vel nefrendem propriis manibus ſuis mactârunt, cubiculum mundaverunt & lavârunt, pro epulo ſolemni, rurſumq́; tunc ſe lecto committentes, ſtrenuè cum compatre & cæteris invitatis compotârunt ac comederunt, ſine omni fatigatione atq́; ſanitatis noxa. Ex obſerv. propr.

SCHOLION SCHRÖCKII.

LIcet Divinum illud decretum de partûs doloribus, in pœnam inobedientiæ, muliebri ſexui impoſitis, omnes gravidas in fœtûs excluſione ſubire, nemo dubitare queat, majores minoresve tamen illos, pro variarum circumſtantiarum ratione, eſſe, ſimul notum eſt; ut ita ipſe etiam partus, qui facillimè abſolvitur, dolorificus exſiſtat, atque illos maximè falli, aliosque decipere, crediderim, qui de Americanis, aliisve quibusdam remotarum terrarum mulieribus perſuadere conantur, easdem absque ulla moleſtia vel dolore fœtus ſuos excludere; quam ſanè fabulam ex gentium iſtarum conſuetudine ſibi finxerunt, poſt editum nempe in lucem infantem ſe mox lavare eas, adque labores conſuetos utplurimum ſeſe conferre, obſervantes; id quod robuſtæ feminarum illarum naturæ, & partium genitalium naturali amplitudini ac laxitati, ipſisque etiam infantibus firmiorem corporis conſtitutionem nactis adſcribendum eſſe, hariolari licet: quin & mulieres illæ adſuetæ cùm ſint laboribus, ob idipſum, judicio Ariſtotelis lib. 4. de generat. animal. cap. 7. partum faciliorem experiri, dicemus. Quæ ſanè cauſæ, aut quæ plures poſſunt eſſe aliæ, in villicanis quoque iſtis, ab Auctore noſtro memoratis, locum habent. Quod ſi quandoque inſciæ mulieres pariant, laboresq; in enitendo haud perſentiant, easdem eoipſo tempore aliis doloribus majoribus, alteros illos quaſi minores

obfuſcantibus, vel morboſâ quadam inſenſibilitate laborare, credibile eſt; qualia exempla apud Auctores occurrunt, mulieris præcipuè prægnantis, in Nicol. Tulpii lib. 1. obſerv. medic. cap. 10. tam acerbis nervorum contractionibus adflictæ, ut pepererit, ignara tamen partum illum à ſe editum.

OBSERV. CXLIII.

Partus difficiles.

PErſæpe obſervavi, partus difficiles fieri non ſine matris & fœtus vitæ diſcrimine, cùm funiculus umbilicalis infantis collo, vel cruri ſimul & alteri, vel utriſq; obvolutus invenitur aut ſentitur, & niſi in tempore ab obſtetrice evolvatur, ſub enixu infans facilè ſtrangulatur.

SCHOLION SCHRÖCKII.

IN naturali & genuino partu duo requiruntur, quæ ſibi invicem operas mutuas præſtent; nempe parturiens mater, & pariendus fœtus. Qui ambo niſi ad hoc negotium parati fuerint, vix felix ſuccedit partus: verba ſunt Magni Guil. Harvei in Exercit. de partu. Quæ omnia prolixiùs deducere, cùm difficilioris partûs cauſæ paſſim doceantur, haud opus eſt; ex fœtus ſaltem parte quæ contingit difficultas, ob funiculi umbilicalis collo circumvolutionem, paucis hîc conſideranda. Iſta enim vaſorum umbilicalium congeries ex uterina placenta procedens, ſupra frontem embryonis naturaliter utplurimum fertur, atque reflexa per occipitium decurrens, ad umbilicum dein ſolet deſcendere, ſi itaque anteriori etiam parte delabatur, collumq; circumdet, quia hac ratione brevior evadit, fœtum retrahendo, vel ſimul ſecundinam cum fœtu ad exitum rapiendo, partum reddere difficilem, imò in ipſo egrediendi conatu embryonis fauces laquei inſtar conſtringere, eumq; ſtrangulare poteſt. Sic Ill. Thom. Bartho-

linus

linus collo aliquoties circumductum vidiſſe ſe, lib. 1. Anatom. reform. cap. 27. teſtatur, unde ad horas pluſculas dilatus fuerit partus, prodiensq; infans vix ſpiritum traxerit. Cujus etiam exemplum in nepote ſuo recenſet Stephanus Rodericus Caſtrenſis Exercit. medic. 21. qui cùm ex materno clauſtro egredi tentaret, laqueus ille collo circumvolutus, cum ſuffocationis metu, conſtringebatur, unde infans ab exeundi impetu aliquoties retrahebatur, donec tandē obſtetriciâ manu aliquantulum eo relaxato, lividus omninò & penè ſuffocatus hic in lucem prodierit. Et Clar. Joh. Bauhinus apud Joh. Schenckium lib. 4. obſ. med. ſimilem periculoſam circumvolutionem, bis terve collum ambientem obſervaverat. Nec minori multùm diſcrimine caret, ſi idem funiculus ipſum etiam corporis truncum circumdet; cujus ſpecimen matri ac fœtui letale exhibet Guil. Fabricius Hildanus cent. 4. obſerv. chirurg. 57. ubi vaſa umbilicalia non tantùm bis ita circumducta fuerant, ſed & brachium ſiniſtrum cum crure dextro eidem colligaverant.

OBSERVATIO CXLIV.

Partus numeroſi.

A*Nno Chriſti* 1538. *femina perparvæ ſtaturæ, textoris uxor in pago* Kleinreuth/ *prope Noribergam, uno partus nixu duos filiolos, & duas filiolas ediderat, omnesq; baptiſmate ſacro lavati.* Ex Chronico MSto Noriberg.

Anno 1628. *Noribergæ piſtoris cujusdam filia ab Italo quodam conſtuprata, tres filiolos uno partu enixa erat, hoc percipiens ipſa latè exclamavit, ſe quoq; ab inſultatore ſuo, mercedis loco, thalerum tribus iconibus maſculinis inſignitum accepiſſe.*

Anno 1644. *die* 14. *Januar. Matrona perhoneſta Noribergæ, cùm in conjugio frequenter, & quidem ſemper unicum ſaltem fœtum pro-*

  pro-

protuliſſet, demum tres filiolos vivôs unico partu in lucem edidit, qui omnes ſacro fonte tincti fuerunt; matre verò interea ob virium lapſum è tanto pariendi labore, penè agonizante, ſed analepticis maturè adhibitis reſtitutâ.

Anno 1648. *die* 21. *Octobr. Noribergæ lanii cujusdam uxor uno partu unicum filiolum & duas filiolas in lucem protulerat, qui omnes quoq́; baptiſmate tincti fuêre.*

Anno 1670. *die* 25. *Aprilis ſartoris cujusdam uxor ibidem tres unico quoq́; partu filiolos ediderat, qui omnes vivi fonte ſacro lavabantur.* Ex obſerv. propr.

SCHOLION SCHRÖCKII.

EXempla numeroſi partûs plura occurrunt, quorum multa collegerunt Marcell. Donatus lib. 4. de medic. hiſtor. mirab. cap. 24. Johann. Schenckius lib. 4. obſerv. medic. Henr. Salmuth comment. in lib. 2. Pancirolli tit. 10. Ludov. Bonaciolus de fœtûs format. cap. 6. & 9. Thom. Bartholinus de inſolit. part. viis cap. 19. & Welſchius noſter obſerv. medic. epiſagm. 75. nec non in addend. ad h. l. Monſtra inter taliter natos refert Rodericus à Caſtro lib. 3. de natura mulier. cap. 11. cùm maxima ex parte mulieres unum duosve tantùm fœtus, juxta mammillarum numerum pariant; Quod tamen nimis liberè atque juſto duriùs ſcriptum videtur, qui non monſtra inter, ſed rariora Naturæ contingentia referre debuiſſet: Nec mammillarum numerus huc quidquam facit; quia communiſſimè unius tantùm fœtûs generationi in qualibet femina favet Natura, nec tamen unicâ tantùm mammâ tales inſtruit; aliàs ſanè, ex hoc fundamento, unius fœtûs generatio ëtiam monſtroſa eâdem facilitate dicenda foret. Cæterùm ſeminis abundantiæ & diſtinctioni, vel uteri diverſis loculis tam multiplicis fœtûs productionem eſſe adſcribendam, ſunt qui ſtatuant; quæ tamen rectiùs per noſtri ævi experimenta anatomica, vel in multa ex uno pluribus-

ve

ve brevi iteratis congreſſibus venereis fœcundata ova muliebria, vel aliquot uno in ovulo, ex Naturæ luſu occurrentes cicatriculas, referri poſſet.

OBSERVATIO CXLV.

Fœcunditas mira.

Circa annum Chriſti nati milleſimum, quadringenteſimum, octuageſimum octavum habitârunt in oppidulo Bönningkhaim *in Zabergovia Territorii Würtenbergici conjuges, Adamus* Strotzmann/ *&* Barbara Schmotzerin / *qui ſucceſſivè ex uno conjugio parentes fuerant liberorum quinquaginta trium, triginta quinq; vicibus prognatorum in tali ſerie & tempore: Per vices octodecim unicum ſaltem infantẽ in lucem protulerat mulier; per quinque vices dein ſemper duos; quaternâ vice tres. Poſtea iterum ſex ſimul infantibus prægnans, quarto menſe eorum primò tres, in puerperio adhuc cubans die nono quartum, poſthinc hebdomade undecimâ quintum, atq; iterum elapſis ſeptem ſeptimanis ſextum enixa eſt. Denuò & ultimò poſt nuperrimum puerperium ſeptem ſimul infantibus gravida, geſtationis hebdomade vigeſimâ, eorum tres, abhinc ſeptimanis tribus & dimidiâ rurſum quatuor edidit; ultimus horum matri parturienti ingentes dolores & angores cauſaverat, quippe hæc per triduum in partu laboraverat, & deſperabunda præ debilitate vix quenquam videbat & agnoſcebat, ſed DEO mirè adjuvante, periculum evaſit: infans etenim erat longitudine ulnæ unius ac transverſorum digitorum trium, cum capite ſpithamâ virili grandiori. Puellorum fuêre generatim triginta octo, puellarum quindecim, omnes lavacro ſacro tincti, præter octo prœmaturè demortuos, & cæterorum quidem nullus novennium ſupervixerat. Parentes in conjugio annos propè quinquaginta traducentes, uxor Anno Chriſti milleſimo quingenteſimo tertio mortua eſt, quam maritus brevi poſt ſequebatur.*

SCHOLION HELLWIGIANUM.

HIſtoriam hanc, quam multi fabulam meram æſtimant, ſed veriſſimam, atteſtabantur quondam pictura & ſcriptura rei geſtæ in templo parochiali oppiduli Bönningkhaim / nec non delineatio ejusdem ibidem in Curia, itemque manuſcriptum parentum proprium illîc adſervatum; uti & Cæſar FERDINANDUS PRIMUS, multique Bohemiæ Proceres atteſtationem manuſcriptam avidè petierunt. Quam ego tam mirandæ fertilitatis conjugalis hiſtoriam, quum hactenus ejus alii Scriptores nullibi mentionem fecerant, ob raritatem è Manuſcripto Bibliothecæ D. Gregorii Queccii, adfinis mei, quodam vetuſto, ac fidê omni digno excerpſi, & hîc inſerere volui.

ADDITAMENTUM SCHRÖCKII.

HAnc etiam Hiſtoriam exhibet Exc. Dn. Georg. Hier. Welſchius Epiſagm. obſerv. medic. 75. multùm tamen ab Auctoris noſtri relatione differentem; cum qua magis convenit illa Clar. D. Jo. Chriſtoph. Eiſenmengeri in Nob. D. Laurent. Strauſſii Reſolut. casûs de fœtu Muſſipont. propoſita.

OBSERV. CXLVI.

Fœtus alterutrius mora in utero.

ANno Chriſti 1668. *d.* 13. *menſis Novembr. Norimbergæ militis cujusdam uxor filiam pepererat, eodem die infans lavacro ſacro tinctus fuit; ſubſequenti verò die tertio eadem mulier filiam denuo aliam enixa eſt.* Ex obſerv. propr.

SCHOLION SCHRÖCKII.

QUamvis rariùs in gemellorum geſtatione contingat, ut maximo illo enitendi in conatu, quo uterus tunc movetur, agitatur, & comprimitur, uno fœtu prodeunte, alter non ad exitum unà compellatur; ſunt tamen embryonibus ſua maturitatis

atque perfectionis tempora, quæ ubi adveniunt, tum demum ruptis membranarum repagulis, uterini iſti fructus exitum moliuntur; unde hoc etiam intuitu haud inconcinnè arborum fructibus fœtus à Galeno 4. aphor. Comm. 1. comparantur, qui nempe ad perfectam maturitatem deducti, ſponte ſolent decidere, nondum verò planè maturi, firmis tamen petiolis in ramis hærentes, non facilè decidunt; licet ipſæ arbores concutiantur.

OBSERV. CXLVII.

Brachium petrefactum.

A*Nno Chr. 1632. Clariſs. Dn. Johannes du Ranc, Profeſſor Medicus, cùm eo tempore in Academia percelebri Monſpelienſium verſabar, ſub demonſtratione ſimplicium, inter alia etiam Studioſis contemplandam publicè oſtenderat partem brachii alicujus humani, frigore in lapidis ſubſtantiam transmutati, in qua adhuc lineamenta nervorum ac oſſis exactè ſpectabantur.* Ex obſ. propr.

SCHOLION SCHRÖCKII.

BRachium hoc (non quidem frigoris, ſed alterius alicujus abſtruſioris principii vi,) lapidefactum verè humanum exſtitiſſe, ut Poſſeſſori credere queamus, aliæ res petrefactæ fidem facere poſſunt; cùm non tantùm vegetabilia, ſed & animalia, ipſosq; integros homines, aut partes eorum aliquas, naturali mollitie & ſubſtantiâ quaſi depoſitâ ac transmutatâ, duriſſima in corpora & verè lapidea, aut lapidiformia fuiſſe mutata, hiſtoriæ nobis perſuadeant, quarum plurimas collectas exhibent Ill. Thom. Bartholinus cent. 2. hiſt. anat. 100. & Obſervat. de Unicornu cap. 37. nec non Celeberr. D. D. Jo. Dan. Major hiſt. anatom. calcul. Sperling. Excell. D.D. Phil. Jac. Sachſius diſſert. de cancr. & ſerpent. petref., Gammarolog. lib. 1. cap. 1. & Ann. II. Ephem. German. Curioſ. obſ. 48. Nobil. Robertus Boyle hiſtor. flui-

fluidit. & firmit. part. 2. ſect. 72. & ſeq. beatus Dan. Sennertus de Chim. cum Ariſtot. & Galen. conſ. ac diſſens. cap. 11. &c. Ubi etiam non poſſum non cerebrum bovis petrefactum Patavinum in medium producere; cujus ex mea relatione, Venerandus in Academia Salana Hoſpes olim meus, & Præceptor, D. D. Jo. Theodor. Schenckius in Anno I. laud. Ephem. obſ. 26. mentionem fecerat; quod & Illuſtres Viri Dnn. Dres., Georg. Sebaſt. Jungius in ſchol. loc. cit. nec non Jacob. Joh. Wencesl. Dobrzensky obſ. 130. confirmaverant. Cùm verò in Append. ad dd. obss. idem Cerebrum ad Magnum Marc. Malpighium delatum, non totam ejus ſubſtantiam, ſed exteriorem ſaltem cerebri corticem, petrefactam ab eo fuiſſe deprehenſam, referatur, quid mihi amiciſſimus D. Carol. Offredus, propterea à me requiſitus, in literis A. 1674. 5. Martii Patavii exaratis reſponderit, huc adponere lubet: *Integrum habetur, quod in lapideam & marmoream duritiem concrevit, nec, quod norim, transmiſſum eſt ad Malpighium.* Ipſe etiam D. Sebaſtianus Scarabicius, Cœnobii D. Juſtinæ Medicus Ordinarius, in libello Patavii 1678. de hoc oſtento naturæ edito, nullam ſcrutinii hujus mentionem facit. Ex quo itaque hiſtoriam illam, in gratiam Lectoris, cui libellum illum videre haud contigit, excerpere volui: Sub die 29. Auguſti A. 1669.
„ Rev. P. D. Michaël Micheli, Monachus Benedictinus duos
„ boves in publicis Conſylvarum Nundinis juſto emerat pretio,
„ eosdemque opiparè alendos ac ſaginandos in Villam Corezo-
„ læ immiſerat. Verumenimverò poſt aliquot menſes ſpe non-
„ nihil ſe fruſtratum eſſe deprehendit; ſiquidem, licet ambo i-
„ pſi Boves eodem prorſus veſcerentur cibo, de eadem omninò
„ biberent aqua, in eodem morarentur ſtabulo, atque ab iisdem
„ bubulcis, nullo interpoſito diſcrimine quotidie curarentur;
„ nihilominus unus ex illis (altero jam pingue formoſoq; facto)
„ nedum ullam comparaverat pinguedinem, aut venuſtatem;
ſed

ſed debilis ac gracilis apparens, demiſſo, præter communem „
Bovum conſuetudinem, capite, tardoq; gradu incedebat. Ac- „
ceſſit tandem tempus, quo juxta morem familiæ Boves ipſi „
mactari debebant, ut de eorundem carnibus pars una ſale con- „
diretur, altera verò pro farciminibus efficiendis inſerviret. „
Quapropter ambo hinc deducti, atque in Maſerati Villam im- „
miſſi, uterque ſub eadem diei hora, eâdemque Macellarii ma- „
nu, & in eodem prorſus loco fuit interfectus. Abſciſſa ſta- „
tim utrique ipſorum capita Patavium in Cœnobium S. Juſti- „
næ deportata fuêre, ubi eò mirabilior Naturæ metamorpho- „
ſis contigit videnda, quò rariùs contigiſſe apud ſcriptores non „
deprehenditur. Tradita tunc fuêre ipſa Bovum capita Fr. Lau- „
rentio de Bergomo [ſic enim appellabatur Monachus ille, qui „
tunc temporis Coqui officio inibi fungebatur,] qui arrepto „
peracuto gladio alterum ex illis capitibus, uno jam facillimè in „
fruſta conciſo, nunquam ultra cranium potuit diſſecare. Ob- „
ſtupuit primâ fronte bonus ille Monachus, atque adeo, licet „
de ipſo nequiret cum Virgilio dici: *Steteruntq; comæ*, quia ca- „
put omninò de more ſui Ordinis habebat depilatum; Vox ta- „
men præter modum ejus faucibus hæſit; dum interim abje- „
cto cultro, animoq; in iram parumper concito, in hanc proru- „
pit exclamationem: Quid eſt hoc? qualis hîc intus latet dia- „
bolus? Poſtmodum grandem arripiens ſecurim plures in i- „
pſum caput, (fruſtra tamen) ictus immiſit. Hinc ira in ad- „
mirationem, imò & in nonnullum pavorem converſa, ſecu- „
rim deponens, ambabus manibus caput ipſum in adverſam „
partem convertit: Quo facto iterum admovens ferrum exi- „
guo labore cranium ejuſdem reſupini capitis in duas partes „
diſcerpit. Cæterùm (proh Deus!) infra ipſius cranii conca- „
vum non cerebrum tenue, ac molle, ſed gravem, durumque „
lapidem invenit; qui licet omnimodam præ ſe ferret na- „

 tura-

„ naturalis cerebri figuram, atque adeo nedum colore, ſed ce-
„ rebri lineamentis undequaque intercisis, ac colligatis deſigna-
„ retur; tantæ nihilominus erat duritiei, talemque præ ſe fere-
„ bat frigiditatem, ut nedum marmor, ſed ferrum æmulari vide-
„ retur. Cerebrum hoc in verum lapidem mutatum vivente
„ Bove, ex cranii concavo cum admiratione deductum fuit; &,
„ ut certiùs ipſius durities tentaretur, gladiis iterum, ac bipenni-
„ bus, deinde grandioribus malleis fuit repercuſſum. Tandem
„ in bullientem aquam immiſſum, imò & inter flammas, ac ac-
„ cenſas prunas projectum, tam validè reſtitit, ut ab omnibus
„ Cœnobitis, ac aliis, qui undequaque, audito ita mirabili natu-
„ ræ portento, confluxerant, infrangibile fuerit adjudicatū. &c.
„ Poſt relatas experientias Illuſtriſs. & Excellentiſs. D. D. Mar-
„ cus Ruzinus, Senator Ampliſſimus, & Patavinæ Urbis digniſ-
„ ſimus Prætor in donum recepit à R. R. D. P. Cornelio de Ve-
„ netiis Cœnobii S. Juſtinæ Abbate meritiſſimo, ipſumque inter
„ plurima ſui ſtudii nobiliſſima Naturæ, & artis opera ambitioſè
„ non minùs, quàm accuratè reſervat. &c. Ipſe quidem Exc.
D. Malpighius, cùm A. 1670. M. Novembr. Bononiam tranſe-
unti mihi humaniſſimum acceſſum concederet, alias inter raras
curioſitates, lapidem etiam monſtravit, in duo fruſta diſſectum,
Patavino illo longè minorem; quem, ſi benè memini, ſupra ce-
rebrum bovis alicujus inventum fuiſſe, retulerat; ut adeo hunc
cum illo confundi, credere liceat; quin ipſa ponderis in marmo-
reo illo Patavino cerebro gravitas, quam & in Gymnaſio, cùm à
Scarabicio oſtenderetur, & in ipſo Monaſterio poſtea manibus
exploravi, non exteriorem tantùm corticem, ſed totam etiam
medullam in ſubſtantiam duriſſimam obriguiſſe, perſuadet.

OBSER-

OBSERVATIO CXLVIII.

Chiragra lethalis.

ANno 1654. Percelebris Medicus Johannes Freitagius, Phyſicus Ratisponenſis, ſæpius chiragrâ & podagrâ infeſtatus, Anno ætatis ſupra ſexagintatertio & climacterico, non ſine animi lætitiâ completo, poſtridie incipit denuo affligi ari chiragrâ, cujus nullam ferè rationem habens, medicamenta tantùm adhibuit levia externa, ſed ſuccreſcente tumore totius manûs, retento in digito annulari annulo aureo, accumulatis quoq; doloribus, tumor tandem circa internodium hujus digiti ruptus, & tophacea quædam exciderunt, manum verò ſphacelus totam invaſit, ac ſubinde partes ſpirituales petens, bono viro, præter ſpem conceptam, obitum acceleravit.

SCHOLION SCHRÖCKII.

CHiragra, ut omnis alius morbus arthriticus, quamvis ob dolorum atrociam ſit adfectus graviſſimus & moleſtiſſimus, imò qui in ſenectute tophos aut callos in articulis induratos habent, aut laborioſè vitam tolerant, humanâ arte ſanari non poſſe, Hippocrates noſter lib. 2. prædict. ſtatuat; cùm tamen partes minùs nobiles & ad vitam neceſſarias occupet, letales inter referri ſimpliciter nequit. Quod & conſiderans præfatus Cous lib. 1. de morb. diuturnas in articulos defluxiones, podagram &c. morbis minimè letalibus adnumerat, *niſi quid ipſis accedat*, & humorum peccantium ad partes nobiliores fiat μετάςασις; ut adeo Aretæus lib. 2. de caus. & ſign. diuturn. cap. 12. dolores arthriticos vocaverit quidem atroces, ſed dolores comitantia, lipothymiam &c. atrociora pronunciaverit. Sic optimo huic Medico non chiragra, ſed ſphacelus ſuperveniens, putridis ſuis exhalationibus ſanguini & cordi infeſtiſſimis, mortem adceleravit. Quibus adcommodari poſſent, quæ Levin. Lemnius lib. de occult. natur. mirac. cap. 1. habet, in chiragra ſcilicet mortem

non eſſe pertimeſcendam, niſi circa ſiniſtrum pectoris ſinum, cui cordis turbinatus mucro ſubeſt, humorum colluvies decumbat, digitusque annularis ſiniſtræ manûs nodoſus efficiatur ac valde intumeſcat; niſi verba iſta aliquâ obſcuritate laborarent, facilè cuivis ſpontè animadvertendâ. Annularis autem ſiniſtrâ in manu digiti intumeſcentia nodoſa ullum mortis metum neceſſariò haud infert, ſuperſtructa dubio procul falſæ illi & Anatomiæ repugnanti, uti Bartholino vocatur, opinioni, ac ſi vena aliqua ſingularis ex corde ad hunc potiſſimum digitum accederet, magnum conſenſum ejusdem cum corde efficiens; quæ certè majori veritate haud nititur, ac credita illa ſingularis cujusdam nervi ab eodem digito ad cor derivatio, quam Aulus Gellius lib. 10. Noct. Attic. cap. 10. tradidit, ubi Veteres Græcos & Romanos annulum in digito dicto geſtare ſolitos narrans, *cauſam*, addit, *hujus rei Appion in libris Ægyptiacis hanc dicit, quòd inſectis apertisq; humanis corporibus, ut mos in Ægypto fuit, quas Græci ἀνατομὰς appellant, repertum eſt, nervum quendam tenuiſſimum, ab eo uno digito ad cor hominis pergere ac pervenire*.

OBSERV. CXLIX.

Gangræna brachii ab incauta venæ ſectione.

N*Obiliſs. & magni nominis Jure-Conſultus D. J. C. Oe. à S. Patricius Norimbergenſis, tum juvenis ex Hiſpania redux, Monſpelii in Galliis, ex præcipitantia chirurgi aliàs percelebris, ſanguinis miſſionem procurantis, in extremum ferè vitæ diſcrimen inciderat. Nam iſte, conſpectâ quadam in medio brachii dextri flexu cicatrice, profundiorem venæ ſitum conjecturans, cultelli (lancette Galli vocant) cuſpide juſto longiùs arreptâ, non venam tantùm infelici ictu pertuderat, ſed ſimul nervum quoq; ſub vena latentem gra-*

viſſi-

viſſimè læſit. Aſt Oe. infelicis hujus ſectionis ignarus, cùm ſubſequente die horrorem febrilem ſentiret, in emittendo ſanguine ex altero brachio, ejusdem chirurgi operâ, ſed feliciore auſu uſus eſt. Sequentibus diebus, inprimis ſeptimo, brachium dextrum ſupra modum extumeſcebat, inflammabatur, ac tandem in ſphacelum converti videbatur, tanto cum patientis exquiſitiſſimo cruciatu & dolore, ut plurimâ ſanguinis & ſaniei copiâ exſcreatâ, ad interitum ferè decumberet, variis quidem medicinis, intus & extrinſecus, fruſtra tamen applicatis. Et quamvis ſingularis fomentationis beneficio ex catellis & felibus recentiſſimè editis, atq; ſummo ſtudio ad id requiſitis dolores aliquantulum mitigarentur, atq; calor brachii naturalis nonnihil redintegraretur, ipſum tamen malum à gangræna conceptum non niſi cum brachii abſciſſione, vel funeſta totius corporis pernicie, curari, aut deponi poſſe credebatur. Quapropter totum Medicorum Collegium inclytæ inibi Academiæ in conſilium convocatum, præmiſsâ inſpectione oculari, unum ex iſtis tribus ægro eligendum pronunciabat, vel brachium, ob inſidens gangrænæ malum incurabile, amputandum; vel nervum cum amortizatione totius brachii diſſecandum; vel vitæ jacturam faciendam eſſe. Sed patiens reputans, ad vitæ ſubſidium quodcunq; ſeu ſub toga, ſeu ſub ſago ſe brachio indigere, ultimum eligens, maluit vitam cum brachio amittere, quàm ſine brachio eandem miſerè & otioſè producere. Ob id in tam deſperato caſu Medici & Chirurgi abeuntes ægrum miſerè reliquerunt. Poſtero verò die Ordinis Medicorum illius loci ſupremus Dominus Johannes Hucherus de Bellovac ad ægrum jam quaſi conclamatum acceſſit, narrans in ſimili planè caſu olim Carolum IX. Galliarum Regem providâ cujusdam Medici ope & arte curatum fuiſſe, & ſi æger dubio artis eventui ſe committere, & tam ad graviſſimos dolores obduratum, quàm ad ſumtuum plurium erogationem lubenter paratum præſtare vellet, ſuum quoq; ſcientiæ & operæ ſtudium adhibiturum ſe fidenter promiſit. Annuente ægro, Hucherus novaculâ arreptâ, in affecto brachii loco novum vulnus cruciatim

 tim

tim incidit, & ægro ipſo vulneris inciſi partes forcipe tenente & dilatante, fruticulâ quadam inſertâ, vulnereq́; rurſus colligato, paucis diebus id effecit, ut vena perforata & nervus læſus conſpicerentur. Cùm verò fomentationibus præmiſſis, fervido & bulliente oleo locum affectum Medicus crebrò perfunderet, eo ipſo patienti tantum cruciatum cauſavit, ut viribus planè conſumtis, denuo in mortis vicinia verſaretur: Tandem immenſis doloribus paulatim remiſſis, ligaturâ apertâ, notabiliter apparuit, quomodo nervus præſciſſus infuſi bullientis olei beneficio coaluerit, ac quaſi conglutinatus fuerit; quo & peracto, vulnereq́; perſanato, ipſum brachium priſtinas vires indies recipere, & patiens præter omnem expectationem in integrum reſtitui cœpit.

SCHOLION SCHRÖCKII.

Antiquitus apud Romanos militarem fuiſſe animadverſionem, refert Aulus Gellius lib. 10. Noct. Attic. cap. 8. ut ignominiæ causâ militi vena ſolvi juberetur, & ſanguis dimitti, quaſi minùs ſani viderentur omnes, qui delinquerent; cùm primitus in ſtupentis animi atque à naturali habitu declinantis militibus tantùm fieret, ut non tam pœna, quàm medicina videretur. Longè itaque pejus agitur cum illis in Morbonæ caſtra receptis, qui ſanguinis artificioſâ iſtâ evacuatione manumiſſionem quærentes, ac cum ſanitate in priſtinam redire amicitiam contendentes, imperiti atque inconſiderati in chirurgi manum traditi, quam medicinam ſperabant, periculi plenam mortiferamque experiuntur venæſectionem; dum locorum ſitusque vaſorum ignarus, venas inter & nervos diſtinguere neſcit, illarum loco has improvidè pungens, vel etiam phlebotomum duriùs altiusve intrudendo, venâ perfoſsâ, ſubjectum nervum vulnerans, adeoque præter doloris atrocitatem, ſenſusq; & motus læſionem, letalium convulſionum periculo ægrotos ſæpius exponens. *Mittere ſanguinem cùm ſit expeditiſſimum uſum*

ſum habenti; tum ignaro difficillimum eſt; juncta enim eſt vena arteriis, his nervi. Ita ſi nervum ſcalpellus attigit, ſequitur nervorum diſtentio, eaq; hominem crudeliter conſumit, uti loquitur Celſus lib. 2. cap. 10. Magnum ſanè hac ratione ſubiit vitæ diſcrimen [quam hiſtoriam hîc indigitare Auctor videtur] ille Gallorum Monarcha, Carolus IX, cui febricitanti, uti refert Ambroſ. Paræus lib. 9. obſervat. chirurg. cap. 38. pro vena fortè fortuna nervum ferierat chirurgus, ingenti ſtatim ſuborto dolore, qui ſi remediis præſcriptis non ceſſiſſet, vel oleum fervens, quale in hoc Auctoris caſu adhibitum fuerat, adfundere, vel nervum ipſum in totum reſcindere, Paræus ſtatuerat, ſatius videlicet judicans, nervum penitus reſcindere; quàm letiferæ convulſionis periculo ægrum exponere. Aliud exemplum doloris & motûs difficilis à puncto nervo proponit Rodericus à Fonſeca Conſult. med. tom. 1. cons. 74. Contractionis in brachio & atrophiæ Felix Platerus lib. 1. obſervat. Variorum peſſimorumq; ſymptomatum à ſauciato muſculi bicipitis nervoſo tendine Guil. Fabricius Hildanus cent. 4. obſervat. chirurg. 70. D. Petrus de Marchettis ſyllog. obſervat. medico-chirurg. 63. miſeros quosdam patientes ex convulſione periiſſe memorat, cùm barbitonſores lanceolis ſuis acutis nervum ſub vena jecoraria vulnerâſſent; quo ipſo permotus, nervos ac tendines vulneratos, contra Severinum, non eſſe ſuendos, ſtatuerat, illosque phlebotomos acutos damnaverat; quos tamen peritâ & circumſpectâ manu adminiſtratos omni carere diſcrimine, nemo non novit. Qui verò imprudenter adeo nervos punxerunt, Unguentum invenient in Johann. Sculteti Armament. chirurg. part. 2. obſ. 87. quo plures ejusmodi puncturas tutiſſimè à ſe curatas, teſtatur.

OBSER.

OBSERV. CL.

Tumor pedis maximus.

Puello ruſtico in vicinia Urbis Ratisbonæ, vix primo ætatis anno elapſo, de menſa ex incuria ancillæ cadenti, ab oſſe coxendicis usq; ad genu lateris ſiniſtri tumor exortus intra novem ſeptimanas inſignis, mollis, rubicundus, ad craſſitiem femoris robuſti viri, quo à chirurgo, impoſito prius cataplaſmate emolliente, ſcalpello inciſo, quantitas ſanguinis ſeroſi magna emanavit, ſine omni dolore ac debilitate infantis.

SCHOLION SCHRÖCKII.

TUmorem hunc œdema phlegmonodes fuiſſe, circumſtantiæ adſcriptæ ſatis evincere videntur, ortum non à fluxione aliqua, ſed congeſtione, femore videlicet ex caſu illo admodum læſo, cujus carnoſæ & membranoſæ partes compreſſæ, ac in naturali tono labefactatæ, ſanguinis & lymphæ circulationem, ſive eorundem ex arteriarum oſculis in venas ſanguiferas & lymphaticas receptionem, liberumve in iisdem progreſſum impediverunt. Aliàs etiam abſque tali cauſa externa magnos varioſq; tumores, inprimis per adfluxum humorum excitari in cruribus, notum; qua ratione poſt longos morbos, præſertim collectis cruditatibus, ſæpe intumeſcere pedes, Johann. Crato conſil. 257. apud Laur. Scholzium admonet; de pedum ex fame intumeſcentia agit Hieron. Mercurialis lib. 6. variar. lection. cap. 21. Febrem continuam cum pleuritide ſpuria per tumorem pedis dextri ſolutam habet Gregor. Horſtius lib. 1. obſervat. med. 21. Pleuritidem in abſceſſum cruris deſinentem Henr. à Moinichen obſerv. 2. nec non apoplexiam Clar. Ol. Borrichius Volum. 3. Act. med. Hafn. obſ. 49. Quandoque non humores, ſed ſolidiora corpora, uti exemplo id docet Nob. D. Georg. Wolffg. Wedelius Ephem. Germ. Cur. Ann. III. obſ. 69. & Valent. Henne-

rus

rus in Schenck. obſ. med. lib. 5. p. m. 745. Flatus etiam tantùm ſubeſſe poſſe, hiſtoria in Append. obſerv. Riverianar. cent. 4. obſ. 6. evincit. Imò interdum naturales quaſi eſſe iſtos, Malabarica illa gens probare videtur, cujus ex Jo. Hug. Linſcotano mentionem facit beatus Georg. Hieron. Welſchius cap. 5. de Vena Medin. certis nempe familiis ob necem D. Apoſtolo Thomæ illatam, velut divinâ irâ devotis, ab ipſa nativitate ſignum hoc maledictionis circumferentibus, proprios; de quibus legenda ſententia Welſchii l. c. pag. 150. nec non ſanum ſatis judicium Gualt. Schulzii lib. 2. itinerar. ſui Oriental. cap. 16.

OBSERV. CLI.

Steatoma feliciter exſectum.

ELiſabetha S. ex Palatinatu, ætatis præterpropter annorum quinquaginta, ſteatoma prægrande per annos ferè ſedecim geſtarat, abſciſſionem hujus ponderoſi oneris expetiit, quæ & An. 1659. d. 21. Februarij Ratisbonæ, præſentibus tribus Medicis à Davide Schaffnero, lithotomo & chirurgo Auguſtano, feliciter peracta, cæterisq; ritè adplicatis, ab hoc moleſto comite penitus illa liberata, nec quidquam ejusmodi hactenus illi recrevit, ſeſeq; optimè habuit, cuncta munia ſua liberè obiens. Steatoma hoc in podice lateris dextri non longè ab iſchiade excreverat, magnitudine caput viri robuſtiſſimi exſuperans, librarum pondere facilè decem.

SCHOLION SCHRöCKII.

TUmorum tunicatorum, ſive qui ex materia quadam præternaturali, folliculo membranoſo incluſa, conſtant, diverſas eſſe ſpecies, & modò calculoſum, piloſum, modò melleum quaſi, pultaceum &c. concrementum aliquod continere, notum eſt. Hos inter non infrequens eſt ille, quem Auctor hîc deſcribit, græco vocabulo, ob materiam, quam ſevo ſimilem

tunicâ ſuâ abſcondit, στεάτωμα, vocatum. Quorum tumorum generatio an ex ſucco alimentari, quod vult Plater⁹ t. 3. prax. c. 3. & in ſpecie, pinguiori ex ſanguinis parte, in pinguedinem aliàs abiturâ, ſebaceam ſteatomatum concretionem deducens; quò cum plures faciunt alii, diverſimodè tamen etiam rem iſtam explicantes; conferatur inprimis Marc. Aurel. Severinus lib. 3. de recondita abſceſſuum natura; vel quæ ſententia eſt aliorum, veterum præſertim Medicorum, excrementitio potiùs & præternaturali ab humore ortum ducat, non adeo facilè determinari poteſt. Varia pro illo militant argumenta, à Platero &c. memorata; quibus etiam addi poſſet deſumtum à macie, in nonnullis ſubjectis, ſimilibus intumeſcentiis prægravatis obſervatâ, quæ ex. gr. militem illum apud Jo. Scultetum part. 2. Armament. chirurg. obſ. 76. prehenderat, cui magnum in femore ſteatoma excreverat, omne ferè alimentum, quo totum nutriri corpus debuiſſet, per venas [ut ipſe quidem ſcribit] & arterias ad illud protenſas attrahens. Quamvis aliam latuiſſe ibi cauſam, maximè credibile ſit, cùm nutritius ſuccus, ſive is cum ſanguine per arterias, (venas huc nil quidquam conferre poſſe, circularis ſanguinis motus oſtendit,) ſive per nervos influere dicatur, æqualiter ſemper in corpus, cæterùm non morboſum, diſtribuatur; attractio quoque illa nec arte ullâ demonſtrari, nec mente concipi queat. Ut taceam, non ſemper in tumoribus iſtis emaciationem corporis comitem deprehendi; id quod Bartholinus cent. 3. hiſtor. anat. 40. teſtatur, de Nattis, ſub quibus Steatomata comprehenduntur, diſſerens: *partibus alimentum non ſubtrahere obſervavi.* Videtur tamen vero ſimilius, ſuccum alendis partibus idoneum utique concurrere, ſerum autem præter naturam craſſius, ſeu pituitam viſcidam, humoresq; alios ad nutritionem ineptos, molem illam non minùs adaugere; pro quorum diverſitate, diverſam iſtis in tumoribus materiam produci,

duci,

duci, exiſtimare licet. Hinc temporis progreſſu, præter alimentarium ſuccum, vitioſos pariter humores eò propelli, ipſum Platerum negare non potuiſſe, animadvertit Dan. Sennertus lib. 5. med. pract. part. 1. cap. 35. Inprimis verò craſſities iſta humoris ſeroſi quamoptimè generationi huic quadrabit, quæ facilè obſtructionem exiguis in ſpatiis, præſertim ubi arteriolarum extremis finibus excidit, parere apta, & ad concretionem prona, novæ ſubinde collectioni, ſimulque condenſantibus ſeſe exteriùs pelliculis ſive folliculis anſam præbere poteſt. Hinc ſanè ingenioſiſſimus Marc. Malpighius tumores multiplici circumvolutione, ſive veſicis præditos, ab ichoris in filamenta concreſcibilis & fixati implicatione perpulchrè deducit; uti tractatus ejus de polypo cord. prolixiùs oſtendit. Et Hippocrates noſter, præter ſanguinem, pituitam quoque nominat, ex qua φύματα omnia producantur; hoc autem ſub nomine omnem tumorem p. n. ab eo indigitari, qui ſine cauſa externa proveniat, & potiſſimum, qui extra corporis ſuperficiem extuberet, Galen. 6. Epidem. Comm. 1. §. 13. docet; conferatur etiam ejusdem comment. 3. in Aphor. Hipp. 26. Quin ſi à ſanguine, prout ab arteriis ex corde ad ſingulas corporis partes adducitur, primò progignatur & ſuſtentetur, non à ſimplici alimentari ſucco originem tumores iſti capere poſſunt, cùm, integra illa maſſa quòd nutritivam materiam ſuppeditet, nemo facilè dixerit; videlicet quæ raro, imò nunquam excrementitiis humoribus caret. Arterias autem hîc in conſiderationem eſſe ducendas, Exc. D. D. Jo. Sigiſm. Elsholzius in Hiſtoria Steatomatis A. 1666. Coloniæ Brandeb. edita, atque dein Anno V. Miſcell. German. Curioſ. adnexa, arbitratur, utpote quod à peculiari vaſorum in ſiniſtra clune diſpoſitione naturali prodierit, ita ut arteriæ ſanguinem illi deferentis certus ramulus venâ ſociâ deſtitutus, aut, quod probabilius, hæc obſtructa fuerit, unde ſanguis adfluens, negato regreſſu, ſubſtiterit,

rit, & Natura nunquam otioſa nutrimentum adlatum in materiam adipoſam ſenſim converterit: Cui favet Celeb. Horn §. 33. Microtechn. in Nattarum per ſectionem ablatione de arteria, à Paulo Barbette quoque part. 1. Chirurg. cap. 12. producta, mentionem faciens, quæ ſæpe in fundo reperiatur, & tumoris nutricula exſiſtat; quam tamen fruſtra, licet ſedulò in Natta, uteri ſiniſtro labio adcreta, à ſe inquiſitam, Nob. D. Godofr. Schubartus Ann. VI. dd. Ephem. obſ. 19. meminit. Cæterùm inſigne in hoc ſteatomate pondus, quod librarum decem fuiſſe, ſcribitur, mirari licet; cui ſimilia rarò inveniuntur, ut ideo, præſertim quia felici ſectione exſtirpatum, oblivioni meritò eximendum fuerit. Licet multò majores iſtius generis tumores, qui partim ſectione dextrè ablati, notatos ab aliis haud ignorem; qualem ultra octodecim libras ponderantem ex meſenterii glandulis pronatum recenſet Nicol. Tulpius lib. 1. obſerv. med. cap. 32. Ille ex Sculteto ſuperiùs nominatus tumor tria hominis adulti capita facillimè adæquavit. Alius librarum quadraginta plus minùs in inguine excreſcens apud Joh. Langium lib. 3. epiſt. medic. 4. [ubi & Strumarum ſexaginta librarum, fortè ad Steatomata reducendarum, mentio fit,] nec non qui ſexaginta civiles libras pendebat, apud Cl. Jo. Rhodium cent. 1. obſerv. med. 29. inveniuntur.

OBSERV. CLII.

Natta in dorſo exciſa.

Anno 1659. idem Chirurgus Auguſtanus textori & civi Ratisbonenſi Nattam inſignem in dorſi juxta ſpinam latere dextro, transversâ circiter manu ſupra lumbos excretam, felici ſectione diripuerat. Inciſione cutis factâ, in aſpectum veniebat Natta minoris cucurbitæ magnitudine, in pediculo curto pendens, circumcirca latuerunt aliquot aliæ parvæ inter muſculum dorſi longiſſimum & rhom-

rhomboidem, uvarum inſtar pullulantes; quibus omnibus, non ſine magna hæmorrhagia, utpote in parte carnoſa, dextrè exemtis, & curâ ritè adhibitâ, patiens poſt aliquot ſeptimanas optimè convaluit. Aſt paucos poſt annos, nattâ aliâ denuo recreſcente, eodem in loco, & ab alio abſciſsâ, hactenus nullam ulteriùs ſenſit.

SCHOLION SCHRÖCKII.

NAttam vocat Auctor excreſcentiam hanc, ſed dum materiam in ea contentam haud determinat, qualis propriè fuerit tumor, an ſteatomatoſus, vel alius aliquis, non liquet. Cùm & nominis origo, & quid per Nattam intelligendum veniat, dubium ſatis videri queat. Nattam enim; ex Guidonis ſententia, tumorem eſſe p. n. magnum, carnoſum, & veluti natium carnem, à quibus denominationem accipiat, Franc. Peccetius lib. 1. Oper. chirurg. cap. 28. ſtatuit; & Marcell. Donatus de med. hiſt. mirab. lib. 5. cap. 3. eò quòd nativæ carni ſimilis ſit, natam dici, arbitratur. Econtra non ineptè neque inconſultò deſignatam nomine hoc fuiſſe, ac naturæ nomine ſe tueri, eò quòd cauſæ in ea procreanda omnes ſint naturales, autumat M. A. Severinus lib. 3. de recond. abſceſſ. nat. cap. 2. Verùm cujus ſit vox hæc originis, ex hiſce ſanè non patet; omnis enim derivatio illa nimis remotè eſt petita; Unde incertum pariter remanet, an Nata vel Natta, [ut de Napta, Naphta, Naphtha, Nasda & Napa, nil dicam] ſit ſcribendum; nec etiam multùm refert. Sufficit, quòd apud antiquos Græcos & Latinos nomen iſtud haud exſtet, àque Recentioribus demum (quæ deciſio eſt Daniel Sennerti lib. 5. Med. pract. part. 1. cap. 36.) Barbaro-Latinis excogitatum fuerit. Tumorem autem omnibus non eundem denotat, aliis ſtrictiori, latiori aliis in ſenſu accipientibus. Quidam carnoſis excreſcentiis id nominis adtribuerunt, cujus exemplum à Jo. Sculteto Armament. chirurg. part. 2. obſ. 76. adductum ſupra notavi. Quò fortè referendum erit, quod ex Leon. Bertapaleæ

paleæ Chir. cap. 20. Celeb. noſter Welſchius not. ad Marc. Cumani obſ. med. 47. habet, videlicet Nattas apoſtemata omnia glandulofa & carnoſa cenſeri. Marcellus Donatus itidem tumorem adpellat carnoſum, & ſub glandularum magnarum nomine à Rhaſe 7. ad Almans. 14. comprehendi, perhibet. Utrum verò adplicare hiſce liceat, quod Sennertus de tumore hoc judicat, ſcilicet: *materia in eo interdum videtur carnoſa, ſed non verè caro eſt, verùm adipi ſimilis, ideoq; ad ſteatomata referri poteſt*, alii diſpiciant; mihi certè id non diſpliceret. Atque hoc ipſum innuere velle Donatum, credo; cui etſi Natta, ut dixi, tumor carnoſus dicatur, à ſimplicibus tamen carneis excreſcentiis diverſum eſſe, non ambigendum ducit, cùm proprium folliculum habeat, in quo variæ materiæ, utplurimum autem ſevo ſimilis, contineri ſoleant. Nonnulli, ut Franc. Peccetius loc. cit. Steatomatibus unicè adnumerarunt, quæ omnibus in corporis partibus, ſæpe verò in dorſo, qualem ſitum Auctori noſtro memoratus tumor habuerat, & humeris excreſcat. Hunc imitatus Phil. Höchſtetterus noſter Decad. 6. obſervat. med. caſ. 6. monſtroſum in mento, quem ibi producit, tumorem in Nattarum numerum poſuit; & tumor, quem à fronte reſectum, præter oſſa, pinguedinem exhibuiſſe refertur, Natta pariter vocatur in Thom. Bartholini cent. 2. epiſt. med. 97. Paulus Barbette Anat. pract. lib. 2. cap. 1. ubi anatomiæ capitis uſum chirurgicum oſtendit, Steatomata, Atheromata, atque Melicerides in capite Teſtudines, Talpas & Nattas dici, ſcribit; ac Sennertus, *pertinent huc* inquit l. d. *tumores, qui quidem ad Melicerides, Atheromata, & Steatomata referuntur, quia verò privatim capiti accidunt, peculiaria iis impoſita ſunt nomina* &c. puta Teſtudinis, Talpæ ſeu Topinariæ, Nattæ; Licet paulò inferiùs ultimum hunc in dorſo præcipuè excreſcere, quandoque etiam in humero & aliis partibus erumpere, atque ad Steatomata referri poſſe, moneat. *Hodie latiſſi-*

mo ſignificatu (quæ verba ſunt Welſchii not. prædict.) *omnia cyſtica, ſive folliculo incluſa, Italorum præcipuè conſuetudine*, vocabulo iſto inſigniuntur. Hinc eſt, quod ſupra memoratum tumorem Höchſtetterus inter Natas Italorum recenſuerit. Sic Severinus, inſignis ille in Italia olim Chirurgus anomalos & cyſticos, ut ipſe vocat, abſceſſus Natæ nomine donari, monet; quem & Clar. Jo. Van Horne §. 33. Microtechn. ſequutus, eas excreſcentias anomalas, quæ peculiari membranâ obductæ ſunt, Nattas adpellavit. Severino magnum illum in Patavino Lycéo Chironem, Hieron. Fabricium ab Aquapendente jungo, abſceſſus folliculares, frequenter in capite exſurgentes, Nattas vocari, Append. lib. 1. Oper. chirurg. ſimiliter perhibentem. Qualiscunque igitur fuerit Tumor Auctoris noſtri, ſufficit, talis eum conditionis, ſcilicet præternaturalis, fuiſſe, quæ exſtirpationem, ob moleſtum præcipuè pondus, & metuenda in poſterum graviora mala, utique admitteret, imò efflagitaret; idque tantò promtiùs, quia pediculo curto pendens, nec latâ radice ad ſectionem periculoſior comparuit. In qua ex arte peragenda, ut tota illa moles tollatur, pernеceſſarium communiter ducitur; ne relictâ radice, aut particulâ aliquâ, novus exin tumor propullulet; id quod dubio procul præſente in ægroto accidit, eoq; faciliùs, cùm præter majorem illam Nattam, aliquot aliæ adfuerint, è quibus una Chirurgi manum effugere potuit, tum quòd iſtæ parvæ exſtiterint, tum magna ſubſequuta hæmorrhagia unam eorum eò promtiùs occultare potuerit.

OBSERVATIO CLIII.

Vena poplitis ſponte aperta.

M*Emini, Monacho Carthuſiano octuagenario in Carthuſio Prüel propè Ratiſbonam, dum in hortulo ſuo pro more ſolito*

laborabat, venam ſub poplite bis ſponte ruptam fuiſſe, puto ex ſanguinis acris motu fortuito, & citra ullam corporis noxam & debilitatem, licet inſignis hæmorrhagia ſequeretur, vulnere ritè deligato, ac emplaſtico & epulotico impoſito, brevi iſte ſanatus eſt, qui alioquin in toto vitæ decurſu, nullâ unquam medicinâ internâ, nec ullâ venæſectione utebatur; neq; morbo gravi unquam decubuerat homo quidem macilentus, ſed venis magnis præditus, diætam ſemper ſimplicem obſervans, atq; juxta Ordinis regulam, exactè vivens.

SCHOLION SCHRÖCKII.

INfenſus admodum Venæſectionis oppugnator Helmontius, alias inter cauſas, quibus eandem improbat, cap. 4. tract. de febb. §. 14. eam in natura DEUM nuſquam inſtituiſſe, objicit; qui tamen menſtrui ſanguinis naturalem evacuationem ſi conſideraſſet, telo iſto remedium hoc vix petiiſſet; quin & hæmorrhagiæ narium criticæ, fluxus hæmorrhoidum, aliarumque venarum diæreſes ſpontaneas opponit Exc. D. L. Sigismund. Graſſius Ephem. Germ. Curios. Ann. III. obs. 54. hasque duobus exemplis, uno in cruribus varicoſis, altero in vena ſublinguali illuſtrat. Sponte etiam aperti vaſis hiſtoriam in manûs ſiniſtræ pollice, ut & in poplitæa dextri pedis habet Nobil. D. Jo. Jac. Wepferus Exerc. de loc. adfect. in apopl. p. m. 230. Quibus addatur obſervatio Bartholiniana cent. 5. hiſt. anat. 19. de ſanguine ſponte ex ſalvatella dextræ manûs exſiliente, nec non Dominici Panaroli pentec. 2. obſerv. med. 4. de periodica venæ in crure varicoſæ ruptura ſpontanea; ut & Matthiæ Cornacis lib. 1. cap. 3. conſult. med. de vena in temporibus ſponte reſerata; Plures verò ſimiles ex Sennerto, Platero, Höchſtettero, Benivenio, Hollerio, Henrico ab Heer, Zacuto, & propria obſervatione conſignavit in Schediaſm. de Lap. hæmat. procem. hæmatolog. beatus noſter D. D. Jo. Laurent. Bauſchius. Quorum omnium cauſam vel in ſanguinis efferveſcentiam, vel copiam, acredinem, ſero-

ſeroſitatem, reſtagnationem, vaſorum item imbecillitatem & laxitatem eſſe referendam, nemo eſt qui dubitaverit.

OBSERV. CLIV.

Sphacelus fracti cruris.

R*Atisbonæ obſervavi in Viro quodam, ac juvene alio, quòd, cùm in cura & deligatura fracti cruris, calcaneus non ritè & ſubtus concavè ponebatur, hunc brevi ſphacelo infeſtari.*

SCHOLION SCHRÖCKII.

CAlcaneus cùm in parte poſteriori magis præ crure exſtet ac promineat, adeoque in ſupino decubitu concavitatem aliquam efficiat; ſi illa ſuppoſitis pulvillis non expleatur, cruris oſſa, ob fracturam tono ſuo & robore orbata, pondere quaſi concidunt, adeoque partes circumjacentes molliores comprimendo, vel etiam diſtendendo, inflammationem facilè atque ſphacelum inducere valent. Siquidem ut Hippocrates in lib. de Officina Medic. ſcribit, jacere eo habitu convenit, qui ſecundùm naturam ſit, & dolorem minimè faciat; quod paulò poſt calcaneo in ſpecie adplicans, *in prominentibus*, inquit, *corporis partibus poſitus mollis, æquabilis eſſe debet, & qui ſurſum tendat, velut in calcaneo & coxendice, ita ut neq; reflectantur, neq; evertantur.* Et lib. de fract. hæc habet: *Ubi devinxeris, ſupra molle aliquod & æquabile deponere, ut nè in hanc vel in illam partem pervertatur, aut in anteriorem, aut poſteriorem partem inflectatur. Ad id verò plurimùm confert pulvinum lineum, aut laneum, mollem, non durum, medium in longitudinem, aut aliud quid tale cruri ſupponere.*

OBSERV. CLV.

Tertiana halecis eſu curata.

SOror quædam mea ex eſu halecum tempore æſtivo febrem ſibi cauſavit tertianam, ſed cùm per dies aliquot febricitans, aliquando me halecem eſitantem vidiſſet, appetitu inſigni infeſtabatur, cui me adverſantem ſimulans, ſed clandeſtinè famulis conceſſi, particulas quaſdam halecis, eſui ei porrigere. Quo facto, febris omninò deceſſit, & ſanitatem ægra priſtinam recepit. Idem mihi contigit in alio febricitante ex conceſſo potu aquæ frigidæ.

SCHOLION SCHRÖCKII.

IMaginationis quæ ſit in morbis curandis virtus, in Scholio ad Obſerv. LXXXVI. dictum fuit. Cujus quoque efficaciam ex præſenti obſervatione eluceſcere, veroſimile videtur. Quanquam interdum, febribus intermittentibus, periodo ſuâ abſolutâ, ſponte ceſſantibus, accedenti tunc extraordinario rei alicujus minùs ſalubris adpetitui, præter meritum adſcribi eventum illum, haud vanè credatur. Quæ ſanè Magni Guerneri Rolfincii fuit ſuſpicio, cùm lib. 14. Ordin. & meth. medic. ſpecial. comment. ſect. 1. cap. 14. tertianarium ſibi reconvaleſcentiam citò promiſiſſe ab eſu ad minimum trium oſtreorum, eamq; poſt ſeptimum paroxyſmum impetrâſſe retuliſſet, *convaluiſſet fortè*, ſcribentis, *absq; hoc actu ſi fuiſſet; nam hæc exquiſitæ tertianæ periodus eſt, ſeptem terminari paroxyſmis.* Nec diffitendum etiam, à copiosè ingeſto avidiſſimè expetito edulio &c. ſuccedentem vomitum, qui in ejusmodi febribus utplurimum utilis eſſe comperitur, quosdam fuiſſe liberatos; quam cauſam inprimis urget Thom. Eraſtus quæſt. 2. de purgant. medic. facult. ubi quendam diuturnâ quartanâ laborantem, poſt copioſam frigidæ ingurgitationem, ex vomitu ſanatum ſcribit; cùm ſic non cibi tantùm, aliáve ingeſta gravantia, ſed & peccantis humoris ſaburra unà expellatur. Similes hiſtorias de quartanariis ex maxima cibi & vini ingurgitatione liberatis recenſet Benivenius cap. 59. de abdit.

dit. morbor. cauſ. & Amatus Luſit. cent. 2. curat. medic. 42. Scilicet, ut Celſi verbis utar, *ſæpe quos ratio non reſtituit, adjuvat temeritas.* Non cuivis tamen licet adire Corinthum, quæ deciſio eſt Nob. D. Andr. Cnöffelii Miſc. Germ. Cur. Ann. III. obſ. 211. ex occaſione viri tertianâ laborantis, atque iteratâ in aquam fluvialem frigidam immerſione reſtituti. Quam irrationalem tamen in cibo &c. ingerendo diætam in morbi principio & crudis adhuc humoribus, graviſſimè lædere, noviſſeque ſe, Eraſtus teſtatur, qui hoc modo ſuffocatus repentè fuerit extinctus; quod & alteri juveni apud Amatum contigit; nec non illi ipſi apud Benivenium villico, quarto poſt anno denuo quartanâ adflicto, qui ab ejusdem remedii inconſulto uſu vitâ deceſſerat. Suffocato nempe calore nativo, à febre antea jam utplurimum non parùm debilitato, facilè id contingere poteſt. Hinc etiam Joh. Wierus in obſervat. med. de quart. quendam, viginti uno halecibus ſemitoſtis, ſimul ante quartanæ acceſſionem in univerſali declinatione voratis, intercedente graviſſimi paroxyſmi inſultu, liberatum producit; quem, niſi naturâ impendio vorax exſtitiſſet, ſaburram hanc non tam illæsè concoxiſſe exoneraſſeq;, & alium imbecilliorem eâ oppreſſum facilè interire potuiſſe, judicat. Licet aliàs harengorum eſum non adeo in febribus ſemper nocere, aut eas ipſas inducere, contra ſtultam vulgi experientiam Paulus Neucranzius exercit. med. de hareng. cap. 11. defendat, cùm facilis ſint digeſtionis, brevi per alvum ſecedant, guſtui grati ſint, probumque alimentum præbeant; illud tamen: *Ne quid nimis,* attendendum eſſe admonens; nocere etiam, ob tenerrimam ſubſtantiam, citæ corruptioni ſubjectam, ventriculo malè diſpoſito & bilioſo largiùs ſumtos, inveteratos, non benè coctos, nec ſatis ſalitos, nullisque condimentis adjectis comeſtos; imò filiolæ decenni, febre petechiali graviſſimè decumbenti, harengum decumanum elixum cum modico aceto ipſe conceſſerat, cùm

 cæte-

cætera proſtratus recuſaret adpetitus. Videatur etiam judicium Nicol. Tulpii lib. 2. obſerv. med. cap. 24.

OBSERVATIO CLVI.

Noxa ab incauto antimonii uſu.

SErenisſimus Princeps, Dn. Ph. P. N. cùm A. 1672. iter faceret, variis medicamentis pro caſibus ſubitaneis à Medico Ordinario inſtructus, adjuncto etiam alio Medico, in Oppidulo quodam alterationem aliquam circa præcordia atq; ventriculum perſentiit, & pulverem prophylacticum ſumturus, ex pharmacopolio loci illius Sirupum violarum afferri curavit, ſed aſſumto pulvere, ſudorem in lecto expectans, inopinatò anguſtiam circa pectus inſignem percipit, ardoremq; gulæ ac palati, labia intumeſcunt, vultumq; pallor invadit, cum vomitionis inani conatu; quare Ipſe & Medicus adjunctus vitæ periculum metuentes, Doctorem N. Ordinarium celeriter evocant, qui perpenſis cunctis circumſtantiis, ſuſpicionem ſiniſtram de violarum Sirupo habuit, quocirca Pharmacopœo accerſito & accuratè examinato, culpa in ejus famulum recidebat, qui ex incuria in mortario, in quo prius antimonii quid contuderat, non mundato flores quoq; violarum conquaſſaverat; Princeps verò aſſumtis ſtatim alexiteriis, brevi iterum convaluit.

SCHOLION SCHRÖCKII.

ANtimonium eſſe venenum præſentiſſimumque venenum, eſſe etiam expers veneni & medicinam præſtantiſſimam, cum Baſilio Valentino in Curru triumph. antim. meritò ſtatuitur; quod de crudo ejusdem uſu, legitimaque econtra præparatione, & de circumſpecta à prudenti Medico adhibitione intelligendum. Crudum ſanè in ſubſtantia propinatum, homini nocere, nemini dubium habetur, & præſens quoque hiſtoria confirmat; imò præparatum etiam, inconſideratiùs tamen exhibitum,

tum, tot triſtes eventus teſtantur. Sic Ill. D. Paulus de Sorbait Ann. III. Ephem. German. Cur. obs. 270. Cellarium quendam, ſumtis à Circumforaneo antimonii floribus, in apoplexiam & validiſſimum ptyeliſmum incidiſſe; & obſerv. 50. Nobiliſs. D. Jo. Georg. Greiſelius virum quartanarium à ſexies propinato vino antimoniato, ex vehementibus inſecutis vomitibus, factum fuiſſe phthiſicum, refert. Exc. D. Ehrnfr. Hagendornius Ann. II. obſ. 245. dd. Eph. Viduam à Medicatrice accepto purgante antimoniali cum melle remiſto, præmodùm purgatam, & convulſivis artuum motibus agitatam recenſet. Geminum à vomitorio ſtibiato protuberans in pectore aneuriſma notat Cl. Jo. Rhodius cent. 2. obs. med. 36. In hypercatharſin periculoſam, ipſasque ferè mortis fauces Saccharo ſuo antimoniali aurifabrum pſeudochimiſta præcipitaverat apud Phil. Grulingium curat. med. 4. Infelicem quoque ſucceſſum in duabus Matronis proponit Guil. Fabricius Hildanus cent. 5. obſerv. chir. 12. quarum una ex vino antimoniali ſurda, altera fatua evaſit. Imò hypercatharſin letalem ex duodecim ſtibii granis Electuario lenitivo admiſtis, & in febre continua à pſeudomedico propinatis Diomed. Cornarius obſerv. med. cap. 4. deſcribit; qualem etiam cum tympanite obſervavit Joh. Petr. Lotichius obſerv. med. lib. 4 cap. 3. obſ. 5. Sed hæc ſufficiant, cùm plures ejusmodi caſus quotidie Medicis obveniant; quales & non paucos ex Tartari, ut vocatur, emetici, Spiritus vini purgantis &c. à Medicaſtrorum turba temerario nimis ac frequenti uſu ſæpius hîc nobis intueri & deplorare datur. Quos infelices ſucceſſus conſiderando, non mirum, tam exoſum plurimis Medicorum olim fuiſſe, & adhuc eſſe remedium, ut etiam ante ſeculum à Celeberrimo Medicorum Pariſienſium Collegio publicè fuerit proſcriptum; quamvis ſalutari, à dextra adhibitione, uſu poſtea deprehenſo, non adeo multis ante annis ſententia iſta mitigata fuerit, de

de qua videndæ Ephemerides Eruditorum Gallicæ Num. 23. A. 1666. 7. d. Junij.

OBSERV. CLVII.

Mercurii dulcis uſus lethalis.

A. B. trium Epiſcoporum & Principum B. Medicus Aulicus, ferè ſexagenarius, & merus Galenicus, cùm medicamentis chimicis à Magnatibus & Nobilibus magnas laudes attribui ſæpius audiret, iis quoq; in praxi ſua uti perſuaſus; ſed cùm neq; ipſi, neq; pharmacopœo aulico chimicarũ rerum præparatio ac uſus ſatis nota eſſent, neceſſe habuerunt, ejusmodi præparata ab ardelionibus & laborantibus, uti vulgò nominantur, prece & pretio mercari, quæ certè rarenter ritè & purè præparata ab ejusmodi circumforaneis, qui Cingarorum more provincias percurrunt, & multos defraudant, venduntur. Inter alia prædictus Medicus cupiebat in ſeipſo experimentum facere, atq; ſumtâ Mercurii dulcis purgantis doſi quidem legitimâ, poſt bihorium in graviſſima ſymptomata, quæ plerumq; venena acria excitare ſolent, utpote anguſtiam pectoris, grave aſthma, anginam, tumorem linguæ & labiorum, jactationem corporis, inſultus epilepticos, incidit, & horâ tertiâ poſt adſumtum pharmacum mortem inſigni cruciatu obiit, corpore poſt mortem hinc & indè maculis lividis & nigris ſcatente.

SCHOLION SCHRÖCKII.

MErcurium ſublimatum admiſto arſenico fucari, vulgò notiſſimum judicat Nobil. Robertus Boyle in Tentamin. phyſiolog. *At quantum* addens, *inter hujusmodi ſublimati & ejus, quod fideliter præparatur, operationes diſcriminis eſſe valeat, non tantùm in metalla, ſed etiam in humana corpora* (*nempe cùm Mercurius dulcis aliaq; medicamina ex eo conficiuntur*) *vix illi facilè concipient, niſi quibus facultates arſenici hominibus æquè ac metallis noxiæ innoteſcunt.* Cui ſanè adſcribit Clar. Chriſtian. Langius Miſcell. curios,

ríos.med.25. quòd exhibito Mercurio dulci graviſſima ſæpe ſuccedant ſymptomata; ideoq;ue priùs adcuratiſſimè, inſtillatione olei tartari p.d. facti, explorandum eſſe ſublimatum, urget, quàm medicamenta ex illo parentur. Quod adulterium in hoc quoque Caſu contigiſſe potuit; niſi Medicus, rerum iſtarum imperitus, in ipſa & præter neceſſitatem fortè, aut indicationem facta adhibitione deliquerit; cùm temerè remediis iſtis valentioribus, etiam ritè paratis uti, præſentiſſimo non careat periculo. Antimonium ſanè & Mercurius ritè præparata, morbisque convenienter & rectè exhibita; judicio Magni Daniel. Sennerti cap. 18. de Chimic. cum Ariſt. & Galen. conſ. ac diſſ. ea efficiunt, quæ aliis medicamentis præſtari vix poſſunt; fortiora tamē ſunt, & cautiùs omninò, quàm reliqua uſurpanda. Mercurius etenim licet particulis ſuis unitis noxæ parum aut nihil inferat, in tenuiſſima tamen corpuſcula, vi ignis ſaliumque, divulſus, hisq; corroſivis ſpiculis inſuper armatus, magnam exſerere in corpus humanum violentiam ſolet, nervoſas cumprimis in partes irruendo, humores ſeroſos agitando & liquando, nec non ipſas ſolidiores ſubſtantias corrodendo ac enecando. Unde etiam Mercurius dulcis, tam propter efficaciæ ſuæ dulcedinem, uti Langio videtur, quàm acredinis corroſivæ ſuavem correctionem, dulcis nomine triumphans, non probè ab acredine iſta ſalium vindicatus, & ſaturatus, hac quoque ex parte in amariſſimum vitæ hoſtem evadere poteſt.

OBSERV. CLVIII.

Hecticæ cura.

A*Nno* 1634. *Patavii ſub tempore verno, hecticâ febre laborans, præmiſsâ tantùm potiunculâ laxativâ, ſingulis diebus jejunus manè hauſtum bonum lactis caprilli recens emulcti, cum pan-*

co

co ſaccharo ſumſi, nec non pro potu ordinario aquam ſimplicem coctam & ſucco puro citri expreſſo permiſtam, itemq́; in alimoniam juſcula caponum cum buccella panis ſimilaginei, orizam, & hordeolum ſeu polentam, & præcipuè ranas, limaces ac teſtudines, repudiatâ omni carne, in brevi ſanitatem priſtinam adeptus ſum, citra aliorum medicamentorum uſum.

SCHOLION SCHRÖCKII.

QUod ranarum, limacum atque teſtudinum eſu Auctor in ſeipſo expertus fuerat, id alii pari gammarorum & oſtreorum uſu etiam obtinuerunt; ut nempe extincto à nutrimentis iſtis ad frigidum ac humidum inclinantibus, calore depaſcente, & reſtituto per glutinoſum ſuccum ſpermaticis partibus vigore, cum ſanitate in gratiam redierint. Sunt quidem multi, qui hecticis ſimilium uſum planè non convenire, ſtatuant, cùm difficilis ſint concoctionis; id quod cùm non ſit de nihilo, cochlearum ſaltem coctarum jus ægris iſtis eſſe præbendum, Dan. Sennertus lib. 3. de febb. cap. 3. & Inſtitut. lib. 4. part. 1. cap. 5. aliiq; concludunt. Controverſiam aliàs hanc optimè tractavit beatus noſter Sachſius lib. 2. Gammarolog. ſect. 2. cap. 4. qui aureum illud: *Ne quid nimis*, inculcans, hecticam incipientem inter & confirmatam diſtinguit; ibi nutrimentum illud cancrorum & cochlearum craſſius admittens, hîc verò remedia potiùs ex iisdem deſumta conſulens, quorum varias ibidem formulas proponit. Semper hîc ſtomachi vires attendendæ, ita ut non tantùm ejusdem calor, ſed & fermentum ac tonus ritè ſeſe habeant, quæ nimirum in concoctione non minùs concurrere, certum eſt. Illæ ipſæ autem vires in morbi principio admodum labefactatæ interdum occurrunt, ideoque nec tum duriorum ciborum præſentiam tolerant; cùm econtra in progreſſu morbi quandoque ſat validum videri ventriculum, experiamur.

OBSERV.

OBSERV. CLIX.

Hectica vino curata.

NArravit mihi Jac. Petr. Hunterus, Suecus, Viennæ in Auſtria Comitem quendam F. juvenem, variolis ægrotantem, in principio morbi Medicus, forſan largiter nimis, ſanguinem mitti cùm juſſiſſet, in febrem hecticam indè incidiſſe, conſumtâ prorſus in corpore omni carne, cuteq́; latè attritâ ob diuturnum in lecto decubitum. Verùm cùm æger ſitiens aliquando vinum à Medicis ſeveriſſimè interdictum, avidiſſimè expeteret, Medicorum ſeveritatem ac patientis aviditatem temperaturus Suecus ipſe, Comiti hauſtum bonum vini albi cum vitello ovorum probè permixti obtulerat, quo aſſumto, ægrotus vires mox recolligens, priſtinæ ſanitati reſtitutus fuit, cutisq́; attrita balneo aquæ dulcis duntaxat tepido, dum Medici lactis balneum volebant, conglutinata & ſanata.

SCHOLION SCHRÖCKII.

AN Vinum in hectica conveniat, Exc. D. Phil. Jac. Sachſius lib. 2. Ampelograph. ſect. 6. membr. 2. cap. 6. pag. 285. ex Lælio à Fonte, Mercuriali, Rhodio & Heurnio edocuit. E quibus illa ad præſentem obſervationem commodè adplicare licebit, quæ ex Mercuriali attulerat, viribus nempe morbi diuturnitate fractis, pauciferum eſſe concedendum. Quo videlicet calor nativus paulatim refocillatus, ciborum coctionem meliùs peragere, ſicq́; idoneo nutrimento ad ſingulas corporis partes transmiſſo, earundem reſtauratio faciliùs obtineri poterit.

OBSERVATIO CLX.

Oſſiculorum limacum uſus in febribus.

OSſicula ſeu lapilli in capite limacum, qui cochleis modò carent, menſe Auguſto inventi, quòd contra febres conferant, ego ſæpius, præmiſſis univerſalibus, iſtis è limacibus propriâ manu exemtis, & in filo è collo febricitantium usq; ad præcordium, vel ſcrobiculum cordis pendentibus, in tertianis & quartanis infallibile ferè remedium expertus ſum. Quod etiam Boëtius de Boodt lib. 2. de lap. & gemm. cap. 189. itemq; Hieron. Montuus lib. 4. de febb. cap. 10. conteſtantur, ac Itali plerunq; in uſu habent.

SCHOLION SCHRÖCKII.

LApilli hujus in capite limacum ſitum atque figuram tradidit in Zootomia ſua Democr. Marc. Aur. Severinus part. 4. pag. 330. Quem etiam, præter Lev. Lemnium lib. 2. de occult. nat. mirac. cap. 30. &c. deſcribit in Muſéo ſuo Ol. Wormius lib. 1. ſect. 2. cap. 8. isque geſtatus quartanam ſolvere quòd dicatur, admonet. Id quod cùm & Auctor noſter, tum aliorum teſtimonio, tum propriis experimentis ſuffultus adſerat, fidem quidem ipſis denegare non eſt animus, ita ut facilè credam, hos, talia oſſicula è collo ſuſpenſa qui geſtarunt, ſæpè à tertianis & quartanis febribus fuiſſe liberatos; quòd verò hæc ipſa reconvaleſcentia oſſiculis iſtis adſcribi mereatur, dubito; rectiùs fortè præmiſſis univerſalibus, aliisque unà adhibitis adpropriatis remediis, vel concurrenti fortiori in periapta illa fiduciæ, aut quandoque etiam caſui, ſive ob ſubtractam materiam morbificam ſponte ceſſanti efferveſcentiæ febrili, adſignanda. Et quamvis ob ſal volatile, quod continent, ſalutarem præſtare operam poſſe videantur, cùm tamen illud in corpuſculo adeo exili & levi, quale lapillus ille eſt, perpaucum ſit, nec ſimplici ſupra cutem humanam incaleſcentiâ reſolvatur, in conſiderationem ullam hîc venire nequit.

OBSER-

OBSERV. CLXI.

Noxa ab incuria pharmacopœi.

ANno 1637. cùm inter colonos in agro Noribergenſi febres ardentes graſſabantur, à duobus Neopaganis conſultus ego, uni eorum, ob vigilias & deliria Unguentum ſomniferum, alteri ob magnum febris æſtum atq; ſitim Electuarium refrigerans præſcripſeram; ſed in pharmacopolio famulus è feſtino labore aberrans, vaſculorum ſignaturas permutârat. Exin qui Unguentum ſomniferum cum ſignatura Electuarii receperat, Unguentum avidè deglutiens, poſt paucas horas mortuus; alter, cui Electuarium cum ſignatura Unguenti obvenerat, tempora Electuario illinens ſanus evaſit.

SCHOLION SCHRÖCKII.

ERrores pharmacopœorum tangere, bilem nimiùm quantùm movere quibusdam eorum ſolet; quod conſiderans celeberrimi nominis Vir Thom. Bartholinus, cùm Liſletum Benancium & Joh. Anton. Lodettum latinitate donare in animo haberet, diu deliberaverat, an ſe interpretem multorum invidiæ exponere vellet. Cùm tamen nemo pharmacopœorum diffiteri queat, multos & craſſos admodum in arte iſta, ſive ex malitia, ſive ignorantia & negligentia, committi errores, ægrè ferre ullo jure nequeunt, ſi & alii, quorum intereſt, de iisdem loquantur; præſertim cùm tantum abſit, ut quorundam culpa in omnes redundet, ut non multi etiam, in noſtra præcipuè Germania, omni fide, arte, atque ſedulitate commendatiſſimi reperiantur. Id quod ſanè in omni alia profeſſione quoque contingere, nemo non novit, ut mala ſint ſemper mixta bonis, & quælibet ſuos patiatur manes. Quanquam in arte pharmaceutica non ſine vitæ humanæ periculo talia contingant, ita ut medicamenta, quæ Deorum manus rectè adpellaverat Herophilus, triſtia evadant mortis ſpicula, adeoque animadverſionem ſedu-

Iam præ multis aliis delicta illa mereantur. Exemplis paſſim obviis pagellas has onerare nolo; cui verò plures ex incuria & negligentia, imperitiæ interdum juncta, commiſſos hujusmodi errores ſcire libet, prælaudatum adeat Bartholinum cent. 1. hiſt. anat. 75. cent. 3. hiſt. 16. & Ciſt. med. Hafniens. locul. 52. Joh. Rhodium not. in Scribon. Larg. compos. 199. Auguſt. Thonerum lib. 6. epiſt. med. 20. Guil. Fabricium Hildanum præfat. Oper. chirurg. Henr. Salmuthum cent. 2. obſ. med. 88. & 90. nec non cent. 3. obſ. 88. Brun. Seidelium de morb. incurabilibus &c.

OBSERV. CLXII.

Sympathia inter Conſanguineos.

Cùm Anno nati Chriſti 1621. *Noribergæ variolæ ἐπιδημικῶς horrendùm graſſarentur, ita ut aliquot hominum centurias ſuſtulerint, ſæpe factum, ut fratres, conſobrini, aut qui alio ſanguinis vinculo juncti, quamvis longiſſimè ab invicem remoti, ita ut (quod & magis mirandum & omni inveſtigatione, quænam mirabilis hujus συμπαθείας cauſa, dignum,) alter quidem hîc Noribergæ, alter Lugduni Pariſiorum (id quod verè duobus accidit Conſobrinis primariæ apud nos Familiæ,) commoraretur, uno tamèn ſæpe ac eodem tempore, eodemq́ variolarum morbo corriperetur.* Ex ſchedis D. Gregor. Queccii.

SCHOLION SCHRÖCKII.

Quamvis varias in rerum Natura dari ſympathias, nemo negare queat, eandem tamen in locis tam diſtantibus adeo eſſe validam, meritò dubitatur, energiâ nempe ejusdem per tantum terrarum tractum, totóq; aëris latiſſimè expanſi motitationes penitus evaneſcente, atomisq; contagioſis oppreſſis & diſſipatis. Ut adeo in erudito ſuo de transplantatione morborum libello Exc. D. Hermannus Grube, tale quid ſi contingat, caſu id factum fuiſſe,

fuiſſe, benè judicet; quòd nempe æquè in hoc loco atque in illo, utriq; fortean eodem tempore cauſa ſuppeditata ſit προκαταρκτικὴ, ab aëris conſtitutione epidemica, vel alia ex rerum ſex non naturalium cenſu arceſſenda, fermenta ſcilicet morbifica latitantia movens & excitans. Niſi fortè & ipſius fermenti comunicatio, mediantibus corporibus ex uno loco in alterum delatis facta, hîc aliquid quandoque tribuat, ita ut corpuſcula aliqua potentioris miaſmatis illius, Noribergæ v.g. admodum ſævientis, ſeſe epiſtolis &c. adglutinantia, & in locum, quamvis cæterùm epidemicâ labe tali haud depravatum, veluti Pariſios pervenientia, Conſobrini, Norico quidem ſub cœlo nati, ſed in Gallia jam degentis ſanguinem, ad ebullitionem illam pronum facileq; adficiendum inveniant, eumque ad motum iſtum præternaturalem impellant eo ipſo tempore, quo fortè fortuna alterius Conſobrini Noribergæ ſubſiſtentis ſanguis à contagioſis particulis pariter alteratur, atque exagitatus puſtulas illas protrudit.

OBSERVATIO CLXIII.

Vinum Franconicum generoſum.

ANno 1631. Cùm ob tumultus bellicos vindemiæ in Franconia conſueto tempore intermiſſæ, & botri menſe Januario ſequentis anni demum collecti atq; ad torcularia delati fuiſſent, muſtum exinde valde generoſum, ſuoq; ſapore ſuavi Vinum Malvaticum longè ſuperans expreſſum, earumq; virium fuit, ut omnes illud immodicè ingurgitantes, in tantam temulentiam ac dementiam inciderint, ut plures febre ardente obruti intra dies paucos prematurâ morte obierint. Vinum hoc ad multos annos in ſapore ſuo generoſo conſiſtebat, & vulgò in Suecorum exercitûs, tunc Franconiam infeſtantis memoriam, Vinum Sueco-Rheticum (Schwediſcher Rheinfall) *vocabatur.*

 SCHO-

SCHOLION SCHRöCKII.

Vinum coronat hunc noſtrum laborem ; quamvis autem Franconica vina apud multos non adeo benè audiant,atq; revera eorum quædam ſatis ignobilia exſiſtant,præſtantiâ tamen ſuâ ſeſe quædam commendare, Illuſtr. noſter Dn. PRÆSES, Jo. Mich. Fehrius in beati Sachſii Ampelogr. pag. 458. animadvertit, ita ut apud imperitos pro Rhenanis utplurimum venditentur, quæ nempe & bonitate & colore plurimùm æmulantur. Rarum cæteroquin fuit, tantam ſuavitatem & generoſitatem in eo deprehenſam fuiſſe. Cui idem tutò adplicare licet, quod de Hungaricis Tocavienſibus præfatus Sachſius pag. 462. retulit, ea nempe robore & colore Hiſpanicis non cedere, ſi ex acinis ultra certum maturationis tempus in vite relictis & ſemipaſſis quaſi expreſſa fuerint; quod etiam in Candia obſervari, ita ut uvas ultra maturitatis terminum in vite relinquant, teſtis eſt Joh. Strauſſius in Itinerar. ſui itin. 2. cap. 8. Qua nempe diuturniori ſolis radiis aërisq; incurſui expoſitione, partium in uvis aquoſarum magna contingit exhalatio, & remanentium ulterior digeſtio atque concoctio; adeoq; idem hîc obtinetur, quod de muſti concentratione modica Nobil. Jo. Joach. Beccherus Phyſ. ſubterran. lib. 1. ſect. 5. cap. 2. pag. 356., artificio nempe iſto vina reddi dulciora & fortiora, monuerat.

Index I. Obſervationum.

OBſ. 1. *Infans acephalus.*
2. *Infantes cum appendice carnoſa in capite.*
3. *Hydrocephalus, ſeu infans cum veſica carnoſa circa ſuturam coronalem.*
4. *Infantes brutorum capite præditi.*
5. *Infans inſtar leporis excoriati.*
6. *Infans cum capite naturali, ſed corpore plano, ſine manibus & pedibus inſtar pupæ infantilis.*
7. *Porcellus monſtroſus & deformi capite.*
8. *Infantes bicorporei.*
9. *Infans monſtroſus ac veluti biceps.*
10. *Ovicula monſtroſa.*
11. *Infantes cum ventre patulo.*
12. *Helvetius brachiis mancus.*
13. *Gemellæ corporibus concretæ.*
14. *Alii gemelli connati.*
15. *Vitulus biceps.*
16. *Itali fratres in pectore connati.*
17. *Cranium ſine ſutura ſagittali.*
18. *Os frontis corroſum.*
19. *Caſus ex alto, cum fractura cranii, ſine læſione cutis externæ.*
20. *Caſus puellæ ex alto, cum læſione cranii, & ablatione portiunculæ ſubſtantiæ cerebri.*
21. *Percuſſio temporum lethalis.*

Obſ. 22. *Piloſæ capitis cutis divulſio.*
23. *Cœcitas ſubitanea.*
24. *Morum in palpebra oculi curatum.*
25. *Surditas ex Laconico.*
26. *Hæmorrhagia narium à frigore lethalis,*
27. *Magna dentis hæmorrhagia.*
28. *Fœtus ſeptimeſtris dentatus.*
29. *Series dentium maxillæ inferioris duplex.*
30. *Excreſcentia carnoſa in gena ſiniſtra.*
31. *Lapſus palati cum tumore linguæ mirabili.*
32. *Curatio labii decurtati temeraria.*
33. *Vinculi linguæ ſectio in puella decenni.*
34. *Fœmina barbata.*
35. *Nævi fragiformes in capite.*
36. *Talpæ in capite.*
37. *Plica Polonica.*
38. *Herpes miliaris in capite.*
39. *Phthiriaſis ſubitanea.*
40. *Vertigo per conſenſum periodica.*
41. *Melancholia à ſpirituum cerebri nimia commotione,*
42. *Noxa comeſtæ cicutæ.*
43. *Veternus ex laudano opiato.*
44. *Inſomnia periculoſa ex tabaci fumo.*
45. *Apoplexia ex tabaci fumo.*
46. *Apoplexia fortis in paralyſin dextri lateris degenerans.*
47. *Paralyſis linguæ & malæ ſiniſtræ ſctaceo curata.*
48. *Paralyſis ex frigore nocturno.*
49. *Paralyſis gutturis ex potu frigido.*
50. *Paralyſis lateris dextri ex caſu.*
51. *Paralyſis brachii dextri vicennalis curata.*
52. *Paralyſis inferiorum ſaltem corporis partium.*

53. Pa.

Obſ. 53. *Paralyſis totius corporis ex hypercatharſi.*
54. *Paralyſis totius corporis flatulenta.*
55. *Epilepſia annua dentitionis tempore.*
56. *Epilepſia ex utero mirabilis.*
57. *Opiſthotonus brevi curatus.*
58. *Pulvis rheumaticus.*
59. *Morbus attonitus ex plethora.*
60. *Oedema phlegmonodes in collo.*
61. *Hirudines in faucibus.*
62. *Nummorum deglutitio & aliarum rerum innocua.*
63. *Vulnus gutturis lethale.*
64. *Ptyaliſmus in ſene lethalis.*
65. *Materia tophacea per tuſſim rejecta in phthiſico.*
66. *Hæmoptoici varii.*
67. *Hæmoptyſis ex acidularum potu lethalis.*
68. *Vulnus cordis lethale.*
69. *Cordis exiſtentia in febre quartana.*
70. *Herpes in pectore exedens.*
71. *Zona ignea.*
72. *Nauſea ex eſu oſtrearum lethalis.*
73. *Ciborum & potus mira abſtinentia.*
74. *Vomitus rerum variarum præternaturalis.*
75. *Vomitus rerum variarum mirus, cum motibus convulſivis.*
76. *Vomitus continui curatio ex liene ſuillo.*
77. *Vomitio non ſemper navigantibus accidens.*
78. *Singularis ſympathia & antipathia in balneando & natando.*
79. *Mira in ſene voracitas.*
80. *Cachexia ex eruca in ventriculo.*
81. *Lapilli in veſicula fellea.*
82. *Conſtitutio viſcerum in hydropicis poſt mortem.*

Obſ. 83. *Hydrops ex venæſectione.*
84. *Hydropotæ hydropici reſtitutio ex uſu vini.*
85. *Virginis hydropicæ per cauterium potentiale reſtitutio.*
86. *Puelli hydropici ridicula curatio.*
87. *Famulus in locis paluſtribus laborans, factus hydropicus.*
88. *Hydropica ex potu muriæ braſſicæ curata.*
89. *Tympanitis per umbilici rupturam ſpontaneam curatio.*
90. *Iliaca paſſio ex nimio caſei eſu.*
91. *Colica paſſio & ventris obſtructio à globulis tophaceis.*
92. *Ruſtica quinq; ranas vivas in ventre gerens.*
93. *Lumbricus vomitu ejectus poſt ſymptomata gravia.*
94. *Lumbricus poſt morbillos ex ore prorepens.*
95. *Lumbricus latus.*
96. *Vermiculi circa ſphincterem ani.*
97. *Lien cartilaginoſus.*
98. *Lien magnus.*
99. *Hypochondriaci cum febre quartana curatio.*
100. *Anatome hypochondriaci.*
101. *Hypochondriaci ſcorbutici cura.*
102. *Lituræ & exanthemata crurum in ſcorbuticis plerunque ſigna bona.*
103. *Tumoris & exanthematum crurum in ſcorbutico intempeſtiva curatio lethalis.*
104. *Ani procidentia.*
105. *Hernia umbilicalis.*
106. *Herniæ inteſtinalis cura temeraria lethalis,*
107. *Hernia inveterata periculoſa.*
108. *Nephritis cum dolore & tumore hypochondrii, uteri epilepſia, & ſtranguria permoleſta.*
109. *Nephritici doloris curatio, calculo longè poſt ſine dolore prodeunte.*

110. *Cal-*

Obſ. 110. *Calculus per abſceſſum circa umbilicum prodiens, & ex cubito.*
111. *Ureterum obſtructio ſabuloſa lethalis.*
112. *Calculus in uretere dextro, & lapilli in veſicula fellis.*
113. *Calculi in utroq; rene inventi.*
114. *Calculus è muliere gravida proſiliens.*
115. *Poſt iſchuriam novendialem, calculorum ſicca ejectio.*
116. *Nephritici dolores cum iſchuria novendiali in gravida.*
117. *Iſchuria usq; ad diem quintum ſine dolore immorans, temerè pro lethali habita.*
118. *Calculus veſicæ, præter Medicorum cognitionem, per octennium immorans.*
119. *Calculi veſicæ exſectio.*
120. *Calculus veſicæ prægrandis tutò & feliciter exemtus.*
121. *Calculus veſicæ rarâ magnitudine.*
122. *Calculus veſicæ, putaminis ovorum inſtar, fruſtillatim excretus.*
123. *Veſicæ exulceratio.*
124. *Veſicæ abſceſſus in muliere pro gravida habita.*
125. *Dyſuria rara.*
126. *Urinæ mictio ſanguinea.*
127. *Mors ex thermis Piperinis, ob fiſtulam veſicæ urinariæ.*
128. *Vulnus inguinis lethale.*
129. *Vaſorum emulgentium & ſpermaticorum mira divaricatio.*
130. *Tumor ſcroti rarus.*
131. *Scroti totius cum teſticulis exſciſſio.*
132. *Tubercula in glande penis.*
133. *Phimoſis.*
134. *Calculus in meatu urinario commorans.*
135. *Mammillæ juvenis lacte turgentes.*

Obſ. 136. *Lac muliebre corruptum noxium.*
137. *Malacia feminarum.*
138. *Clitoridis mira excreſcentia.*
139. *Ruſtica imperforata.*
140. *Menſtruus fluxus per oculos.*
141. *Uteri hæmorrhagia lethalis in gravida.*
142. *Partus faciles.*
143. *Partus difficiles.*
144. *Partus numeroſi.*
145. *Fœcunditas mira.*
146. *Fœtus alterutrius mora in utero.*
147. *Brachium petrefactum.*
148. *Chiragra lethalis.*
149. *Gangræna brachii ab incauta Venæſectione.*
150. *Tumor pedis maximus ſanatus.*
151. *Steatoma feliciter exſectum.*
152. *Natta in dorſo exciſa.*
153. *Vena poplitis ſponte aperta.*
154. *Sphacelus fracti cruris.*
155. *Tertiana halecis eſu curata.*
156. *Noxa ab incauto antimonii uſu.*
157. *Mercurii dulcis uſus lethalis.*
158. *Hecticæ cura.*
159. *Hectica vino curata.*
160. *Oſſiculorum limacum uſus in febribus.*
161. *Noxa ab incuria pharmacopæi.*
162. *Sympathia inter conſanguineos.*
163. *Vinum Franconicum generoſum.*

Index

Index II. rerum notabilium.

ABortus à nephritide, pag. 322.
Abſtinentia à cibo & potu mira, 233. &c.
à potu hydropem curat, 261. 262.
Acephali homines, 1. 5. 6.
Acidularum virtus & noxa, 221. 222.
Acrochordon quid ſit? 90.
Agyrtarum fraus & audacia in dentium extractione, 105.
Anatomica cognitio Medico neceſſaria, 225.
Angina quid ſit? 118. 177.
ſingularis, 246.
Anginæ cura per laryngotomiam, 212. 213.
Ani procidentia quid ſit? ejus cauſa, & cura, 297. 298.
pueris familiaris, 297.
Animi pathematum vis, 348. 349.
Antimonii diaphoretici virtus in ulceribus, 231.
incautus uſus nocet, 412. 413
Apoplexiæ cauſa, 151. 167. 168.
in paralyſin degeneratio, 168. &c.
cum catalepſi adfinitas, & differentia, 203.
Apoplexia quid ſit Hippocrati? 186.
ex tabaci fumo, 166. &c.
Aquarum medicatarum Weihenzellenſium vis, 318.
Arthritidis prognoſis, 395.
Aſcaridum hiſtoria, 283. &c.
Attonitus morbus quid ſit? 204.
ex plethora, 202.
Auctumni inſalubritas, 182.
Auditûs in Medico uſus, 93.
Avium ventriculis cur lapilli inſint? 209.
Auri in ventriculo conglobatio, 209. 210.
Azoth Heslingianũ notatum, 184.

Barbatæ feminæ, 121. &c.
Barbæ decus, 124.
Bilis in ventriculum delatio, 149. 152. 153.
Brachiis deſtituti, 32. &c.
Brachium petrefactum, 391.

Cachexia ab eruca in ventriculo, 248.
Calculi pulmonarii, 217. &c.
veſicæ ſelleæ ſingulares, 251. &c.
non ſemper letales, 314. 315.

inte-

inteſtinales, 271, 272.
veſicæ magni, 331. &c.
exſectio, 326. &c. 330.
in corpore comminutio, 333. 334.
per ureterem tranſitûs denegati cauſa, 313.
in utroque rene inventi, 315.
magni renales non admodum dolorifici, 315. 316.
uterini, 318.
è mulieribus proſilientes, 317. 318.
ſicci ejecti, 318.
extra corpus ex urina generati, 320.
diagnoſis difficilis, 324. &c.
è meatu urinario extractio, 366.
Calculoſi pro Venereâ lue infectis habiti, 326.
Cantharidum vis in ſanguinis mictu ciendo, 345. 346.
Carnis differentiæ, 77.
Caryophyllatæ vis in nævis tollendis, 128.
Caſeus quale ſit alimentum? 270. 271.
Caſtrationes variæ, 356. &c.
Caſus ab alto exempla, 58. 62. 178. 179.
Catalepticorum exempla, 202. 203.
Catalepſis quid, 203. 204.
Catarrhorum cura per errhina, 194. &c.
Cerebri pars ablata, 62. &c.
Cerebrum bovis petrefactum, 392. &c.
Chiragra letalis, 395.
Cicatrices an pilorum ortum impediant? 78. 79.
Cicutæ comeſtæ noxa, 156. &c.
vis effeminans, 159.
uſus internus & externus, 158. 159, 161.
eſus innoxius, 160, 161.
Clitoridis excreſcentiæ, 378. 379.
Clyſterum uſus defenſus, 82. &c.
cur ſit exoſus? 85.
quomodo cœcitatem tollat? 83.
non omnibus convenit, 84, 85.
ab ipſis ægris facta adplicatio, 86.
Cochlearum &c. in hectica uſus, 416.
Cœcitas ſubitanea, 79.
Cœcitatis cauſa, 80.
Colica ab obſtructione, 271.
oleoſis curatur, 272.
Confidentiæ vis in curatione, 242. 264.
Conſuetudinis vis, 244.
Convulſio oppoſitæ partis in temporibus læſis, 70.
ex hæmorrhagia magna, mala, 102.
Cordis conſumtio, 226.
Cor poſſe magnos morbos pati, 227.
Crania Perſarum molliora, quàm Ægy-

Ægyptiorum, 51.
Cutis capitis piloſæ divulſio, 74. &c.
anatome, 77.
vulnera citò coaleſcunt, 78.

Deglutitio nummorum, 107. &c.
Dentes connati, 106. 107.
in ſenibus enati & renati, 108. 109.
Dentium ſeries duplex & triplex, 108. 111.
varietas multiplex, 108. &c.
Dentitionis difficultates, 188.
Digiti ſex manuũ & pedum, 1. 4. 5
annularis conſenſus cum corde, 396.
Diureticorum cautus ſit uſus in nephritide, 319, &c.
uſus in hydrope, 267.
Dolor capitis à ſuturarum defectu, 51. 52.
Ductus ſalivales Galeno noti, 216.
Dyſuria rara, 339. 340.

Ebrietatis noxæ, 348. 349.
Empirica remedia non omnino ſpernenda, 163.
Emplaſtri nervini Vigonis comendatio, 179.
Epilepſia annua dentitionis tempore, 188. &c.
ex utero mira, 190.
unde oriatur? 188.
Epileptici ſæpe pro Dæmoniacis habentur, 192.
Energumenorum voracitas, 247.
Enteromphalocele ſimplex an detur? 299.
Errhinorum actio, 202.
Euphorbii uſus pro errhino, 199.
hiſtoria imperfecta, ibid.
correctio, 201.

Febre quartanâ demortuorum anatome, 226.
Febres verminoſæ, 277. 278.
Febris paralyſin & apoplexiam ſolvens, 176.
tertiana halecis eſu curata, 410.
Fermentum ventriculo an â liene inſpiretur? 241.
Fœcunditatis miræ exemplum, 389. 390.
Fœtûs alterutrius mora in utero, 390.
Fonticulorum in febribus exſiccatio, 67.
paralyſi uſus, 174.
Fortuna Medico neceſſaria, 229.
Fractura cranii, 58. &c. 63.
quomodo cognoſcatur? 59. 61. 62.
Fracturæ oſſium cura, 59.
Freitagii Joh. M. D. mors, 395.
Frigidus potus noxius, 177. 178.
Frigoris natura, 98. 99.
vis inimica nervis, 175. 182.

Gamarorum ligulæ quid ſint? 281.
Gangræna brachii ab incauta V. S. 396. &c.

Gemelli concreti, 35. &c. 44.
Generationis humanæ opus admirandum, 37. 38.
Gravidarum noxa à mendicis mõſtroſis, 17. 18.
à nephritide periculum, 321. 322.
Gravidæ menſtruatæ, 383. 384.
falsò creditæ, 337. &c.
Hæmoptoici varii, 219. 220.
Hæmoptyſis ex acidularum potu, 220. &c.
Hæmorrhagia narium à frigore, 97. &c.
letalis, 100.
cur facilis? 102.
dentium magna, 103. &c.
vulnerum per vaſis diſciſſionem ſiſtitur, 215.
uteri letalis, 383. 384.
Halitûs humani virtus, 128.
Halecum commendatio, 410, 411.
Hecticæ cura, 415. 416. per vinum, 417.
Hepar ſæpe inſons eſt in hydrope, 256.
Hepatis apoſtemata in capitis vulneribus, 66. &c.
Herniæ umbilicalis cura, 299.
umbilicales maximæ, ibid.
cura per interna medicamenta, 300.
inteſtinalis curæ temerariæ, 301. &c.
per ligaturam, 303. 304.
inveteratæ periculum, 304. &c.
Herniotomorũ quorundam inſcitia & malitia, 301. &c. 360.
Herpes miliaris, 138. &c.
in pectore exedens, 227. &c.
zona dictus, 229. &c.
Herpetis differentiæ. 140. 142.
Hirudinum corpus irrepentium noxa. 206. 207.
Hominis ex ovo productio, 38. 39. 77.
Hominum & eorum partium petrefactio, 391. 392.
Hydrocephali hiſtoria, 8. &c.
Hydrophobia ſingularis, 244.
Hydropicarum aquarum evacuatio, 260. &c.
Hydropicorum anatome, 254. &c.
Hydrops à ſanguine nimiùm è vena ſecta emiſſo, 256. 257.
à pedum refrigeratione, 265. 266.
curatus uſu vini, 258. 259.
cauterio potentiali, 259.
ridiculè, 263.
muriæ braſſicæ potu, 266.
umbilici rupturâ, 268. 269.
Hypercatharſis periculoſa, 183. 185.
Hypochondriacorũ ſputatio, 216.
anatome, 291.
Hypochondriaci ſcorbutici cura, 293.

Ignis ſacer quid ſit? 228.
Iliaca paſſio ex nimio caſei eſu, 269. &c.

Imagi-

Imaginationis vis in monſtrorum productione, 16. 19. 20. 22. 24. 31. 117. 123.
morborum curatione, 264. 265. 410. 418.
Imperforatarum cura, 380. 381.
Ingenii mutatio à lactis qualitate, 373. 374.
Iſchuria à calculo in uretere hærente, 316.
novendialis non letalis, 318. 320. 323.
quinq; dierum non letalis, 322.
Iſchuriæ prognoſis. 323. 324.
Labiorum dignitas, 118.
decurtatorum cura, 118. 119.
Lac Virginum, virorum, & infan. tum, 369. 370,
Lactis muliebris corrupti noxa. 371. 372,
Laryngotomiæ uſus, 212. 213.
Lazari Colloreti hiſtoria, 44. &c.
Lien cartilaginoſus, 285. &c.
non ſemper in hypochondriacis eſt in culpa, 291. 292.
Lienis magni hiſtoria, 285. 286.
acor nativus, 241.
pulſatio, 287.
ſuilli &c, uſus ſtomachicus, 241.
Limacum oſſicula in febribus utilia, 418.
Linguæ frenuli ſectio, 119. &c.
hæſitantia non ſemper paralyſeos prodromus, 170.
Lithotomorum agyrtarum temeritas, 329.
Longævitatem an tarda dentium eruptio præſagiat? 111. 112.
& dentium pluralitas? 112. 113.
Lumbricorum vomitu ejectio, 274. &c.
Lumbricus poſt morbillos ex ore prodiens, 276.
Lumbrici lati hiſtoria, 279. &c.
Majoranæ aquæ uſus pro errhino, 204.
Mammillæ juvenum lacte turgentes, 369. 370.
Maniacorum caſtratio, 359.
Manuum præſtantia, 34.
Manûs lentâ morte defuncti attactus nævos tollit. 130.
Margaritarum fortuita concretio, 210.
Medicis ſæpe innocentibus culpa mortis imputatur, 61.
Medici veri qui ſint? 163.
circa lithotomiam officium, 328. 329.
Medentium culpâ ſæpe morbi prolongantur atque exacerbantur, 115.
Medicaſtrorum felicitas, 84.
in Republ. noxa, 184.
Melancholicorum hypochondriacorum cura, 154. &c. 289. 290.
non neceſſaria, 290. 291.
deliria multivaria, 154. 273.
Melancholia à ſpirituum cerebri nimia commotione, 153. &c.
Mendicorum monſtroſorum &c. publica oberratio nociva, 17. 19.

Meningis craſſæ ſinûs magni reſeratio an cauſa ſit hæmorrhagiæ narium? 100. 101.
uſus. ibid.
Menſium non ritè prodeuntium noxa, 191.
fluxus per urinam, 345.
oculos, 381. 382.
an ex ipſo utero fiat? 382.
Mercurii dulcis uſus, 414. 416.
ſublimati adulteratio, ibid.
Mictionis ſanguineæ cauſa, 341. &c.
de Monſtris varia, 1. &c.
Nævi fragiformes, &c. 125. &c.
quid ſint, & quomodo curentur? ibid.
Naturæ inclinatio requiritur ad ſtudium medicum, 92.
elegantia, 86.
Nattæ in dorſo exciſio, 484. &c.
nomen & natura, ibid.
Nervorum decuſſatio fictitia, 180.
Nodorum morboſorum differentiæ, cauſæ & cura, 89.
Nutricū circumſpecta electio, 374.
Odontalgiæ ferocia, 114.
Oedematis natura, 55. 56. 205.
cauſa, 205.
cura, 206.
Oedema phlegmonodes in collo, 205.
Opii virtus & noxa, 162. 163.
Opiata quid ſit? 196. 198.
Opiſthotoni cauſa, 192. 193.
cura, 192.
Os frontis corroſum, 53. 56. 57.
Oſtreorum eſus noxius, 231. &c.
Ova duplici vitello prædita, 39.
Oviculæ monſtroſæ, 29. &c.
Palati prolapſus, 116. 118.
Palpebrarum conſideratio, 88.
Paracelſi deliriū circa dentes, 110.
Paralyſis pro apoplexia ſumta, 169.
in apoplexiam tranſit, 170.
in dextro vel ſiniſtro latere an frequentior? 172. 173.
linguæ & malæ ſiniſtræ ſetaceo curata, 173.
ex frigore, 175. 181.
gutturis ex potu frigido, 177.
ex caſu, 178.
brachii vicennalis curata, 180.
inferiorum ſaltem corporis partium, 181. &c.
totius corporis ex hypercatharſi, 183.
flatulenta, 185.
in Paralyſi cur ſæpe motus tantùm deperdatur? 171. 172.
Partium in ſpermaticas & ſanguineas diviſio, 77.
Partes dextræ an ſiniſtris robuſtiores? 172. 173.
Partûs facilis exempla, 384.
naturalis nunquam ſine dolore, 385.
difficilis à funiculo umbilicali fœtui obvoluto, 386. 87.
numeroſi exempla, 387. 88.
Peſtis verminoſa, 277. 278.
Pharmacopœorum errores, 412, 419. 420.
Phimoſeos cauſa & cura, 364. 365.

Phthi-

Phthiriaſis hiſtoria, 143. &c.
Phyma quid ſit? 363.
Picæ gravidarum hiſtoria, 374. &c.
Pilorum generatio, 78. 122.
Pili ubique ferè in cute, 124.
Plicæ Polonicæ hiſtoria, 134. &c.
Prudentia medica, 96.
Ptyeliſmus letalis, 215. &c.
Puerperæ ipſæ lactẽt infantes ſuos, 371. &c.
Pulvis rheumaticus, 194. &c.
Purgantia cautè exhibẽda, 183. &c.
Ranæ è corpore ejectæ, 272. 273. in corpore coaxantes, 273.
Receptarum devoratarum felix operatio, 265.
Remedia cautè uſurpanda, 96.
Renes non ſemper hydropem producunt, 202.

Salivæ humanæ virtus in herpetis cura, 142.
Sanguinis vis in nævis tollendis, 129.
Scorbutus an Hippocrati ſub Lienum magnorum nomine veniat? 287. 288. ab hypochondriaco adfectu differt, 293. 294.
Scorbuti cum Lue venerea convenientia, 294. 295.
Scorbuticarum macularum prognoſis, & cura, 294. &c.
Secundinarum vis in nævis tollendis, 128. 129.
Semen corruptum non eſt cauſa monſtrorum, 39.
Senes an minùs præ infantibus, calculo laborent? 325.
Setaceorum uſus in paralyſi, 174.
Socrates cicutâ enecatus, 158.
Specifici ſtomachici Poterii virtus, 230. 231.
Sphacelus fracti cruris, 409.
Steatoma feliciter exſectum, 401.
Steatomatis cauſa, 402. &c.
Sterilitatis cauſa ſemen vitioſum, 39.
Stranguria cruenta, 344.
Sudoriferorum uſus in paralyſi, 186. 187.
Surdaſtrorum auxilium externum, 94. &c.
Surditas ex Laconico, 91. 96. oculorum uſu compenſata, 93. ♀is fumo curata, 196.
Suturæ ſagittalis defectus, 49. &c.
Suturarum omnium defectus, 50.
Sympathia inter conſanguineos, 420. 421.
Tabaci fumus noxius, 164. &c. an cerebrum denigret? 165. 166.
Talpæ dicti tumores in capite, 131. &c.
Temporum percuſſio & vulnera an letalia? 68. &c.
Teſticuli tres in cane inventi, 362.
Thermarum uſus in paralyſi, 180. 181. 187.
fiſtulis, 347.
abuſus, 181.
prohibentia, 347.
Piperinarũ virtus & noxa, ib.

Tuber-

Tubercula in glande penis, 362. 363.
Tumor palpebræ, Morũ dictus, 87.
carnoſus in gena, 114.
ſcroti rarus, 355.
pedis maximus, 400. 401.
Tumorum multitudo, 89.
Tumores linguæ miri, 116. 117.
à fermentatione, 356. 357.
Tympanites quid ſit? 268.
cum aſcite jungitur, 269.
Vaporum ex ventriculo in caput delatio, 151.
Variolæ verminoſæ, 277. 278.
Vaſorum emulgentium & ſpermaticorum varietates, 350. &c.
Vena nunquam ſine arteria, & vice verſa, 352. &c.
Venæſectio pœnæ loco impoſita, 398.
malè adminiſtrata, 296. &c.
apertio ſpontanea, 407. &c.
Ventriculi motus, 209.
Vermes ſanguini & viſceribus naturales, 282.
Verrucarũ generatio & cura, 90. 91.
Vertigo per conſenſum periodica, 148.
Vertiginis cauſa, 148. &c.
cum apoplexia cognatio, 152.
Veſicæ exulceratio, 335.
abſceſſus, 337.
Veſicula fellea lapidefacta, 253.
Veternus ex Laudano opiato, 162.
Vinũ Franconicũ generoſum, 421.
Vini concentratio, 422.
Vituli bicipites, 43. &c.
Umbilici ſpontanea ruptura in hydropicis, 268. 269.
herniosis, 300.
Vomitus rerum variarum ex faſcino, 237.
cum convulſionibus, 238. &c.
continui cura à liene ſuillo, 240.
navigantium, 242. &c.
erucarum, vermiumq; aliorum, 248. &c.
Voracitatis exempla, 246. 247.
Ureterum amplitudo, 313.
Vulnerum capitis periculũ, 59. &c. 63. &c.
letalium inſpectio Medici præſentiam requirit, 224. 225.
letalitas per accidens, 348. 349.
Vulnus gutturis, 210. &c.
cordis letale. 223.
inguinis letale, 348.
Zona ignea quid ſit? 229.
qualem exitum ſortiatur? 230.
quomodo curetur? 230. 231.

F I N I S.



Ad Obſerv. XVI.
M. Haffner ſculp.



Fig. I.
Ad Obſerv. CX.
Fig. II.
Ad Obſerv. CXX.
Ad Obſerv. CXXI.
M. Haffner ſc.